BSB Bayerische StaatsBibliothek

Münchener DigitalisierungsZentrum
Digitale Bibliothek

Querini, Angelo Maria

Specimen Variae Literaturae Quae In Urbe Brixia Ejusque Ditione Paulo Post Typographiae Incunabula Florebat Scilicet vergente ad finem Saeculo XV. usque ad medietatem Saeculi XVI. Unde praeter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium Typographicorum series, quam Historia literaria temporis
Bd.: 2

Brixiae 1739

4 H.lit.p. 201-1/2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10679905-4

Copyright


Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.

Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

10679905



10679905

SPECIMEN
VARIAE LITERATURAE
QUAE
IN URBE BRIXIA EJUSQUE DITIONE
PAULO POST TYPOGRAPHIAE INCUNABULA
FLOREBAT
Scilicet vergente ad finem Sæculo XV.
uſque ad medietatem Sæculi XVI.

Unde præter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium Typographicorum ſeries, quam Hiſtoria literaria temporis illius, quo bonarum Artium renata ſunt ſtudia, illuſtrantur.

PARS SECUNDA
GRAMMATICA, ORATORIA, POETICA, PHILOSOPHICA
COMPLECTITUR.



BRIXIAE
Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI
CIↃ IↃ CC XXXIX.
SUPERIORUM APPROBATIONE.

10679905

AD LECTOREM.

NOn adeo cœco ſtudio *Brixiani ingenii gloriæ amplificandæ abripitur hujus Operis* AUCTOR, *ut Scriptores omnes in eo recenſitos, ac propterea Grammaticos, Oratores, Poetas in hac altera Parte laudatos* (*nam ad tertiam Philoſophos rejicere, præſentis Voluminis moles adegit*) *primis ſubſelliis dignos in ea, quam pertractarunt, diſciplina arbitretur. Viciſſim vero ſperat ipſe, neminem gloriæ illi ita infenſum fore, ut pleroſque ex ipſis ſingularem prorſus laudem fœtibus ſuis ſibi comparaſſe, in dubium revocet. Illud itaque tantum in hac Præfatione inveſtigandum erit, an nimirum in ſingulis illis Artibus Brixiana literatura unum ſaltem Scriptorem jactare valeat, qui ad principem omnino locum adeo feliciter contenderit, ut aliarum gentium homines, qui eadem tempeſtate in iiſdem Artibus primas tulerunt, ſi non procul a ſe reliquit, nec ipſe longo intervallo ab iiſdem diſtare comperiatur. Id, inquam, in hac Præfatione diſcutiendum ſuſcipimus, bona cum Lectoris venia aliquanto copioſius.*

Atque ut a Scriptoribus illis, qui primi in hac Operis Parte comparent, initium ducamus, illico Auguſtinum Saturnium Lazaroneum palmæ inbiantem Grammatica offert diſciplina; nec enim putat, illius laudi quidquam decèdere

ex oppidi, cui ortum debet, tenuitate, Buenni ſcilicet in Oreola Valle, quam vulgo Camonicam dictitamus. Palmam illam Saturnio omnino adjudicaſſe cenſendus eſt Janus Pincius, Poeta laureatus, in Epiſtola Saturnii Mercurio præpoſita; nam ibi diſerte affirmat, in Saturnio vires ſuas potiſſimum expertam eſſe Grammaticam, præcipuoſque ejus Artis Doctores, qui ante ipſum ſcripſerant, plus ab eo ſplendoris accepiſſe, quam illi tribuiſſe. Pugnam a Saturnio cum Laurentio Valla initam poſtea deſcribens, celeberrimum hunc Latinarum Elegantiarum parentem, pedem referre, & ſe ſe dedere coactum repræſentat. At Saturnii excellentia ex ipſo Saturnio dignoſcenda. Quare ex fragmentis bene multis, quæ ex ipſius Mercurio excerpta ſuo loco recitata ſunt, quædam dumtaxat Proœmia Lectorum oculis hic iterum exponentur, quæ, vel ſola, demonſtrant eximiam hominis peritiam; qua factum eſt, ut ipſæ Grammatices ſeu tricæ, ſeu brevia, & ſcopuli (ut vocari ſolent) hujuſcemodi pondus, ac decus nanciſci valuerint, perinde ac ſi ad percipienda ſublimioris cujuſpiam facultatis principia aditum patefacerent. De Imperſonalibus, inquam, de Participiis, de Gerundiis, de Supinis ita ſapienter, ita acute præfatur Saturnius, ut tantum dignitatis ſeu Philoſophi, ſeu Theologi etiam eloquio ineſſe vix, aut ne vix quidem contingat, dum graviſſimis argumentis Proœmium conſtituunt.

Non

Non defuerunt Grammatici, qui Impersonalibus bellum indixerint, & tanquam Platonis, atque Aristotelis dogma evertentia, e Scholis eliminarint. At Saturnius noster nec horum hominum impetum, nec emetiendi in explicandis illis itineris salebras pertimescens, ita Impersonalium causam defendit, ut professus præterea sit, divinum latinitatis splendorem sine his haud posse consistere. En ejus verba l. 3. c. 1.

Et bonam latinitatis partem Impersonalia sibi vendicant. Quæ summa cum diligentia ni per nos teterrimis e tenebris, ac situ inveteratæ, ac deploratæ illius ignorantiæ, tandem aliquando in lucem redimantur, haud causa est, quin de literis pessime dici meritus velim. Quid enim verba hæc non modo suscipiam, verum etiam & exosculer, & amplectar, quando sine his splendor ille divinus latinitatis haud consistere potest? Neque tamen clam me est, quantum sudoris, vel potius quantum sanguinis mihi fundendum sit in his explicandis. Quando & natura longe sunt intellectu difficillima, & hostes quam plurimos habeam tum acerrimos, tum infestissimos, & alioquin incredibilis quædam expectatio mihi gravis adversaria jam sit constituta. Aggrediar igitur, &, quam citissime potero, tantum negotii absolvam.

Ob hanc ipsam de Impersonalibus tractationem impotenter debacchatus est adversus Saturnium Gaspar Scioppius l. 3. c. 1. Miner. Sanct. idque nil mirum, nam quantum præstantissimis, & de re literaria optime meritis Viris oblatrare consueverit

rit Vir ille, nec ipſi parcens Ciceroni, aut Varroni, ſatis compertum. Ad Participia explicanda digreditur Saturnius l. 6. dumque in Proœmio affirmat, Participiis orationem nuſquam non reflores cere, delectare, ac movere, adhibet ipſe orationem iis ipſis dotibus effulgentem. Ita enim ejus libri c. 1.

Participia latinitati brevitatem conferunt, appoſitiſſimum providentis naturæ ad condecorandam orationem miniſterium: non conciſam illam quidem, ac mancam, cui obſcuritas agnata, ſed quæ multa complectatur verbis non ita multis, quæque pro rerum, ac ſententiarum complexu apparent etiam pauca; ſimulque genus dicendi faciunt in primis fuſum, lene, æquabiliter incedens, non contortum, non intumeſcens, non corruptum. Ad hæc, brevitati cognatam celeritatem, quæ cum aliis rebus comparatur, tum vero Participiis ſeptimo in caſu conſtitutis, vel maxime ſi plura conſequantur. Poſtremo varietas præcipuum naturæ bonum, ubi opes, deliciaſque ſuas ambitioſius oſtentat, quam in Participiis, ut oratio ipſa nuſquam non his refloreſcat, delectet, moveat?

Gerardus Joannes Voſſius de Arte Grammat. l. 5. c. 9. negans tranſitivam Verborum conſtructionem propriam eſſe Participiorum notam, Saturnii quidem opinionem impugnat; eodemque loco ab eo pariter diſſentit, quod ſpectat ad Canonem quendam, tanquam Lydium, ait Voſſius, a Saturnio propoſitum ad expendendam Gerundiorum, ac Supinorum doctrinam. At id agens,

a Scioppii furore adeo abfuit, ut contra, Saturnium appellare non dubitaverit, doctiſſimum, & acutiſſimum Virum. De Gerundiis hæc ille l. 7. c. 1.

Rem controverſam aggredior, & plenam diſſenſionis; verum Superis bene faventibus per nos tandem aliquando dijudicandam. Neque enim nos hi ſumus, quorum vagetur animus errore, quique certi nihil habeamus, quod ſequamur. Illuxit, illuxit tandem nobis veritas hæc toties petita, toties pugnata. Scripſere, ſcio, plerique alii de Gerundiis, Viri illi quidem acuti, ac docti; verum ita, ut aliorum potius opiniones, quam ſepoſiti, atque abditi aliquid deprompſiſſe videantur. Quanquam ne Veteres illi quidem, quibus antiquitas nil habuit doctius, nil exactius, tales extitere, ut viam induſtriæ poſteris præcluſerint. Super hæc, in diſputando, auctore M. T. Cicerone, non tam quid Majores ſenſerint, obſervandum, quam rationis momenta quærenda ſunt. Ut in agro colonus, in uxore vir ſterilitatem odit, ſic infœcundam animam odit illi complicita, & aſſociata mens divina.

Supina aliqui dicta putant, quod, inſtar ſupinorum, otioſorumque hominum, omnia habeant confuſa, permixtaque. At de illis ita diſſerit Saturnius, ut nil certe minus, quam ſupinum, otioſumque hominem referant. Sic loquitur l. 8. *c.* 1.

Litem ſuperiori Syntagmate diſceptavimus plenam perplexitatis, plenam diſcordiarum. Nunc Supina nobis aggrediunda, negotium ſane plurimi tum ſudoris, tum conſilii; ambagum autem non minus differta, quam latebroſæ difficultatis. Argumentum alio-

qui

qui dignum, in quo Veteres etiam illi nervos ſuos intenderent. Verum fit, neſcio quo fato, ut non omnia ſciamus omnes. Tradidere porro principes illi pleraque digna ſcitu, digna obſervatu, ſed non pauciora poſteris inveſtiganda, atque dijudicanda reliquere. Etenim in omni artium genere cum plurimum actum fuerit, ſemper tamen omnis poſteritas habet, quod agat. Excedit enim, multumque ſupereminet humanæ captum cogitationis, rerum infinita multitudo. Fuere, ſcio, Veteres illi viri quidem eruditiſſimi, homines tamen, quippe quibus non tota veritas ſeſe infuderit. Itaque omnes, ut fallere potuerunt, & falli, ita in rebus dubiis nemo eorum opinionibus perinde ſeſe addicat, ut facultas libere diſſentiendi non uſque potior exiſtat. Leganturque omnes, ſed cum delectu. Neque enim vis naturæ in nobis effœta eſt, ut ipſi nihil ex nobis parere poſſimus, ſentiamuſque bonum eſſe, quod rerum multitudine, ac magnitudine vincimur. Nemo ad cognitionem veritatis magis accedit, quam qui intelligit, ubi multum profecerit, ſemper tamen ſibi ſupereſſe, quod quærat. Quapropter cunctis adnitendum, pallendum, ſua cuique vix faciundà, ut novo ſemper aliquo fœtu artem Grammaticam adaugeat, atque illuſtret.

His Saturnii Proœmiis quid elegantius, quid ſublimiori quovis dignius argumento? Novi equidem, monente Horatio in Arte Poetica, quænam vitanda ſint vitia, Incœptis gravibus plerumque, & magna profeſſis, *& quam ſtudioſe cavendum, ne ſpecioſa quædam exordia cenſuræ illi ſubjaceant,*

ceant, Amphora cœpit inſtitui, currente rota cur urceus exit? *At Saturnium noſtrum perſonam, quam ſibi in Proœmiis illis impoſuit, pro dignitate ſuſtinere, quæcumque ex ejus Mercurio in medium allata ſunt Specimina, cuivis, ut ſpero, perſuadebunt. Neque vero hæc omnia, velut Grammaticorum minutiæ, deridenda, quum ab horum notitia, non multa modo Poetarum, aut Hiſtoricorum loca, ſed & graviſſimæ Juris controverſiæ, lucem fœnerentur, ex auguſtæ Antiquitatis judicio, ut monuit Voſſius de Arte Gram. l. 5. c. 13.*

Ad Oratoriam Artem accedo, in qua peregrinus, & hoſpes ſit oportet, cui minime notum Jovitæ Rapicii nomen. Qualis, quantuſque in ea fuerit Rapicius, Orationes plures ad demonſtrativum genus pertinentes, quas conſcripſit, oſtendunt; at multo adhuc manifeſtius libri quinque de Oratorio Numero, cedro utique dignum Opus. Hanc Rhetoricæ diſciplinæ partem ab aliis neglectam, ab aliis, quaſi percipi nullo modo poſſet, depoſitam, ac deſperatam, adeo docte, & copioſe tradidit, ut in eadem Rapicius unus (abſit verbo invidia) legi mereatur. Fuſiora ex illo Tractatu ſuo loco recitantur excerpta, quæ Lector adeat. Unum tantum ex ipſis hic iterum afferetur, Operis utilitatem, ac præſtantiam paucis verbis ob oculos ponens. Ita Rapicius lib. 5.

Cum igitur pedibus, ac ſyllabarum quantitate, & tono, & quaſi cantu conſtet hic numerus; nec ſyllabarum quantitas, nec tonus, nec ſpiritus ab antiquo-

rum consuetudine quicquam variaverit: quid obstat, quo minus numerum hunc conficere, & de eo præcepta, Veterum more, tradere possimus, ac debeamus? Quis enim ignorat, ubicunque omnes fuerint alicujus rei partes, quanquam disjectæ, ibi tamen, si in unum adduxeris, totum posse constitui? constitui autem solere, & debere, quam fieri potest, aptissime; nisi quis aut tam hebeti, aut tam præpostero sit ingenio, ut, cum parata, expolitaque ante oculos, atque inter manus extent membra omnia, e quibus vel Phidiæ Minerva, vel Polycleti Hercules possit confici, disjecta illa malit jacere, quam in aptum ordinem redigi, atque in signa orbe toto celebranda consurgere. Quis porro, cum ædes struere desideret, nec quadrati lapidis, lignorumque, & laterum, ac reliquæ materiæ desit copia, struet quidem opus, sed adeo negligenter, ut nihil curet, cum quo lapide, lignove, aut latere, quem lapidem, lignum, aut laterem conjungat? nec consideret, quo modo copulari possint, & qua sui parte stabiliorem, firmioremque queant exhibere structuram? nec saltem abscindat, removeatque, si quid obstat, nec addat, si quid deest, ut tota structura firmior fiat, tum etiam aspectu ipso pulchrior; sed omnia incondita, utcunque fors tulerit, coacervet, ac sibi non tam domum, quam ruinam paret? Huic similes sunt quicunque contemptis his, quæ traduntur de numero, præceptis, mente circumscriptas sententias incondita potius, atque indistincta oratione jactari lætantur; quam, quæ delegerint, verba ita dimittere, ut suo quodque loco respondeat; nec, cum possint,

ſint, curant, ut periodi, colaque, & commata omnia, & prima, & media ad finem ſpectent, & alia, atque alia terminatione claudantur.

Hunc ipſum Rapicium Poetica diſciplina admodum valuiſſe, metrica illius in nonnullos Pſalmos Paraphraſis fidem facit, quam cum celeberrimis illis M. Antonii Flaminii, & Georgii Buchanani de principe loco dimicantem AUCTOR *in medium proferre non dubitavit. At quoniam Laurentii Gambaræ de Columbi Navigatione Poema a Paulo Manutio, dum ejus exordium multis præſentibus Patavii legeret, voces illas extorſit* Cedite Romani, *ut ipſe Manutius refert in Epiſtola ſuo loco citata, ac præterea faſſus eſt, eo in judicio adhuc, qui a ſe diſſentiret, inveniſſe neminem; Laurentius ipſe Gambara potius, quam Jovita Rapicius, quam Jacobus Bonfadius, quam Nicolaus Siccus (præſtantiſſimi profecto Brixiani Poetæ) hoc loco in exemplum proponi, ſuo quodammodo jure depoſcit. Poematis illius initium ad Antonium Perenottum Cardinalem Granvelæ hujuſmodi eſt.*

Perenotte, virum referam, qui littora primus
Ingentis tetigit Cubæ, non cognita nautis
Hactenus, oppoſitumque polum, novaq. aſtra retexit
Nuper, & inventas cancri ſub ſidere terras.
Accipe, quæ quondam juſſiſti carmina, ab Afris
Cum domitis Cæſar dulcem, claramque rediſſet
Parthenopen victor, qui forti milite denſas
Tot Turcarum acies validis ſuperaverat armis,

Et pulſum Regem regnis induxit avitis.
Non ſine te maris immenſos invadere fluctus
Tentaſſem ratibus, nec vaſto in gurgite vela
Tendere, ſed Mellæ tenuiſſem parva fluenta,
Hic ubi Chinæas arces, atque arma, viroſque,
Et fines latos canerem, terramque feracem
Tot frugum, & ferri venas. Urbs condita ab alto
Sanguine Cenomanum ducit genus, aſpera bello
Quæ fuit, & lætis Italos ſucceſſibus auxit.

Quoniam vero ſuſpicari quis poſſet, Manutii illud de Gambaræ Poemate judicium a nimia hominis ad ipſum Gambaram ſcribentis facilitate, & humanitate profluxiſſe, liceat in novum exemplum fœtum Poetæ noſtri Benacenſis adducere, Joſephi, inquam, Milii Voltolinæ Saloenſis, qui Hortorum culturam Epico carmine cecinit. Paucula ex eo hic afferam verſus (ſat multi ſuo loco recitantur) Nuncupationis, Invocationis, & Partitionis ipſius Operis exordia tantum deſignantes.

Huc teneræ, huc huc ferte pedem, mea flamma, puellæ,
Eſt quibus Hortorum cordi cura, huc, precor, omnes
Currite; Tuque adeo Sociæ pulcherrima gentis,
Virginei decus una chori, Iſabella, venito.
Hortorum hic cultus diſces; quid ſcilicet Hortos
Perpetuo lætos faciat bene olentibus herbis &c.
Bonfadi pia Muſa, colis quæ hæc frigida Tempe,
Antraque opaca, ſonans rapido qua flumine Cliſis
Gazano vicina tuo prata irrigat, umbras
Inter ubi, nemorumque comas zephiritides auras
Perpetuo tecum, comites tibi ludere fama eſt &c.

Huc

Huc niveis allabere pennis,
Hicque mihi, teneras mecum miſerata puellas,
Da canere Hortorum cultus, faveaſque canenti &c.
Quam velit Hortus humum; quæ illius cura colendæ;
Ponere quo ſepes deceat; quoque ordine vites;
Nobilis hic optet quas ſedes quælibet arbor;
Et quæ, quotque modis, hinc condimenta parentur;
Semina delectu cultæ quo credere terræ;
Quique herbis locus edulibu', qui floribus aptus;
Naſcentis quæ cura oleris, qui cultus alendo &c.

Milium noſtrum eo in Poemate ſuperaſſe Veteres omnes, qui de Hortorum cultura præcepta doctiſſime, & elegantiſſime literis mandaverant, & Columellam quoque, qui id ipſum Poeticis numeris diligentiſſime præſtiterat, affirmat Euphraſtus in Epiſtola Poemati illi præpoſita. An autem Nicolai Rapini, qui poſt ipſum de eo ipſo argumento celebratiſſimum Poema condidit, Muſam æquaverit, ſuo loco aliorum judicio relictum eſt. At dubitari nequit, Saloenſem Muſam multum abfuiſſe ab ea animi exultantia, qua Rapinus poſt jactatam in Præfatione multis, multiſque verbis ſuſcepti a ſe Operis arduitatem, perinde ac ſi ipſum Virgilium, alioſque omnes poſt ipſum Poetas deterruerit, deinde in Prologo ſecundi libri ita ſibi plaudit, ut quercus ipſas frondoſa cacumina, unde meritam ipſe capiti ſuo coronam imponat, inclinare jam cernat, & ſylvas jam audiat læto fremitu, aſſenſuque ſecundo reſponſare. Saloenſis noſtri Poema Rapino ignotum fuiſſe, nil mi-

mirum, quum Brixianos ipſos nihil de illo reſciviſſe, ex Cozzandi Bibliotheca, in qua omittitur non Poematis tantum, ſed & Scriptoris mentio, facile pateat; at Columellæ Poema Rapinum ignoraſſe, haud parum miremur. Pari ratione dignum admiratione eſt, Poema de Columbi Navigatione ab Ubertino Carrara ætate noſtra compoſitum, & Æneidi ipſi Virgilianæ a quibuſdam par habitum, in Arcadiæ Romanæ Olympicis ludis celebratum a quopiam reperiri his verſibus,

Primus hic Eudoxus, qui carmine per mare magnum
Auſus ad ignotas Columbum ducere terras.

Gambaræ noſtri Poema tum Editiones plures, tum Epiſtolæ Manutii, tum ſexcenta Scriptorum ea ætate teſtimonia, lippis, & tonſoribus notum reddiderunt, ac propterea in eo detegendo non adeo laborandum, ac Columbo fuit in illa ſua ad novum Orbem Navigatione. Ejuſdem argumenti Poema poſt Gambaram ſcripſit etiam Julius Cæſar Stella ſuo loco in hoc Opere laudatus, ſaltem libros duos priores, quos doctis Viris ſui temporis admodum probatos fuiſſe, abunde teſtatur Epiſtola Franciſci Bencii eis libris præfixa. Si quis tria hæc Poemata Gambaræ, Stellæ, & Carraræ inter ſe comparaverit, nihil fortaſſe Brixianorum Poetarum gloriæ (nam Stella quoque pro Brixiano habendus) officiet poſtremum, licet ei improbum quadraginta annorum laborem Carrara ſacraverit, & licet ſingulis annis ejuſdem librum unum in frequentiſſimo, lectiſſimoque

Vi-

Virorum conſeſſu, toto plaudente theatro, Romæ conſueverit ipſe recitare.

Atque hi ſunt, quos arcem ipſam obtinuiſſe ejus diſciplinæ, quam ingenii ſui fœtibus in altera hac Operis Parte memoratis excoluerunt, Brixiana gloriatur literatura. Sua & aliis Scriptoribus in eadem recenſitis decora minime defuiſſe, facta ſuis locis de ipſis mentio comprobabit. Certe Quintiano Stoæ laurea Corona, e Ludovici XII. manibus recepta, non defuit. Sabæo ornamento fuit Bibliotheca Vaticana, in cujus cura ſeptem Romanis Pontificibus inſerviit, quamque collectis ex Septentrionalibus etiam peregrinationibus ſpoliis ditavit. Taberium Aldi Manutii judicium honeſtavit, quum ab hoc dignus habitus fuerit, cui in eo doctorum Virorum proventu, quem ætas illa ferebat, ſuam Stephani de Urbibus Editionem inſcriberet. Græcarum literarum peritia plures alios Taberii cives exornavit, inter quos T. Proſper Martinengus in condendis Græcis carminibus ita excelluit, ut ipſum Pindarum referre, quorundam judicio, cenſeatur. Homerus, Heſiodus, & Ariſtophanes Brixiano prælo debuerunt, ut primum ab his etiam legi poſſent, qui Græcam linguam ignorabant. Andrea Marone non alius in extemporali fundendi carminis facilitate præſtantior, ita ſentiente, cum Eruditorum ejus temporis caterva, Leone X. qui eximiis animi ſui virtutibus, politioris literaturæ, quin Poeticæ illius extemporalitatis laudem, teſte Jovio, conjunxit. Bar-

tho-

tholomæo Parthenio, & Bonifacio Bembo ex Academia Romana, in qua publice docuerunt, decus acceſſit. Pater Octavius Pantagathus, decus ipſe fuit non Brixianæ tantum, ſed Romanæ quoque Urbis, nam hæc, ut diſerte ſcribit P. Manutius ad Octavianum Magium, huic non tanti eſſe debebat, quia Roma eſt, quæ præſtantes olim Viros tulit, Imperii terminos cum Oceano conjunxit, quanti ob unius hominis conſuetudinem, cujus eſt humanitas doctrinæ par, doctrina vero, quæ poteſt eſſe, maxima. Is eſt Octavius meus, qui Urbem, a qua cæteri honeſtantur, ſua ipſe virtute nobilitat. *Locum autem in hac Operis Parte invenit ob inſignem, quæ illi minime defuit, Poeticæ diſciplinæ peritiam. Academiam* Occultorum *dictam, quæ Brixiæ ea ipſa tempeſtate floruit, Latinos verſus, Hetruſcoſque ſuaviſſimos protuliſſe, fidem faciunt evulgatæ eorum carminum Collectiones. Tandem Laura Cereta, Veronica Gambara, & aliæ doctiſſimæ Mulieres effecerunt, ut Brixia non hominum tantum, ſed &* Feminarum Academia *appellari meruerit.*

Tot, tantiſque Viris, ſi Lector miretur, minime hoc loco conjungi Vincentium Madium, docti, & celebris Commentarii in Ariſtotelis Poeticam conditorem, ſciat, locum ei aſſervatum fuiſſe in tertia hujus Operis Parte, quæ Philoſophica complectetur. Fuit enim Madius noſter, ut plures, & præſertim Sigonius eum appellarunt, Philoſophiæ Italicæ lumen.

PARS

PARS SECUNDA
GRAMMATICA, ORATORIA, POETICA, PHILOSOPHICA
COMPLECTITUR.

GRAMMATICA.

QUONIAM Grammaticæ potiſſimum Artis ſubſidio Brixiani Scriptores vindicandis ab interitu Poetis, de quibus in prima hujus Speciminis parte dictum eſt, operam ſuam contulerunt, poſteriorem hanc ab ea ipſa Arte exordiemur, illico oſtendentes, quam præclare in illa quoque excolenda eorum hominum ingenia deſudaverint; utque ſemel initam ſcribendi rationem ſectemur, Brixianæ ditionis fines, prout occaſio feret, identidem prætergreſſi, aliorum etiam doctorum Virorum in ea Sparta adornanda labores, & ſtudia inſpiciemus: unde, quinam fuerit rei Grammaticæ id temporis ſtatus, dignoſcatur, & cujuſce generis Inſtitutiones illæ, quas pueris imbuendis oriens Typographia in literarios ludos invexit.

Pylades Buccardus, quem de Poetarum Latinorum Principe M. Accio Plauto egregie meritum Brixiana, ut vidimus, literatura in ipſo hujus Operis exordio in medium protulit, hoc pariter loco primus omnium prodit, Grammaticæ Arti ſuppetias ferens adverſus Alexandri de Villadei Doctrinale, quod, Arti licet illi tradendæ parum, aut nihil opportunum, maximam tamen apud Ludimagiſtros auctoritatem obtinebat, ac

proinde puerorum manibus assidue in Scholis terebatur. Jam siquidem in iis valere jussi fuerant veteres Grammatici, quos in unum collegit præter Heliam Putschium Antuerpiensem, & Joannem Theodorum Bellovacum memoratos a Fabricio Bibl. Lat. T. 2. l. 4. c. 7. Lucas Panetius Olchinensis, de quo in priore hujus Operis parte dictum est, testatus in Epistola Nuncupat. ad Franciscum Rhainerium, se de eorum Grammaticorum medio tetra verborum portenta, collatis multis exemplaribus, sustuliisse, & varia passim loca Cimmeriis obducta tenebris illustrasse. Ita ipse in Veneta Editione an. 1522.

Alexandri Doctrinale cum Commentario, in ditione Brixiana, scilicet Collibus Vallis Trumpiæ, impressum an. 1526. mihi exhibent Gabrielis de Fracacinis typi, qua ex Editione Procœmium afferam, quod satis erit ad demonstrandum inepti hominis ingenium, ac propterea susceptæ a Pylade operæ in eo oppugnando emolumentum.

Opus Alexandri Grammatici pro eruditione puerorum.

Liber primus incipit.

SCribere clericulis paro Doctrinale novellis.

Quia textus est planus, non indiget explanatione; sed tamen pro forma servanda in sequentibus sic construe: Ego magister Alexander paro scribere Doctrinale, idest librum dantem doctrinam novellis Clericulis, idest Scholaribus, & non pro provectis hoc Opus scribitur, sed pro rudibus.

Pluraque doctorum sociabo scripta meorum.

Construe: Ego sociabo plura, idest multa scripta meorum doctorum, idest magistrorum. Hoc dicit ad arrogantiam evitandam, ut ostendat quod scripturis præstantium virorum, & non propriis auctoritatibus est valiturus.

Jam-

Jamque legent pueri pro nugis Maximiani,
Quæ veteres ſociis nolebant pandere caris.

Ideſt hæc per me ſcribenda legent pueri pro nugis, ideſt loco nugarum Maximiani, qui fuit Scriptor fabularum; quas res veteres, ideſt antiqui nolebant pandere ſociis caris; qui ita caras habebant, ſeu tenebant has nugas, ut & cariſſimis occultarent illas. Ideo dicit, hunc librum legent loco illarum nugarum, ſcilicet fabularum.

Præſens huic Operi ſit gratia pneumatis almi,
Me juvet, & faciat complere quod utile fiat.

More boni Catholici Spiritus ſancti gratiam invocat dicens: gratia almi pneumatis, ideſt ſancti Spiritus adſit, ſeu præſens ſit huic Operi, & juvet me ad hoc Opus, & faciat complere Opus, quod fiat utile legentibus.

Si pueri primo nequeant attendere plene,
Hic tamen attendat, qui doctoris vice fugens,
Atque legens pueris layca lingua reſerabit,
Et pueris etiam pars maxima plana patebit.

Sed ſæpius dixit pueros hunc librum lecturos; & pro illis eundem ſcribere, ideo tacito dicitur: ſi pueri novelli nequeant prima lectione attendere, ſeu hunc librum intelligere, attendat ille, qui eſt vice fungens doctoris, ideſt repetitor, vel magiſter lecturus. Atque perlegens hunc librum pueris reſerabit, ideſt declarabit eiſdem lingua layca, ideſt vulgari: poſtea non erit magna difficultas in libro, quia etiam ſicut magiſtro maxima pars libri patebit plana, ideſt manifeſta, & clara erit pueris. Hoc dicit, ne timore difficultatis ommittatur liber ſuus.

Voces in primis, quas per caſus variabis,
Ut levius potero, te declinare docebo.

In iſta parte incipit Auctor dare ordinem libro ſuo &c.

Alexandri de Villadei ætas deſignatur a Gerardo Joanne Voſſio Art. Gram. l. 3. c. 29. ubi ſcribit, eum vixiſſe ſub Friderico anno 1240. Ætas autem Maximiani, quem Scholis ejicere, ac tyronum manibus extrudere, ſibi propoſitum fuiſſe, fatetur Alexander, ad Anaſtaſii

Imperatoris tempus refertur ; iſque ipſe eſt , cui Viri docti tribuunt Elegias VI. ſub Cornelii Galli nomine paſſim editas. Præclarum autem eſt elogium, quo Lilius Gyraldus, velut una fidelia duos parietes dealbans , ambos illos Grammaticos , Maximianum , & Alexandrum , exornavit, de Poet. Hiſtor. Dial. 4. Maximianum *nugatorem*, *& nebulonem* appellans, *cujus & inſignis Grammaticæ nugator Alexander nugas irridet*.

Annotationum libellum , quo Pylades noſter Alexandri nugas confutandas ſuſcepit , Jacobus Britannicus typis ſuis Brixiæ publicavit an. 1500. cum Epiſtola Nuncupatoria ejuſdem Pyladis ad Heliam Capreolum, Virum illum excellentem, quem merito his verbis Pylades in ea Epiſtola compellat : *Sed cui præcipue Annotationes has noſtras inſcriberemus, quum nemo ſe offerret, tu unus, Helia generoſe, ac facundiſſime, præ cæteris omnibus dignus viſus es , qui in humanitatis ſtudiorum, ac philoſophiæ campo ab uſque adoleſcentia ferventibus rotis decucurriſti, metamque ipſam ambabus manibus comprehenſam detines ; id quod & pleraque alia luculentiſſima a te primo edita Opera comprobarunt , & quod poſtremo in tua hac Lunatenſi Prætura candidiſſima, tanquam a forenſium cauſarum difficillimis laboribus in hortulum deliciarum relaxandi animi cauſa ſecedens , De honeſta voluptate , lucubraſti , elegantiſſimum id quidem , & nullis antiquorum conceſſurum*. At de Helia Capreolo pluries redibit ſermo. Integra nunc ea Epiſtola afferenda ex Editione illa Brixiana an. 1500.

Pyla-

Pylades Brixianus Heliæ Capreolo Oratori excellenti, & Lunatenſi Prætori S. D.

QUæſitum eſt ex me non ſemel, ſed ex amicis quoque, & conſpiratoribus noſtris quæri quotidie a multis Grãmaticæ Profeſſoribus audio, Helia Capreole, bonarum litterarum, & ingenuorum ſtudiorum cultor, & propagator, quid eſt, quod a me compoſitum, & aheneis litteris impreſſum fuerit Carmen Scholaſticum, de nominum Declinationibus, Generibus, atque Heterocliſi, tum de verborum præteritis, & ſupinis, ac de heroici, & elegiaci verſuum compoſitione, & ſyllabarum quantitate præcipiens; quum Alexandri Teutonici Volumen exſtaret de his, atque aliis diſſerens, jamdudum ab univerſo, ut ita dicam, mundo receptum, atque in omnibus ſcholis perlectum. Quibus ego quod reſponderem nihil habens, niſi quod veritas ipſa ſuadebat, plerumque, ac ſæpius iterando reſpondi: ejuſmodi me laborem ſuſcepiſſe, publicæ utilitatis cauſa, quum plurima in Alexandri Codice illo vulgatiſſimo, ac celeberrimo vidiſſem, minus quam utiliter, quam Latine, quam recte præcepta, & quæ a pueris delibata, quum poſtea adoleviſſent, dediſcere, & tamquam potionem ſtomacho contrariam eructare, atque expuere oporteret. Et quamquam iſtorum oculis non parva interdum illius errata ſubjiciendo, idipſum apte comprobaverim, quum ea nullis fuerint ſcriptis commendata, ſoluto ſtatim colloquio, in auras veluti abierunt, parvamque, aut nullam apud eos fidem conſequuti ſumus. Quo factum eſt, ut non paucis rurſum litteratorum, & amicorum precibus coram, & abſentium epiſtolis ſollicitati, decreverimus omnibus tandem ſatisfacere, & quæ nobis lectu, doctuque indigna in Alexandri Opere viſa ſunt, currenti calamo perſtringere; de iis tamen dumtaxat illius Voluminis partibus judicantes, in quibus & noſtrum obverſatur Opuſculum. Sic enim fiet, ut & conſilium noſtrum, quo ejuſmodi provinciam ſcribendi deſumpſimus, fortaſſis non improbetur, & tantis moleſtiis aliquando cum amicis ſublevemur. Sed cui præcipue Annotationes has noſtras inſcriberemus, quum nemo ſe offerret, tu unus,

Helia

Helia generoſe, ac facundiſſime, præ cæteris omnibus dignus viſus es, qui in humanitatis ſtudiorum, ac Philoſophiæ campo ab uſque adoleſcentia ferventibus rotis decucurriſti, metamque ipſam ambabus manibus comprehenſam detines; id quod & pleraque alia luculentiſſima a te prius edita Opera comprobarunt, & quod poſtremo in tua hac Lunatenſi Præfectura candidiſſima, tanquam a forenſium cauſarum difficillimis laboribus in hortulum deliciarum relaxandi animi cauſa ſecedens, De honeſta voluptate, lucubraſti, elegantiſſimum id quidem, & nullis antiquorum conceſſurum. Eas igitur Annotationes noſtras tuo, ut diximus, nomini nuncupatas, qua cætera ſolitus es trutina, quum libraveris, quidquid ineptum offendes, obelo tuo acutiſſimo confodito. Tum reconcinnatas, ac ſapientiſſimo, quo polles, judicio deterſas, in tuam ſuſcipito clientelam; neque enim te protectore in vulgus, vel infidum, vel inſulſum prodire verebuntur.

Pyladi noſtro adverſus Alexandrum prælianti ſeſe ſocios intuliſſe, junxiſſeque velut agmina quam plures, certo conſtat, inter quos mihi occurrit Jo. Deſpauterius Belga, Grammaticorum ſuæ ætatis princeps, ut vocatur a Voſſio Art. Gram. lib. 3. c. 19. his verbis Præfationem in primam partem ſuæ Grammaticæ exorſus: *Poſt linguæ Latinæ a Gothis, aliiſque Barbaris miſerabiliter laniatæ, ac propemodum extinctæ, per neotericos inſtaurationem a Divino Numine præſtitam, Alexandri Doctrinale doctiſſimo cuique viſum eſt puerorum lectione indignum, utpote nimis tenebroſum, citra utilitatem prælongum, plerumque etiam barbarum, inſufficiens, & falſum. Quo circa ut Alexander undique exularet, cœperunt plerique Grammaticam latiniorem, verioremque ſcribere.* Eundem Deſpauterius in Præfat. ad Artem Verificatoriam ita fugillat: *Multa poſſem in hunc modum illius ſæculi anilia referre, quo natus eſt Alexander Gallus,*

lus, cujus Opus Doctrinale inſcribitur, circiter annum Domini milleſimum ducenteſimum, quo tempore barbaries toto mundo dominabatur uſque ad tempora Franciſci Petrarchæ. Et in Epiſtola quadam, quæ illico poſt Præfationem illam ſubſequitur, hæc habet: *Clamant indocti homines, rem me indignam feciſſe, quod repudiato Alexandri Galli Doctrinali voluerim ſenem illum de ponte (ut ajunt) dejicere. Vociferantur, me eſſe novitatis fatuæ excogitatorem, ut qui contra Eccleſiæ uſum plurima perverſiſſime doceam. Decani, Canonici, Officiales, Epiſcopi ita canunt, & legunt (inquiunt iſti) ut Alexander præcepit, & audes profiteri te his doctiorem? Qui hæc obducto in me ſupercilio clamitant, indoctiſſimi ſunt.*

Non uno autem loco Alexandri barbariem, potius quam hominis, ſæculi vitio tribuendam Deſpauterius monuit, nam in Epiſtola Syntaxi præmiſſa diſertis verbis faſſus eſt, ſe de Alexandro id ipſum ſentire, quod de Actio, & Pacuvio Quintilianus, illum videlicet rudem fuiſſe non ſua culpa, ſed temporum, quibus res literaria pene interierat. In æquo hoc de Alexandri barbarie judicio Deſpauterio, aliiſque præiverat Pylades noſter, qui Annotationes ſuas hunc in modum exorditur: *Alexander de Villadei natione Teutonicus, & ut accepimus, vir alioquin bonus, & Chriſtianæ religionis cultor, atque ut illis temporibus, quibus Latinæ literæ pene funditus perierant, pro illarum inſtauratione ſtudioſiſſimus, & accuratus, citra tamen Græcarum literarum cognitionem, nec parva apud me laude dignus, qui, quantum in ſe fuit, rem publicam juvare nixus eſt.*

Neque vero his tantum in Alexandrum Annotatio-

nibus Pylades ipſe rem Grammaticam juvit, ſed novum inſuper Opus contexuit, quod Grammaticarum Inſtitutionum Regulam, & Carmen Scholaſticum inſcripſit, ut in illa ad Capreolum Epiſtola nos monuit; exſtatque pluries impreſſum Brixiæ, atque Venetiis. In tertia Editione, quam ad manus habeo, ſcilicet Brixiæ an. 1498. per Jacobum Britannicum, Pylades Lectorem alloquens conqueritur, Brixianum primum impreſſorem vix dum in utero conceptum fœtum, atque immaturum educentem, nil niſi abortivum efficere potuiſſe; Venetum autem in ortu ipſo, neque lotum, neque initiatum adhuc, primos vagitus edere incipientem, atque anonymum ad immaturam virilitatem tollere feſtinaſſe; at in ea tertia Editione provectiorem, & ſuo cum nomine cultiorem exire gratulatus, Criticorum latratus nauci faciendos declarat: *Dum tamen* (inquit) *hæc & Ludovico Martinengo ingeniorum ſolertiſſimo cenſori, & Lucæ meo Tertio caſtigatiſſimæ eloquentiæ fonti celeberrimo, ac Joanni Taberio utriuſque linguæ parenti, tibique, Britannice Joannes, Latinitatis decus, paucis dein bonarum literarum ſectatoribus vel placuerint, vel ſine Rhinocerotis naſo fuerint perlecta.*

Ludovici Martinengi laudes fuſius proſequitur Daniel Ceretus in Brixianæ Urbis Panegyrico, eaſque ab his verſibus orditur:

Sed quibus auſpiciis nunc te, Ludovice, canemus
Inter Martigenas gloria prima Viros?

Ejuſdem in literas, & literatos favor, ac munificentia ibidem in hunc modum celebratur:

Prætereo quam larga tuæ ſint munera dextræ,
Quæ tribuis doctis maxima ſæpe Viris.

Inde

Inde fit, ut cunctis Mecœnas vatibus alter
Dicaris, nomen concelebrentque tuum.
Nil nisi te nostri gaudent meminisse Poetæ:
Nil nisi Martigenam condecorare domum.

Eum Panegyricum Ceretus ipsi Ludovico dedicavit, cui Lucas Tertius Epistolam præposuit, ceu alteram ad eundem Ludovicum nuncupationem, qua Patronum, ac Mæcenatem suum, studiosorumque omnium eundem appellat.

Versus quosdam, quibus Pylades Operis sui frontem, & calcem exornavit, placet recitare.

Ad generosum, magnificumque Veneti Nominis
Patritium Ludovicum Martigenam,
Pylades Brixianus.

En tibi, Martigenæ decus insuperabile gentis,
Aonii fautor, præsidiumque Chori,
Clara quod incipiant tua discere pignora carmen,
Quos male Teutonico non cupis ore loqui.
Hoc, licet exiguum, Pylades tibi muneris offert,
Cui nil, quod posset tradere, majus erat.
Miscuit ille tamen parvo sua corda libello,
Ferre parat Domino dum pretiosa magis.
Suscipe, & hunc rabidis a vulgi morsibus, oro,
Protege, Martigena vindice, tutus erit.

Pylades Joanni Britannico suo Sal. D.

Imbuere institui Pylades quo Nestora dulcem
Filiolum, teneris prorsus ab unguiculis;
Ne fera barbaries multos bacchata per annos
Hunc quoque Teutonicum donet habere sophos:
Ad te (quidquid id est) facunde Britannice, mitto,
Quo non in toto est carior orbe mihi.
Ut tua, quæ semper communia pignora duxi,
Si placet, bis ipsis instituisse queas.

Præterea ad Scholarum usum breve Vocabularium, metricis legibus vinctum, Pylades composuit, quod

his verſibus Scipioni Tertio Brixiano nuncupavit, & Brixiæ impreſſit Jacobus Britannicus an. 1498.

Ad Scipionem Tertium Patritium Brixianum Mercatorum Conſulem æquiſſimum Pylades.

Scipio certa meæ ſpes, & tutela ſenectæ,
Quo Pylades ſalvo triſtia nulla timet:
Accipe non longo digeſta vocabula tractu
Verborum, & paucis multa recepta modis.
Quæ modo lecta probes, non & diſcenda pigebit
Dulcibus hæc natis præpoſuiſſe tuis.
Ut quibus ingenium, probitaſque paterna refulget
Mox & in his, Latium fulgeat eloquium.
Hæc tamen in partem tibi, cui debere fatemur
Maxima, de loculo paupere parva damus.
Tradere quum Superum nutu majora licebit,
Vivet in officium mens animoſa ſuum.
At tu Brixiacæ Gentis juſtiſſime Conſul,
Quo Mercatura eſt Judice læſa nihil.
Dux quoque, & aſſertor noſtri ſis, quæſo, libelli,
Si quid in hunc morſu livida turba paret.

II. Quamvis nullus dubitandi ſit locus, Joannem Britannicum grato animo excepiſſe Pyladis Grammaticam, quam ejus etiam liberis imbuendis Pylades opportunam cenſuerat, ut fidem fecit recitatum Epigramma, certum tamen eſt, & ipſum Britannicum ejuſdem generis lucubrationem ſcripſiſſe ad inſtitutionem Darii, Hippolyti, & Pomponii filiorum ſuorum, nam eas Britannici Regulas cum ea inſcriptione Angelus, & Jacobus Britannici fratres Brixiani impreſſerunt an. 1493. Iiſdem Epiſtola ad Marcum Civilem Brixianum præfigitur, qua veheementer dolet Britannicus quorundam hominum invidia, & iniquitate famam ſuam ita peſſumdari, ut vel Commentaria a ſe edi-

edita in Perſium, & in Achilleida Statii plagii nomine traducantur. Marcum Civilem in Brixiæ Panegyrico Ceretus hoc Diſticho commendat:

Singula facundi quis poſſet dicere Marci,
Civilem gaudet qui decorare domum?

En ipſa Britannici Epiſtola:

Joannes Britannicus Brixianus Marco Civili Brixiano
ſalutem P. D.

ETſi mihi exploratum erat, Marce Civilis, omnium fere Scriptorum iniquam eſſe conditionem, quod quanto excellentius quis in vulgum aliquid ederet, ſuaque ipſius plurimis prodeſſet induſtria, tanto in ſe ardentiorem eorum concitaret invidiam, qui quum nihil egregium, nihil magnificum ſuo ipſi ingenio, quod obtuſum a natura ſortiti ſunt, excogitare queant, alienis ſemper & virtutibus, & ſtudiis obtrectant: exiſtimavi tamen inſtituti mei rationem nullo prorſus modo omittendam, quin per easdem orbitas induſtriæ meæ curriculum agerem, per quas quoad mihi per ocium licuit, hucuſque nec ſine laude bonorum egimus. Omne enim, quod mihi a cura, & re familiari, procurandoque cultu liberorum meorum datum eſt & ocium, & tempus ita ſtudiis impertivi, ut (quod volebat Plato) non tam mihi ea ſoli eſſe fructuoſa voluerim, quam cæteris aliis. Eum enim demum ego ſemper miris extollendum laudibus cenſui, qui pro ingenii ſui captu Latinæ linguæ rationem juvare, & ad communem humani generis utilitatem augere ſtuduerit. In quo, etſi multi & ante, & noſtris temporibus egregiam navavere operam, nec minorem apud bonos laudem aſſecuti ſunt, quam eorum labores exſtitere, malorum tamen, & improborum, qui non minus alienæ felicitati, quam araneoli muſcis inſidiantur, morſus, & horrendos latratus vitare non potuerunt: tanta ſemper probos Scriptores comitatur invidia, & iniquitas. Quid enim ſceleſtius iis judices, qui non ex re, ſed ex ulcerato, & malis venenis imbuto ſtomacho alienos labores æſtimant? Iniquiſſimi omnino eſt animi, eorum velle induſtriam deprimere,

qui, etſi forte minus feliciter, quam optime tamen poſſunt, operam dant, ut publicitus bene conſultum ſit. Quibus quidem incommodis, quum pleroſque Scriptorum, & noſtris, & priſcis temporibus agitatos fuiſſe animadverterem, putavi ego æquiori animo fortunam meam ferendam, ſi & aliquando mihi in hujuſmodi ſtudiis multa exſtitiſſent adverſa. Tam multi enim editione Commentariorum noſtrorum cum in Perſium, tum in Achilleida Papinii offenſi ſunt, ut nihil unquam mihi moleſtius fuerit, quam falſos eorum rumores audire, quos adeo impudenter diſtulerunt, ut quum nihil, aut parum haberent, quod in illis reprehenderent, neque (ut iniqui ſunt) vellent probare, non dubitaverint nefarii luſcii, omni devorato pudore, me furem appellare, & dictitare de meo nihil prorſus dediſſe, ut quum ipſi neque ingenium ullum, neque ullum nominis ſplendorem unquam habuiſſent, maledicendo meum quoque, ſi poſſent, obſcurarent. In quo uno malo id mihi jucundiſſimum fuit, quod iſti dicaculi Timones, ut ignorantiæ, & *noxæ ſuæ* conſcii, quum mihi occurrunt rigida, & obſtipa *cervice gradiuntur*, nec eum intueri ſuſtinent, quem impie homines nullo numero læſerunt. Qua quidem in re bene mecum agitur, quod ſcelerum ſuorum pœnas amariſſimas ſceleſti luſcii, & nugones luunt, eorum enim præcordia novis lucubratiunculis noſtris exulcerantur; & ita exulcerantur, ut quum nos Regulas breviſſimas ad puerorum eruditionem non minus diligenter, quam benigne conſcriptas edidiſſemus, non potuerint vulnerum ſuorum dolores diſſimulare; coacti enim ſunt, urgentibus invidiæ ſtimulis, clamare, in Regulis trecenta ineſſe errata, & ea in latibulis dictitare, quæ & pravam eorum in me voluntatem, & profundam ingenii ſui ignorantiam detegerent. Nam quæ nos in Regulis non ſine probatiſſimis rationibus correximus, ipſi denſiſſimo ignorantiæ *nubilo* obvoluti errata putaverunt. Eorum me profecto *inſcitiæ* miſeret, pudetque: tanta enim eorum animos fatigat invidia, ut præcipites oculis etiam apertis ferantur. Statui itaque, nonnulla, quæ iſti malivoli vituperant, hic annotare, ut ipſe, qui in his noſtris ſtudiis non minus Græca, quam Latina litteratura es eminentiſſimus, cognoſcas, vitio ne, an virtuti dandum

ſit

fit quod ipſi perfidiſſime inſectantur. Eos tamen non pluris (ut ajunt) atque ſimias facio. Audi igitur nonnulla eorum, quæ quum puerulis non ſine maximo Latinæ linguæ dedecore traderentur, depravata correximus. Primo enim (auctoritate tamen veterum Grammaticorum) ita docebant. Propria nomina quatuor habere ſpecies &c.

In fine. Tam multa quidem in totis Regulis noſtris para doxan, & ſententiam eorum docuimus, qui hereditariam magis ſcientiam, quam aliquo ſuo ſtudio partam docent, ut non minorem me putem hoc noſtro ſtudio utilitatem attuliſſe prima litterarum tentantibus rudimenta, quam qui graviora ſectati ſunt ſtudia. Neque enim illud feliciter unquam conſurget ædificium, cujus fundamenta bene jacta non fuerint. Confido igitur labores noſtros æque omnibus iis fore gratos, & probabiles, qui veros Latinitatis fructus guſtarunt, nulloque livoris ſtimulo premuntur. Sed quum in hac noſtra florentiſſima Urbe multi exſiſtant, qui bonarum Artium ſtudia apprime colant, optimeque de re litteraria ſentiant, tu tamen mihi, Marce, ſolus viſus es, cujus cenſuræ hoc qualecunque induſtriæ noſtræ munus ſubjicerem. Ea enim es eruditione, eoque animi juxta, ingeniique candore, ut abs te de tota re ſimplex mihi, & apertum judicium ſit expectandum. Opuſculum igitur, te rogo, ea diligentia, qua cuncta conſueviſti, conſideres, & quid ſentias, aliquando nos aut coram, aut litteris tuis certiores facias. Alia a nobis brevi expectabis, quæ nunc partim ſub dolabra, partim ſub runcina ſunt. Vale, & me, quod facis, ama plurimum.

In fine autem voluminis hæc habentur:

Ad Lectorem.

Optime Lector, cui labores noſtri haud ingrati ſunt, unum hoc te ſcire volumus, nos in his puerorum inſtitutionibus brevitatem maxime ſecutos eſſe, ne multa multis addendo, quod noſtris temporibus plerique fecerunt, adoleſcentium magis defatigarem ingenia, quam adjuvarem. Neque enim ignoras, teneras puerorum mentes ad hæc rudimenta facilius compendioſo, & recto, quam longo, & perplexo tramite perduci. In toto tamen Opere, ſi quid forte, aut minus illuſtre, aut minus tritum viſum fuerit, optimi erit præ-

præceptoris id pueris clarum reddere. Satis eſt a nobis (ni fallimur) omnia non minore diligentia , quam fide eſſe præſcripta. Illud etiam a te poſcimus , ne ſimios quosdam caudatos audias, qui anxii, omnique invidiæ flagrantia æſtuantes nos perſequuntur, aculeataque , ſi poſſunt, flagellant cauda. Quum enim quæ nos optime ſcripſimus, non intelligant, omnia invertunt, confundunt , fœdant , & ſpurcas imitati muſcas, ſapidiſſimum culinæ nidorem relinquunt, purulenta ulcera ſectantur. Si qua enim minus digna ineſſe putant, in illis pedem figunt , immorantur , invigilant , non abſcedunt vel defeſſi. Si qua digna laude ſunt, ut cæci , & lividi illa prætereunt , in illis connivent , in illis ſomniculoſi ſunt. Nihil denique omittunt, quod calumniis ſuis non perſequantur. Ajunt enim, ut unum tibi ex trecentis erratis, quibus me apud miſeros pueros convictum habent, aperiam, me negare comparativum poſſe referri ad unum ſui generis. In quo (bone Deus) quam inique agant, attende, obſecro. Dixi enim ego, comparativum referri ad unum, neque addidi, ſui, neque alieni generis, ſed ad plura, non ſui generis. Illæ autem ut nullius doctrinæ larvæ , me putaverunt dicere etiam de uno. Quis enim neſcit, poſſe referri ad unum, & ſui, & alieni generis? ut, Marcus doctior eſt fratre; &, Antonius condiſcipulo ſuo. Sed ſimios cum cauda ſua relinquamus. Tu autem, optime Lector, bene valebis, & Britannicum tuum amabis, qui de omnibus litterarum ſtudioſis bene mereri gaudet.

III. Novum Grammaticarum Inſtitutionum conditorem in Chriſtophoro Barzizio Brixiana protulit literatura. De eo, ejuſque Grammatica dictum a nobis eſt in ſuperiore parte hujus Speciminis p. 106. Alium eſſe a Bergomate ejuſdem nominis, Medicinæ in Patavino Gymnaſio Profeſſore, certos nos facit Heliæ Capreoli in Hiſtoria ſua teſtimonium , Danielis quoque Cereti in Panegyrico , & ut reliqua omittam , ipſius Chriſtophori libellus De fine Oratoris, Heliæ Capreolo nuncupa-

cupatus, de quo infra. Editionem Grammaticæ Barzizii, quam ex Annalibus Typographicis citata p. 106. allegavimus, ad manus nunc habemus cum hac ſcilicet nota: *Impreſſa Brixiæ per Bernardinum Papienſem, & Cæſarem Parmenſẽ III. Non. Martias MCCCCLXXXXII. quo die & Brixiani Palatii fundamenta ſunt poſita.* Opus illud Chriſtophorus nuncupavit Ludovico Martinengo, quem paulo ante laudatum a Pylade vidimus, eumque haud parcius commendat Chriſtophorus, veræ nobilitatis, omniſque præſtantiæ ſpecimen appellans, inſignem, atque magnificum Virum, quem non magis Majorum amplitudo, atque res geſtæ, quam ſua ipſius virtus, & animi præſtantia illuſtrarent. In ea Epiſtola Chriſtophorus materiæ, de qua diſſerit, humilitatem excuſans, eam tamen eſſe affirmat, ſine qua ad altiorem quamlibet diſciplinarum aſpirare non liceat; ſubditque, ingenti Scriptorum turba ſe minime deterritum fuiſſe a ſcribendo, ſed invitatum potius ad ſcribendum, exemplo ſcilicet illorum, qui poſt ſuperiorum temporum Grammaticos nova moliti rudimenta minime ſunt veriti.

Epiſtola ipſa ita ſe habet:

Præclaro, & generoſo Viro Ludovico Martinengo Brixiano Patritio,
Chriſtophorus Barzizius Salutem.

SCio me communem Scriptorum ſortem male audiendi non evaſurum, qui de Grammaticis rudimentis, re quidem cum genere humili, tum eorum, qui de ea vel noſtra ſcripſere tempeſtate, numero, ut videtur, expoſita adortus ſim ſcribere; quando eo injuſtitiæ pridem deventum eſt, ut docti, atque modeſti ab audaculis, indoctiſque paſſim ſecentur. Cæterum iſtiuſmodi blattarios, atque lucifugas, ut leves ſunt, veræque eruditionis expertes, facile contempſe-

rim,

rim, qui quum nihil omnino de ſe, quod probandum ſit, edere valeant, puerorum, & plebeculæ gratiolam conſectantes, pulpitarii vociferatores, veluti anteſignani, aut delecti cenſores, quæ non conſequuntur, ſcripta carpunt, atque vituperant; ſuam demum, eamque egregiam laudem ducentes, quum, ut ſua verus Author laude fraudetur, effecerint. Viris autem doctis, iisdemque gravibus, ac bonis cauſam meam haud difficile me probaturum confido. Nam quod ad materiæ pertinet humilitatem, non inficiamur Grammatici muneris tantum eſſe, Latinam, hoc eſt litteratam orationem interpretari, & facere. Sed & illud pridem in confeſſo eſt, hujuſmodi facultatem eam eſſe, ſine qua ad altiorem quamlibet diſciplinarum aſpirare non liceat. Ingens vero Scriptorum turba non me certe magis a ſcribendo deterrere, quam ad ſcribendum invitare debuit. Nam ſi poſt Varronem, Probum, Aſperum, Caprum, Feſtum, Nonium, Donatum, Servium, Priſcianum, alioſque ſuperiorum temporum Grammaticos nemo ſcripſiſſet, citra temeritatem hoc non tentaſſem. Sed ſcripſere multi, ſcribuntque in dies. Expoſita & nobis iſta eſt alea. At quiſpiam dixerit. Quid tu? Doctius ne aliquid, atque utilius, quam quæ paſſim habentur, præſumis te allaturum? Iſtud alii viderint. Hoc tantum interim affirmaverim, ſtulte hoc me ſuſcepiſſe negocii, niſi putaſſem has noſtras inſtitutiunculas, ullis, quæ ejuſmodi ſint, compendiis, deteriores non eſſe. Quod alioquin judicium tantiſper rectum cenſebimus, ſi idem quum cæteris hominibus doctis, & qui rem vere expendant, ſteterit, tum tibi, cujus nomini Inſtitutiones ipſas optimo conſilio dedicavimus, Ludovice Martinenge, vir inſignis, atque magnifice, quem non magis Majorum amplitudo, & res geſtæ, quam tua ipſius virtus, & animi præſtantia illuſtrat. Accipies itaque hoc, quicquid eſt, meæ erga te fidei, atque obſervantiæ monumentum. Quod ſane ſi per ſe æſtimetur, perexiguum eſt, vileque admodum; ſin, & cum eo exhibentis alacritas, id mediusfidius, quod tibi etiam debeat eſſe gratiſſimum. Tametſi & ſuaviſſimo Scipioni Mariæ tuo, quem tibi omnipotens Deus, Superique omnes fortunent, inque tuam, Majorumque tuorum virtutem, & gloriam immittant,

fant, erit ſuo tempore, ſpero, non inutile. Vale; veræ nobilitatis, omniſque præſtantiæ ſpecimen ſingulare.

IV. Joannes Franciſcus Stoa, conterraneis ſuis, Pyladi, Britannico, & Barzizio ſocium ſe faciens, laurea corona, qua donatus fuit a Ludovico XII. Galliarum Rege, jam decorus accedit, & Grammaticale Opus nobis exhibet de Syllabarum quantitate, quod Epographias inſcripſit. Hujus utilitatem commendant bini Brixiani Poetæ, quorum Epigrammata, primum quidem in fronte, aliud in calce Venetæ Editionis an. 1519. comparent, atque hujuſmodi ſunt.

Aurelii Clareti Brixiani
Epigramma.

Culmina Parnaſi quiſquis conſcendere montis,
Caſtalioque cupit tingere labra lacu:
Qualia vel Phœbus componere carmina, doctum
Hunc legat Auctorem, Delius alter erit.
Nam ſatur hic hauſtu largo Permeſſidos undæ,
Plenaque Apollineo numine corda gerens,
Syllaba quanta omnis, quid pes, quid littera, metrum,
Qua ſit ſcandendus verſus & arte docet.

Jacobi Gadaſci Brixiani
Hexaſtichon ad Lectorem.

Perlege Quintiani, Lector, nova dogmata Vatis,
Quæ nec adhuc juvenes, nec didicere ſenes.
Increpat hic balbos, trepidantes dicere verſus
Suſcitat, & claudos hic docet ire pedes.
Lædere ſed Vatem caveas, ſi lædere quis vult,
Suſpenſus laqueo Bubalus alter erit.

At in Operis ſui utilitate commendanda, aliiſque ingenii ſui fœtibus extollendis fines omnes exceſſiſſe videtur ipſe Quintianus, quem propterea inter glorioſos

ſos Nebulones Gyraldus De Poet. noſtr. temp. Dial. 2. reponere non dubitavit. Quintianum noſtrum nebulas, potius quam lucem, Grammaticæ rei offudiſſe, haud ita facile aſſentimur, eundemque haud ægre ab arrogantiæ nota vindicabimus, ſi ejus vaniloquentiam, exultantiam quandam ſpiritus cum Jul. Cæſare Scaligero Poetic. lib. 6. appellemus. Antequam ipſum ſua jactantem audiamus, cum eodem Scaligero animadvertimus, Quintianum in orationis aſperitate adamanda Beroaldos, ac Pium ſequutum fuiſſe, quorum vitia auxit ingenii ſui magnitudine. Philippo Beroaldo horridum eloquentiæ genus, quo rancidæ vetuſtatis vocabula, jam plane repudiata a ſanis Scriptoribus, in uſum Romanæ linguæ revocaret, placuiſſe, Paulus Jovius in Elogiis adnotavit; idque ipſum de Pio, cujus ſermo, ſtyluſque Oſcorum, & Aborigenum linguam referret; *factum autem eſt* (ſubdit Jovius) *ut ea obſoleta, & ridendæ paſſim elocutionis verba, tanquam portenta, in Scenam tranſierint, confecta ſcilicet a lepidis ingeniis mirabili fabula* (*hæc enim impreſſa exſtat*) *qua ſuo habitu, ſuoque idiomate, blaterantis Pii perſona inducitur, ab objurgante, reprehendenteque Priſciano meritas flagello pœnas, puerorum male diſcentium more, clunibus nudatis excipiens*, quo ipſo tempore, ut pariter narrat Jovius, ludis Capitolinis ſtupendo apparatu repræſentatis, Plauti Penulus per ingenuos, nobileſque Comœdos editus fuit, id expetente Leone Pontifice, quod tum frater Julianus a populo Romano civitate donaretur.

Quam magnifice de ſe ſenſerit Quintianus noſter, illico

illico innoteſcit ex Epiſtola, quâ ſuas Epographias Antonio, & Jafredo filiis Jafredi Caroli Delphinatus, & Mediolanenſium Præſidis dedicavit, rureſtre opus eas appellans, quod *rureſtri* (ait) *detentus lenocinio, nam ruri eram, & ne ſine linea prætermitteretur dies, laborioſum Opus tandem plurimis noctiſurgiis, diujejuniiſve perfeci*. Qua vero felicitate hujuſmodi Opus, & alia etiam perfecerit, in ejus Epiſtolæ fine his verbis decantat: *Feci, quod potui; potui, quod volui. Lividi emergunt, ut mihi detrahant, non facient tamen, quum meum non ſit proterminatum nomen. Multa edidi, plura editurus, & plurima. Nonne pluſquam carminum ſex millia noſtrorum edita? Nonne & diecula ſola octingentos deducere verſiculos, & mille, qui me experti ſunt, noverunt? Quot Tragœdiæ, quot Comœdiæ, quot Satyræ a me natæ luctantur egredi? Quid Epigrammata, Monoſyllaba, Diſticha, in Valerium Maximum dubitationum volumina, de Mulieribus Opera, Panegyricos, Orationes, Fabulas, Epiſtolas, Odas, Ludovici Regis vitam, Miraculorum libros ethnicorum, Endecaſyllaba, Sylvas, & Heracleam, Bellumve Venetum, & Orphea, aliaque ſexcenta enumerem? Nonne tertium, & vigeſimum agens annum, Patris veſtri munere publicus plauſibiliter auctoratus ſum Profeſſor? Nonne ab invictiſſimo Galliarum Rege Ludovico corona decoratus ſum laurea? an id factum ſine honoris adminiculo, ut quod pauci in ſenectute, & ſenio aſſequuntur, ego in quintæ Olympiadis limbo Poeta fuerim laureatus?*

In Epographia autem tertia de mendoſo quodam Auli Gellii loco differens: *Quintiani* (inquit) *periculo*

legas, a vehendo rector. *Hoc non viderunt, qui emendatum præseferentes Gellium imprimi curaverunt; quos non nomino, ne malevolos irritem, putantes nepharium, & morte piandum, si juvenis Quintianus in aliquibus melior longævis appareat. Ah duræ cervices! An ignorant & doctiores multa scire, non tamen omnia?* Et in Epographia quarta: *Hos volui* (inquit) *edidisse significatus; nil atrocius, quam in re literaria labores exantlatos injuria temporum supprimi. Deos precor immortales, ut nunquam nostris cariosa annorum series libellis noceat; quod si assecutus fuero, me olim vixisse testabitur posteritas.*

Nimius essem, si singulos ex eo Quintiani Opere locos exscriberem, in quibus exultans, suisque laboribus magnopere gaudens conspicitur. At cur *dictus* fuerit Stoa, & unde illi Quintiani nomen, minime omittendum, eoque magis, quod hujusmodi excerpta certas nobis ingerunt de illius Vita, ac Scriptis notitias. De Stoæ cognomento hæc habet Epogr. 2. c. 15. *Olim dum adolescens adhuc literis incumberem* (*absit jactantia*) *tanta mei apud omnes videbatur spes, ut in ore omnium illud frequens esset μουσῶν στόα, idest musarum porticus, & testudo, nam, quidquid conabar dicere versus erat; quod & nunc omnes testantur. Id nomen tantæ inter socios fuit assuetudinis, ut nunquam deciderit, neque decidet, dum spiritus hos reget artus.* De Quintiani autem cognomento Epogr. 4. *Dum olim* (inquit) *adolescens ipse in Musarum penario, & Camœnalibus incumberem vigiliis* (*ita dante omnium rerum opifice*) *cæteris antistare viderer, multi non spernendæ eruditionis juvenes synchro-*

ni

ni meam lubenti limam animo ſubibant , utpote quem ſuorum aſſertorem carminum dicerent , & ut alluderent ad illud Martialis dictum , me Quintianum adpellitarunt . Quod nomen ſervans augebo ; & ſi primævos ejuſdem nominis non excellere Opera noſtra demonſtrabunt , tamen illos me ſuum retinere nomen non pœnitebit . Dein veteribus illis Quintianis enumeratis , ſermonem his verbis abſolvit : *Dii faxint , ut idoneum vivam ævum (nam & ipſe ſum philobios , ideſt vitæ cupidus) nec ego ipſe inter ſæculi obliteſcam tenebras , quia tertio , & vigeſimo ætatis anno publico legendi , & vigeſimo quarto laureæ donatus munere .* Notandum hic obiter occurrit , haud recte ex hoc ipſo textu a quopiam nuperrime in dubium revocatum fuiſſe , num Quintianum , Brixianæ ditionis oppidum , Stoæ noſtri patria fuerit , quam potius fuiſſe cenſuit oppidum aliud ejuſdem ditionis , nimirum Palatiolum , quod Joanni Britannico ortum dediſſe perhibetur . Haud recte inquam , nam Quintianum ſe appellatum alluſione facta ad Quintianum , quem ſuorum carminum aſſertorem ſcribit Martialis , dum aſſerit Stoa , id nequaquam refragatur communi de illius patria ſententiæ , quam extra omnem dubitationis aleam conſtituit Joannis Planerii Quintiani auctoritas. Hic illuſtres Quintiani oppidi Viros recenſens in Opuſculo , quod brevem patriæ ſuæ deſcriptionem inſcripſit , eorundem cenſum a Quintiano Stoa incipit in hunc modum : *Floret igitur hodie , atque in æternum florebit Joannes ille Franciſcus Quintianus Stoa , Poeta laureatus , municeps , coætaneuſque meus , Vir & doctrina , & vitæ integritate inſignis , qui olim in florentiſſimo Ticinenſi Gymnaſio*

naſio magna audientium admiratione literas humaniores publice profeſſus eſt, cujuſque laudes libentiſſime nunc percurrerem, niſi ejus volumina jam triginta & amplius ab hinc annis in lucem edita ſummam præſtantiſſimi illius Viri eruditionem oſtenderent, ac perſpicuam omnibus facerent. Exſtat Epographiarum volumen maximum, nunc & auctum, & diligentius quam antea ab ipſo Auctore elaboratum. Exſtat & Chriſti Servatoris noſtri Vita, vario carminum genere expreſſa. Habet & alia propediem in lucem edenda; cujus eo libentius mentionem facio, quod non minus de patria, quam de literis meritus ſit, & ſingulari etiam benevolentia, & charitate me ipſum ſemper proſecutus fuerit. Tam apertum, atque indubitatum Planerii teſtimonium minime exploratum habuit, qui de ortu Stoæ noſtri Quintiano oppido litem movit; dumque ille ipſe opinationis ſuæ aſſertorem fecit non alium, quam eundem Stoam, utpote qui cum Britannico, quin etiam cum Pylade commune municipium ſe fuiſſe ſortitum affirmaverit; næ ille municipii vocem parum exploratam habuit, putans ad unum & idem oppidum, communicipes omnes complectens, neceſſario referendam, quum certo conſtet, latiorem eidem ſignificatum ineſſe, ut nimirum municipes, quemadmodum cives, & conterranei, non tam idem oppidum, & eandem urbem, quam eandem regionem pro patria ſortiti intelligantur.

Eum ipſum Britannicum non municipem tantum, ſed præceptorem etiam ſuum dixit Quintianus in quadam ad Epographias præmonitione, quam integram inferius afferemus. Fauſtinum pariter Cinthium audivit,

divit, nam Epogr. 4. de eo ita loquitur: *Hoc etiam in Claudianum Janus Parrhaſius adnotavit, ſed antequam Commentarios ille ſuos edidiſſet, illud adnotaſſe me Fauſtinus Cinthius præceptor meus, tum Græcis, tum Latinis literis adprime eruditus, cognovit. Cognovit, inquam, utpote meorum ſtudiorum ſtimulus, meum calcar, incitamentumque, cui debeo ac patri, utpote qui ſemper me in Palladia aluerit militia, & qui meum laudando mirabatur ingenium, quamvis tunc temporis decimum octavum non exceſſerim annum. Heu! Tempora labuntur, & nil profecerim. Ceſſet gemitus, & vitæ etiam ſupereſt ſpatium, quum nunc vix quintam egredior Olympiada.*

Qui omnem, ut apparet, ſe, & ſua commendandi occaſionem arripiebat Stoa, id ipſum præſtitit Domitio fratri ſe comparans Epogr. 1. cap. 21. *Syzigiam tamen* (inquit) *inter pedum accidentia non poni Domitius Quintius Phœnix frater meus innuit in ſua Metrobaſi. Conferentur duorum fratrum ſigna, licet ipſe vigeſimum, & primum adhuc non tetigerit annum, & trutinabuntur doctiores, an illi, an mihi, qui nuper quintum, & vigeſimum perfeci annum, ſit aſſentiendum.* Joannes Planerius in libello, de quo ſupra, illico poſt Joannem Franciſcum Stoam ejus fratris mentionem injecit, quem tamen ſolo Cœlii nomine deſignavit, eundem hujuſcemodi exornans elogio, cui & patris elogium intexuit: *Eſt & frater ejus Cœlius ingeniorum ſcrutator acerrimus, quem univerſa Brixiæ Civitas arcubus triumphalibus, quos in honorem Cardinali Cornelio erexerat, præfecit, quoſque ille ita variis, eruditiſque inſcriptionibus inſignivit, & decoravit, ut miro quodam applauſu ab omni-*

omnibus legerentur, atque approbarentur. Habet & ipſe plurima volumina edenda. Hi duo filii patrem Joannem ſortiti ſunt, Virum per ea tempora doctum, & integerrimum (deperditæ enim erant tunc Romanæ literæ) a quo, tanquam a fonte, innumeri fere diſcipuli emanarunt. Is igitur per ſexaginta & amplius annos Grammaticam, literaſque Latinas profeſſus, tantum laboribus, & vigilantia effecit, ut non ſolum filios, ſed & innumeros fere erudierit, a quo etiam ego puer prima rei literariæ elementa didici: Vir certe omni laude, æternaque memoria dignus.

Quo majori animi, verborumque exultantia Quintianus Stoa ſuum ingenium, ſuaque Scripta celebravit, eo triſtiori ſupercilio alios omnes a ſe diſſidentes excepit, ac caſtigavit. Nemini prorſus, qui ea tempeſtate in Grammaticorum, ſeu Latinæ linguæ reparatorum cenſum veniret, Quintiani cenſuram peperciſſe, ut primum quis oculos ad Epographiarum libri oras converterit, ſtatim dignoſcet; nam in iis eorundem nomina velut acervatim indicantur, & quidem non honoris cauſa, ut adjuncta illa demonſtrant, *fallitur, in errorem labitur, hallucinatur, male ſentit, imperite ſcribit, nugatur, riſum ciet, vaniloqua effutit, puerilia, & infantiſſima effatur*, atque alia hujuſce generis ſynonima, quorum divitem omnino copiam ſibi Quintianus comparaverat. Ex veteribus Grammaticis Priſcianum cæteris frequentius ſuæ ferulæ ſubjecit; ex recentioribus vero Nebriſſenſem, Aſcenſium, Calepinum, Calderinum, Nigrum, Vallam tam Georgium, quam Siculum, Merulam, Paſtranenſem, Mancinellum, Neſtorem,

ſtorem; Ferretum, Sipontinum, Omnibonium, Gaguinum, Sulpicium, Tortelium, Junianum. Infenſiſſime autem inſectatur Phineum quendam, cui bellum mox in ipſa Epiſtola Nuncupatoria indicit, nam ibi de calumniatoribus ſuis, quos Quintianomaſtices vocat, conquerens, *quorum princeps ſcitote* (inquit) *Phinea, quocirca ſæpiſſime nominatim in eum me invehi, non mirabimini. Inſurgit, latrat, indignatur, aliquando latrans inſonat, inſonans inſanit, inſaniens furit; ter mecum diſputationis gratia congreſſum ita contrivi, ut nunc, licet abſens, nomen formidet meum: formidantem in triviis, ac victum quæritantem permittamus.* Vel ipſum Phinei nomen ad convicium traducit Quintianus Epographiam quintam ita claudens: *Phinea læteris, quia hæc quinta noſtra ad umbilicum perducta ſit Epographia. Finis prope eſt, quo ad extremum trabaris ſupplicium.*

Nec ipſi Stoæ conterranei, Pylades ſcilicet, Britannicus, & Barzizius, ejus virgam evaſerunt; non puriſſimi Latinitatis fontes, Barbarus, Politianus, atque Manutius; non denique ii ipſi, quos magni ſe facere pluribus in locis profitetur, atque honorificis verbis commemorat in ſuperius indicata præmonitione. Eam hic exhibebo, unde Quintiani ſtilum melius dignoſcamus, hiſpidam, inquam, illam elocutionem, quam ipſe magnopere laudavit, quin æmulari contendit, ratus ſolos non admittere prophanos, ut ejus verba declarabunt; quam tamen ipſi parum probavit vel ejus amiciſſimus Joannes Baptiſta Egnatius, cujus mihi occurrit Epiſtola inter Planerii Epiſtolas paulo ante citatas, monitum hoc ad Quintianum noſtrum comple-

ctens: *Illud vero interim præterire non possum, quod ab initio debueram, tuas mihi literas multo gratissimas exstitisse, quæ tamen aliquanto plus jucunditatis attulissent, si ingenii tui felicitatem ad meliora vertisses, hoc est, si te Ciceronis, aut ejus ætatis Scriptorum similiorem esse maluisses, qua in re nec judicium tibi deesse, nec ingenium plane video, nisi fortasse (ut res humanæ sunt) tu tuo, ego meo gustui plus faveo.* En Quintiani præmonitio.

Quod potius ad utilitatem, quam ad ostentationem hoc Opus sit compositum, & primo hic se Auctor excusat.

COnclamati defunctorum Manes, sacrosanctæ viventium Academiæ, litteratissimi, ac famigeratiores gymnasiarchæ, eruditionis plena juventus, denudato capite, submissisve genibus, & admotis labro digitis supplex deprecor, ut erroribus, quos aliorum sparsim, fartim, agminatim, & jugiter enotavi, vestræ non offendantur aures, vel videndo non succrescat nausea. Non enim fuit mei instituti cum larvis luctari, aut in mortuos insurgere, aut eorum, qui ingenii sui tot reliquerunt monimenta nomen obfuscare, neque Synchronorum anthracino colore famam candicantem obtenebrare. Indignum namque censeo aliis oppressis se extollere, ad astra evehere. Me non cogit ostentatio, sed utilitas, non virulenta rabies, sed conferens sedulitas. An aliquibus hæc adulabitur opinio? Quintianum scilicet, qui doctos diligit, nulli detrahit, syncere vivit, has, ut livorem expuat, edidisse Epographias? Non certe: & qui norunt, confitebuntur, me nunquam alienos affectasse, aut labores lancinasse. Vita cassos, & fato sinamus functos. Nam illi meis laudibus minime laudantur, neque vituperio nostro vituperantur. Coævos, sed longe majores natu, & auctoritate me correxisse quis succenseat? Quod Baptistæ Pio non hæream, id vitio non dandum esse persuadeo. Quem magis miror, quam Pium? Pium, inquam, meum extollo, quo typi meandros, & Autorum supero cyaneas. Hujus stylum non tantum laudo, sed & etiam æmulari contendo,

quem

quem profani non admittunt. O duras cervices, ubi eſt eruditio, niſi in meo Pio? Hic me efformat, me fabricat. An ergo viroſis inceſſam hunc aculeis? Quod Jani Parrhaſii penitus non admittam ſententias, vel ipſe illaudatum non adſcribet. Janum amo, velut litterarum examen, ac eloquentiæ vaſtiſſimum pelagus. Quod Joannem Britannicum arguam, nulli infandum dijudico, quem ſi odii cauſa confoderem, ac mucrone literario diſſecarem, vel Perſis adnuentibus grave plecterer, eo quod in ingratitudinis vitium incurrerem. Fuit enim præceptor meus, & municipalis eſt noſter. Quod Aldum, utriuſque Linguæ reparatorem aliquando minus teneam, quis vituperet? Certe nullus, cum in eo omnium Autorum effulgeant manes. Franciſcus Maturantius, Feretus, Crucius, & Hiſpani illi, cæterive a me diſtricti conqueri poterunt, quos veluti anteſignanos ſemper habeo, quorum non tantum damnavi, ſed affatim rejeci ſententias. Boni igitur, Lector, conſules, ſi in hos conſurgam. Quid enim? Juvenis acyros, & vix litterarum rudimenta eruditus minervalibus nocuerit vexillariis? Et hoc unum ſcias indubitanter velim, me vigeſimum annum, cum iſtud Opus effigiavi, mox in ſcriniis delituit, donec multis ſtimulantibus in publicum ediderim; quod nova aliquando interſeram non dubites. Hoc namque fecit recens recognitio, ac nuper impoſita extrema manus. Igitur, humaniſſime Lector, utilitati potius, quam oſtentationi hoſce qualeſcunque labores noſtros adſcribes.

Quam acriter in Sacerdotum etiam, & Concionatorum imperitiam Quintianus exarſerit, plura ſunt loca, quæ demonſtrent. In Epogr. 1. *In erroribus* (inquit) *Sacerdotes indoctos ſæpius invenio obnoxios. Hui, quid mirum? Iſti namque Sacerdotes* (*eruditos excipio*) *doctiorum obtundunt aures, quod quia verba neſciunt exprimere, ne dum bene eloqui, literas contemnunt, ſacra faſtidio habent. Horum quod eſt ſtudium? lenociniis incumbere, crines coaptare, aleas pertractare, Bacchanali-*

bus indulgere. Hem ſi jure noſtro ſacris initiarentur, nunquam indoctos divinis myſteriis adſcriberem : ſint ſuapte barbari. Et in Epogr. 4. *Errant aliqui longantes* Origenes, *& præſertim iſti idiotæ Concionatores, qui nihil effutiunt præter barbariem. Prob ſupreme Juppiter, nonne ſibilo mulctandi eſſent? Malunt enim hi barbaros habere duces, quam bonos ſequi auctores.* Ac non multo poſt: *Hic in Sacerdotes, non poſſum, quin invehar ineruditos. Legitur autem in funebri Evangelio,* Tu videris, *temporis futuri in ſubjunctivo, ſcilicet media brevi, hi namque media longa proferunt. Dii boni! ut diverticulum faciam, omnino excandeſcens cogit vehementia. Quid (bonos, ut multi ſunt, excipio) quod ineruditi ſunt? quid quod rudimenta fere percipiant? & vix legendo dictiones exprimant? quid quod cœnis indulgeant? myropolia, tonſtrinas quæritent? calamiſtro cincinnos coaptent?* Demum in Epogr. 4. *Ecce iterum, ecce ignari adſunt mihi ſæpe vocandi, riſum eliciunt Sacerdotes ineptiſſimi, literarum expertes, qui in Evangelio,* Nolite timere, Jeſum quæritis, *proferunt* Nolite *media brevi. Ita precor, ut dentes excreent (bonos excipio) per medium rumpantur.*

Quintianum inviſo adeo dente omnes carpentem, nil mirum, aliorum & ipſum morſibus patuiſſe, iiſque admodum vulnificis, ut Epographiæ quartæ Proœmium, quod affero, declarabit.

Jo. Franciſci Quintiani Stoæ Poetæ laureati de Syllabarum quantitate Epographia quarta. Proœmium.

COgitaram, humaniſſimi literarum cultores, ac Apollineæ Sectatores Academiæ, auſpiciis noſtris umbilicum adponere, & abſque latratorum nihil pendenda rabie, ac ſine lavernarum obtuſis aculeis coronidem attingere. Sed præter opi-

opinionem noſtram aliqui non defuerunt nugivenduli, qui ſtimulante livore, lancinantique cordolio exciti in tenebris exputant, me ſcilicet in hoc ſcribendi negotio inſuadere, ut cæteris antiſtare videar, conſuetum rati aliquos doctioribus reclamare, ut nomen adipiſcantur famigeratius. Pro ſupremum nephas? Quid diſſeminant? Quid implanant? Quid leviora floccis diſpergunt? Hoc exantlaverim, ut aliorum refutem ſententias, & apud omnes ſim plauſibilior? Id non me (ut in Operis dixi veſtibulo) impellit, non ſtimulat. Quis enim eſt tam inſanus, & meracæ indigens anticyræ, qui doctis detrahendo, ſe doctum adpellitari perſuadeat? Sciant velim hi alieni nominis turpatores, alienarum vigiliarum hamiotæ enotaſſe hoc noſtrum fuiſſe inſtitutum eruditorum enotaſſe labeculas, non ut eorum candidum obfuſcarem ingenium, ſed ut eorum devio itinere in camænali penario veritatis excuſſor fierem, quod legentes proculdubio adſeverabunt. Invidia, ut oblatrent, cogit. Parco: non eis parcunt tamen intercutanei, & medulitus circumfuſi ſuſpiritus, & intima tormenta, quæ cæteri potiuntur invidi, inſurgant, gaudeo, diſpereant, lætor. Nam ut ait ingenioſus Naſo, *Summa petit livor*. Si eſſem diobolaris, ac ſellularius juvenis, abeſſent invidi; ſed quia (citra jactantiam) inter litterarum milites adnumeror, & feliciter audeam, non poſſunt quin ſpumoſis detrahant ſingultibus. Taceant, precor, & quartam recto lumine rimentur Epographiam, in qua quoad multijugam obſervationem, & ad multiplicem frugem, prioribus non tantum conferenda, ſed & præponenda viderint adnotamenta & primo quot modis mediæ cognoſcantur videamus ſyllabæ.

Antequam Quintianum hoc loco (nam alibi de eo recurret ſermo) dimittamus, Lectorem monemus, inter Epiſtolas Joannis Planerii ſuperius allegati unam exſtare, qua ille Paulo Manutio ſignificat, Quintiani Stoæ obitum ex ſquinanthiæ morbo contigiſſe an. 1557. nonis Octobris, quum ipſe ſeptuageſimum tertium ætatis ſuæ ageret. In eadem teſtatur Planerius, eam fuiſ-

ſe

ſe Quintiani nominis famam, ut ad hunc videndum, & cognoſcendum ex ultimis Galliæ finibus venerint olim Brixiam Viri doctiſſimi; atque his verbis Epiſtolam claudit: *Feliciſſima fuit illa ætas, in qua pater tuus Aldus, Quintianus Stoa, Egnatius, Bembus, Sabellicus, Politianus, Hermolaus Barbarus, Joannes Picus* Mirandulanus *una floruere.* Hæc Planerii verba incurioſe legerunt, qui Pico Mirandulano Quintianum Stoam comparatum fuiſſe tradiderunt a Planerio, Egnatio, Aldo, Bembo, Sabellico, Politiano, & Barbaro, ut in Hiſtor. Gymn. Patav. T. 2. l. 2. p. 206.

Contra Grammatica Joannis Tortellii Aretini Commentaria ſcripſiſſe Quintianum Stoam Annotationes, docemur ex c. 31. Epogr. 1. Opus illud Tortellius Nicolao V. Pontifici Maximo dedicaverat, in Vaticana Bibliotheca reponendum, *non quidem* (inquit) *ut Inſtitutionibus Grammaticis, Poetarumque hiſtoriunculis tua Beatitudo indigeat, qui cæteros in doctrinis omnibus etiam minutis ex ſumma ingenii, memoriæque felicitate præcellis, ſed ut in tua illa Bibliotheca, quam omnium, quæ fuerunt, præſtantiſſimam comparas, aliquo pacto collocare poſſis. Nam licet ex magnificentia animi tui, qui nonniſi clariſſima in literis, ædificiiſque, & rebus aggrederis, Viros utriuſque linguæ eruditiſſimos ex omnibus fere terris, veluti ad virtutis quoddam aſylum convocaveris, quos ut ſuum poſſint excolere ingenium, laudemque ſibi parare, & aliquid conficere, quod poſteritati prodeſſe poſſit, maximis præmiis affeceris, non tamen deterrebor & ego aliquid pro mea parvitate tuæ Bibliothecæ offerre.* Proſequitur Tortellius in ea Epiſtola munificentiam Ni-

Nicolai V. erga literas commendare; deinde ad Grammaticam facultatem commendandam accedit, & in calce Epiſtolæ teſtem adhibet Quintilianum, quod ea neceſſaria ſit pueris, jucunda ſenibus, dulcis ſecretorum comes, & quæ vel ſola plus habet operis, quam oſtentationis.

V. Paulus Suardus inter Brixianos Grammaticos quintum modo occupet locum, principe quidem dignus ex Joannis Antonii Cathanei ſuffragio. Hoc mihi occurrit ad calcem Operum Marini Becichemi datum Ferrariæ anno 1504. atque hujuſmodi eſt: *Naturæ ætatem noſtram plurimum debere, nemo eſt qui neget, eruditiſſime Præceptor, quæ fulgentiſſimum Grammaticæ ſydus Paulum produxit. Id ex nitidiſſimo Opere in lucem edito perſpicue eſt conſpicere, quod laudibus extollere ſuperfluum eſſe cenſeo, quia ex ſe quale ſit, ſatis ſuperque patet.* Pauli Suardi Brixiani mentionem injicit, ut mox vidimus, in ſuo Mercurio Auguſtinus Saturnius, eumque inſignem Grammaticum appellat. Quoniam vero hujuſcemodi Opus Pauli Suardi nanciſci, nondum mihi contigit, ne omnino curſim, & breviter ejus nomen attigiſſe videar, exhibendam hoc loco puto partem quandam Epiſtolæ ab ipſo datæ ad Petrum Federicum, & ex eo ipſo volumine, unde Cathanei teſtimonium recitavimus, deſumptæ; partem inquam, poſteriorem ſcilicet, in qua, poſt celebratas in priore Becichemi laudes, argumentum tractat, haud profecto alienum a Grammaticæ facultatis Profeſſore, alienum tamen, ut verum fatear, a doctiorum Grammaticorum ſententia. Gratificatus fuiſſe videtur in eo argumento tra-

tractando Suardus Becichemo, cui, ut ex ejus in Plinium Prælectione conſtat, a Raphaele Regio datum vitio fuerat, quod Græcas literas ignoraret.

Ex Epiſtola Pauli Suardi ad Petrum Federici generoſum, & magnificum Virum.

NUllum enim hominum genus ſtultius, aut inſolentius Græculis video, qui quum in legendis Erotematis, Æſopique Fabulis multum temporis conſumpſerint, ſe hominum primos exiſtimant, & neminem citra Græcarum litterarum cognitionem doctum fieri poſſe garriunt, quoniam eruditionis Latinæ Græci auctores fuerunt. Ergo nec Græci ſine Barbarorum inſtitutionibus boni efficiebantur, quia omnis ferme doctrina ab his ad illos emanaverat. O inſaniam Democriti riſu dignam! Romani Græcis litteris olim operam dabant, ut res, non verba diſcerent, quoniam latinitas ita rerum, & diſciplinarum inops erat, ut in doctos ſine Græcis evadere non poſſent. Jamdiu autem ingeniis omnibuſque diſciplinis adeo eſt aucta, ut polyhiſtores, ſummique Viri ſine Græcis effici poſſimus: quales facti ſunt Pomponius Lætus, Chriſtophorus Barzizius, Pamphilus Saxus, multique alii homines clariſſimi. Quid M. Antonius Sabellicus, & Philippus Beroaldus Viri antiquos præclaris Operibus ſuis provocantes? ipſos, quæſo, interrogent, eone faſtigii per Græcam eruditionem venerunt? Nonne Diomedes, Priſcianus, & alii Grammatici, Saluſtius, Livius, & alii Hiſtorici, Virgilius, Ovidius, & alii Poetæ, Cicero, Quintilianus, & alii Oratores, ſive Rhetores, Seneca, Plinius, aliique Auctores, undequaque docti, quidquid boni Græcia habuit, ad nos tranſtulerunt, in meliuſque redegerunt? Nemini ſanæ mentis dubium. Hos ſi habuiſſent veteres Romani, nunquam ad Græcos confugiſſent, ſed carebant iis, quos vel in ſtilo imitarentur. Utinam nunc tantum ingenio, atque ſtudio conſequeremur, quantum in omni dicendi genere habemus. Sed vide Ciceronis ſententiam de Græcis, & Latinis, *meum judicium* (ſic enim ait in principio Tuſculanarum Quæſtionum) *ſemper fuit, omnia noſtros aut inveniſſe per ſe ſapientius, quam*

Græ-

Græcos, aut accepta ab illis feciſſe meliora. Bona inſuper fere omnia Græcorum Opera latina facta ſunt, quorum multa apud illos deſiderantur. Olim (ut uno concludam verbo) floruere Barbari, ſubinde Græci, nunc Latini florent.

In calce Epiſtolæ legitur:

Hæc ad te ſcribere volui, magnifice Vir, quem novi Romanarum litterarum pariter, & bonorum litteratorum amicum, quemque ſcio non mediocriter gaviſurum, quod præſtantem, & rariſſimum habeamus virum, qui juvenes bonis & litteris, & moribus inſtituturus eſt, ac civitati noſtræ inclytis litterarum monumentis non parum decoris allaturus; id enim genus homines plurimo & uſui, & honori ſunt civitatibus. Vale Federicorum gentis antiquiſſimæ decus. Brixiæ tertio Kal. Jul. MDIIII.

Inter Opuſcula Bernardini Macii Bornati Brixiani duæ mihi ejus occurrunt Epiſtolæ ad Paulum Suardum datæ an. 1501. in quarum una ſe perlegiſſe ſcribit Macius Opuſculum Pauli, quod quam ſit novum, varium, emunctum, utile, ac jucundum, viderint docti, ait Macius, modo abſit invidia. In alia vero hæc Macii ſunt verba: *Prodis in medium ornatu ſcientiæ præditus, veluti equus robuſtus campum quatiens robuſto pede, armis inſignitus, aſſeſſore ſuo exiſtente valido. Hujus propoſiti mens laudatur, ſed tamen danda eſt opera, ut frons noſtra toti populo conveniat, & in figura communi maneat, ut ne quid nimis*. Hujuſcemodi monitum Macii ad Suardum aliquam ſuſpicionem ingerit, quam Pauli Suardi nomen ſemel, & iterum in Volumine Operum Marini Becichemi atramento, ut mihi obſervare contigit, deletum adauget, Paulum ſcilicet in cauſa Religionis aliquid ſenſiſſe, quod cum communi Eccleſiæ ſententia minime conveniret. Pravas quaſdam

opiniones ea tempeſtate Brixiæ apud aliquos invaluiſſe, fidem nobis facere videtur alia ipſius Bernardini ad Ludovicum Naſſinum Epiſtola, ſeu brevis Tractatus de Animæ immortalitate, & apertius adhuc ejuſdem ad Thomam Lambertum Epiſtola, cujus hujuſmodi eſt initium: *Ubi domum perventum eſt, habita, ut ſcis, concertatione in tuo prædiali fundo amœniſſimo, conſito arbore multa, & perpetuæ frondis honore virente, apud Turricellam, ita dicitur, non potui non ſubridere ineptias amici tui, qui tam obſtinate induruit in opinione evidenter falſa, quod eſſent plures Dii.*

VI. Poſt quinque uſque adhuc recenſitos Grammaticarum Inſtitutionum conditores, quos una ætate Brixiana literatura progenuit, adeo hæc ſe minime ſenſit efœtam, ut in extrema velut paritura fœtum emiſerit, in quo vires ſuas potiſſimum experiretur Grammatica, quique inter præcipuos ejus Artis Scriptores poneretur, & a quo reliqui, qui ante ſcripſerant, plus ſplendoris recepiſſe, quam illi tribuiſſe viderentur. Hujuſcemodi elogiis Auguſtinum Saturnium Lazaroneum decoravit Joannes Pincius Poeta laureatus in Epiſtola, quam ejuſdem Mercurio Majori, ſeu Grammaticarum Inſtitutionum libris decem editis Baſileæ an. 1546. & Lugduni an. 1556. præpoſuit. Ea data eſt ad ipſum Saturnium anno 1531. hortaturque, ut Opus ſuum auſpicato in lucem prodire permitteret, cui venienti occurrerent gratiſſimi adoleſcentes, illudque amplecterentur.

Buennum Vallis Camunicæ oppidum Saturnii noſtri patria fuit, ut ipſe teſtatur Mercur. l. 5. c. 16. his verbis: *Eſt autem Buennum dulce mihi natale ſolum, oppi-*

dulum

dulum ſane illuſtre Oreola in Valle, quam nunc vulgo Camonicam dictitant, ſupra lacum Sebinum XIIII. *millibus paſſuum ad Orientem ſitum a flumine Ollio, quod oppidulum Civitate præterfluit, fere plus, aut minus mille paſſuum diſtans, Vulcano ſacrum.*

Joannem Taberium Brixianum, de quo plura in prima hujus Speciminis parte, ſibi inſtitutorem contigiſſe fatetur Saturnius, & quantum illi debeat ad Operis calcem declarat in hunc modum: *Secundum Deum non parvam nobis docendis partem, felicis memoriæ inſtitutor meus, Joannes Taberius Rovatenſis, ſibi vindicat: Vir unus poſt homines natos, ſimul inter doctos longe optimus, ſimul inter bonos utriuſque linguæ longe doctiſſimus. Cujus optimis auſpiciis annum ipſi circiter vigeſimum jam agentes (nam tum rudes adhuc eramus) doctas literas primoribus labellis deguſtare cœpimus, ejuſque felici ductu, ſtudio noſtro ſeptem annis colophonem addidimus. Quem condentibus hæc nobis, ut erat in penſitandis, æſtimandiſque omnibus ſcriptis emunctiſſimæ naris, ac prorſum Lydius (ut ajunt) lapis, quo tu Brixia caput Cenomanum, civitas per te inclytiſſima, luculentiſſimi ſyderis inſtar, jucundo ſplendore fulgebas, ſi ſuperſtitem habuiſſemus, divi boni, quanto conſultior, Mercuri mi, quanto limatior in publicum prodiſſes. Quapropter apud hominem excellentiſſimum quum tam liberaliter inſtituti ſimus, ſane quam mercedem Thales ille Mileſius a Mandrayto cœleſtia ſtudia a ſe edocto, ſibi perpetim reddi voluit, hanc nos propriam, ac perpetuam præceptori noſtro perſolvemus, nempe quidquid eſt in hoc libello politioris doctrinæ, id univerſum poſt Deum illi acceptum referentes.*

Hæc ipſa Saturnii verba non gratum tantum animum erga præceptorem demonſtrant, ſed præterea caſtigatæ prorſus, ac nitidæ Orationis genus, ab omni barbarie, & præſertim a rancidæ Latinitatis vocabulis, quibus utentem audivimus Quintianum Stoam, aſperaque ejuſdem elocutione nimis quam diſtans: quo fit, ut, ſi jure ac merito a Grammaticis petimus, Latine loquendi facultatem, quam præceptionibus tradunt, ſcriptis ſuis comprobent, imitenturque Polycletum non ante celebrem illum ſtatuas recte fingendi Canona in lucem protuliſſe viſum, quam publice propoſita ſtatua, velut artis exemplo; ſuas ipſe regulas egregie præſtando confirmaſſet; nemo profecto erit, qui Saturnii noſtri Mercurium evolvens inficias eat, eundem Artem, quam docuit, calluiſſe, quod clarius adhuc evincent quam plura ejus libri loca jam jam afferenda.

Inter Grammaticorum duces, quibuſcum Saturnius luctatur, neminem certe frequentius ad pugnam provocat, quam Laurentium Vallam Romanum, celeberrimum illum Latinæ linguæ reparatorem, atque illuſtratorem, qui nimirum, ut Pauli Jovii in ejus Elog. verbis utar, *a Gothicis temporibus uſque ad patrum noſtrorum memoriam prælto ſepultos ſomno cives ſuos ad nobilium literarum ſtudium excitavit; indignatus enim tandiu corrumpi ſæculum leguleorum, & ſophiſtarum immani conſpiratione, optimaſque artes inculta ſermonis barbarie defœdari, Elegantiarum libros edidit, traditis Romanæ elocutionis præceptis ex accurata veterum Scriptorum obſervatione, quibus juventus æmulandi ſtudio ad detergendas corruptarum literarum ſordes accenderetur.* Ini-

tum

tum a Saturnio cum Valla certamen graphice deſcribens in citata Epiſtola Pincius, *ille* (inquit) *obequitans latius pugnat, tu arctius concludis: ille multo acumine occurrit, tu & mucrone, & peritia, & pondere bellantem ſuſtines. Quum vero diu diſceptatum ſit, pedem referat adverſarius, neceſſe eſt, & ſe ſe dedat. Specioſiſſimum ſane literarium ſpectaculum, & incruentum.* Incruentum utique; aſperum tamen, & ferox, ad cujus ſpecimen exſcripſimus ex Saturnii Mercurio, quæ ſequuntur.

Ut primum Laurentium obvium habet Saturnius, eundem erroris, hallucinationis, ſtultitiæ, ſtoliditatis illico accuſat, ſcilicet libro primo. At libri tertii c. 18. probaturus, ratione nihil prohiberi, quominus dicas, *legere intereſt mei, tui, ſui* Laurentium his verbis compellat:

Ex lib. 3. c. 18.

Ohe deſine tandem Laurenti tam impotenter efferri. Nam quod pertinaciſſime tenes, *mei, tui, ſui, noſtri, & veſtri* primitivorum genitivos uſque paſſivam habere ſignificationem, ac propterea non licere dici, *legere intereſt mei, tui, ſui, noſtri, & veſtri*, quod ea verba genitivum ſibi exigant non pathicum, ſed activum, antecedens tuæ iſtius ratiocinationis non undecumque verum oſtendam.

Dein pluribus exemplis in medium allatis, caput ita concludit:

Quibus exemplis ſi ſatis liquet, veteres illos totius veræ latinitatis auctores, ſuper his primitivorum genitivis non uſque adeo fuiſſe anxios, aut ſuperſtitioſos, ut non promiſcue, indiſcreteque utroque verſum eis uterentur, equidem non video, quo minus recte, licet inuſitate, dicam *legere intereſt mei, tui, noſtri, & veſtri*, ſicut *ego indigeo tui, tu mei, ille noſtri*. Quare pronomina hæc ſint promiſcua. Nec vereamur, quicquid Laurentius oblatrat, his active, & paſſive uti, ubi ubi opus fuerit.

Ca-

Capite vero 22. ejuſdem libri falſam aſſerens Laurentii præceptionem, qui verbis *intereſt*, & *refert* perſonalibus nil aliud ſupponendum ſtatuit, quam pronomina quædam in neutro genere, hæc habet:

Ex lib. 3. c. 22.

Hem ſi quis Latinam linguam probe ſartam (ut ajunt) ac tectam eſſe velit, hanc Laurentio Vallenſi tuendam, propugnandamque committat. Nihil enim hic ignorat, quod eam ad illuſtrandam, atque augendam facere poſſit. Dic mihi, ecquo Apolline doctus aſſeris, verba *intereſt*, & *refert* perſonalia nil aliud pro ſuppoſito ſolere ſibi accipere, niſi pronomina quædam in neutro genere, qualia *id*, *quod*, *illud*, *hoc*, *iſtud*, & ſimilia? Verum in te arguendo non pluribus immorabor, cum excellentiſſimi latinitatis auctores te ſtatim convincant.

In libri quarti cap. 14. contendens *Fore* non minus præſentis, quam futuri temporis eſſe, ac latine dici *fore amaturum*, exclamat:

Ex lib. 4. c. 14.

O mentes Grammaticorum tenebricoſas! Qui dum Priſciano, ac Laurentio ſeſe miſere nimis addicunt, eorumque præcepta non tanquam humana inventa, ſed velut divina quædam oracula ſuſpiciunt, malunt his ipſis auctoribus turpiſſime errare, quam eis abrenunciantes a veritate recte ſentire.

Et in ejuſdem libri c. 19. de verbis meditativis agens, Laurentium ita alloquitur:

Ex lib. 4. c. 19.

Utinam Laurenti, quod veteres bene, rectèque tradiderunt, hæc tu non corrupiſſes. Etiamne aſſeris verba in *rio* non rite meditativa fuiſſe appellata? Altior eſt hic ſenſus, remotiorque, unde id nomen ſibi vendicarunt, quam pro tua, ac Priſciani falſa opinione. Etenim *meditari* cum diſceſſeris a triviali, & proculcato intellectu, *parare* etiam, ac *moliri* ſignificat.

In

In libri autem quinti c. 12. agens de reciprocis *ſui*, & *ſuus*, ac non perpetuo reciproca eſſe demonſtrans, ita adverſus Laurentium invehitur:

Ex lib. 5. *c.* 12.

Igitur quod Laurentius mendum eſſe ſuſpicatur . . . delirare ille quidem convincitur, ut qui maxime. Cur enim probatiſſimis auctoribus *is* & *ipſe*, pro *ſui* & *ſuus* identidem utentibus, non his pro illis etiam viciſſim uti liceat? Nimis tibi aſſumis, Laurenti, hoc quidem placet, illud autem diſplicet, nollem Ciceronem ſic locutum. At hoc quid eſt, niſi ſummæ, & inculpatæ legi velle præſcribere, & Lesbiam (ut ajunt) ſe ſe regulam fieri? Quo nihil arrogantius.

Agit Saturnius de Participiis in libro ſexto, quorum utilitatem ita deſcribit:

Ex lib. 6. *c.* 1.

Participia latinitati brevitatem conferunt, appoſitiſſimum providentis naturæ ad condecorandam orationem miniſterium: non conciſam illam quidem, ac mancam, cui obſcuritas agnata, ſed quæ multa complectatur verbis non ita multis, quæque pro rerum, ac ſententiarum complexu apparent etiam pauca. Simulque genus dicendi faciunt in primis fuſum, lene, æquabiliter incedens, non contortum, non intumeſcens, non corruptum. Ad hæc brevitati cognatam celeritatem. Quæ cum aliis rebus comparatur, tum vero participiis ſeptimo in caſu conſtitutis, vel maxime ſi plura conſequantur. Poſtremo varietas præcipuum naturæ bonum, ubi opes, deliciaſque ſuas ambitioſius oſtentat, quam in participiis, ut oratio ipſa nuſquam non his refloreſcat, delectet, moveat?

Hæc, inquam, de Participiorum utilitate quum initio libri ſexti diciſſet Saturnius, plura de illorum etymologia, formatione, ſignificationeque in ſequentibus capitibus differit; at c. 12. ad Laurentium accedens, hæc habet:

Ex

Ex lib. 6. c. 11.

His ergo ita conſtitutis quæ natura, quæque ratio ipſa participiorum tulit, deinceps ex auctoritate, uſuque procerum latinitatis, quatuor tutiſſima quaſi aſyla, mihi ſtudioſos, quo perfugiant, quoties germanus ipſorum uſus minime ſuccurrerit, docendum eſt. Ac primum non mihi amplius vereantur participiis in *ans*, vel *ens* de præterito perfecto, ubi ubi opus fuerit, arbitratu ſuo uſitari. In quo ſimul etiam apparet noſtratium Grammaticorum ſocordia, qui dum Priſciani ſapientiam, Laurentii acumen attoniti ſuſpiciunt, nihil præterea quærendum putant. Perinde quaſi aut huic arti colophonem ipſi impoſuerint, aut ignorari neceſſe ſit quicquid illi non tradiderint. O ſtupida pectora! Neque tamen clam me eſt, Laurentium nonnihil ante me de hoc præcepiſſe, ſed ita ut per caliginem intuitus locum videatur. Qua propter fontem veritatis jam latius ipſi aperiamus. Quod dum facimus, neminem, obſecro, pigeat, univerſa, quæ ſubſcripſimus, exempla percurrere.

Tractationem de Gerundiis aggreditur Saturnius libro ſeptimo, cujus hujuſcemodi eſt initium:

Ex lib. 7. c. 1.

Rem controverſam aggredior, & plenam diſſenſionis, verum Superis bene faventibus per nos tandem aliquando dijudicandam. Neque enim nos hi ſumus, quorum vagetur animus errore, quique certi nihil habeamus, quod ſequamur. Illuxit, illuxit tandem nobis veritas hæc toties petita, toties pugnata. Scripſere, ſcio, plerique alii de Gerundiis, Viri illi quidem acuti, ac docti; verum ita ut aliorum potius opiniones, quam ſepoſiti, atque abditi aliquid deprompſiſſe videantur. Quanquam ne veteres illi quidem, quibus antiquitas nil habuit doctius, nihil exactius, tales extitere, ut viam induſtriæ poſteris præcluſerint. Super hæc in diſputando, auctore M. T. Cicerone, non tam quid Majores ſenſerint, obſervandum, quam rationis momenta quærenda ſunt. Ut in agro colonus, in uxore vir ſterilitatem odit, ſic infœcundam animam odit illi complicita, & aſſociata mens divina.

Hoc

Hoc posito Proœmio illico Saturnius Gerundia quem in modum ex usu auctorum constructuantur, commonstrat, captaque inde occasione ab erroris suspicione purgat phrases nonnullas a Latino Psalmorum interprete usurpatas, eas tamen vetustati, ac religioni relinquendas affirmans:

Ex lib 7. c. 2.

Nec est, hic mihi quod quisquam objiciat. At hoc dicendi genus nimis quam insolens est. Perinde quasi nunc hoc nos susceperimus negotii, ut quid sequendum sit, ac vitandum hic statuamus, ac non potius involutam, abditamque vim gerundii, naturamque perscrutemur. Aliud est enim, cum quid usus exigit, perquiritur, aliud, cum disputando veritas ipsa veluti limatur: id quod nunc agimus. Nam gerundia quem in modum ex usu auctorum constructuantur, mox paulo capitulatim commonstrabimus. Nunc illud multo magis obiter non dissimulandum nobis, Divum Hieronymum tantum illum Doctorem non sine exemplo dixisse: *In convertendo Dominus captivitatem Sion*, quod est, convertente Domino. Quo pariter & illustrissimus Auctor maxima erroris suspicione perpurgatur, & Laurentius indeprecabilis temeritatis convictus apparet. An fuit credibile, eruditissimum juxta, ac diligentissimum Scriptorem, tantæ, ac tam multijugæ lectionis Virum, tale quid, Græca fallente figura, ut ille oblatrat, primum omnium Marte suo confabricasse? Quid cum idem ipse alibi dicit? *In conveniendo populos in unum*, & *In deficiendo spiritum ex me*, & *In accipiendo ipsum stolam gloriæ*, quod est convenientibus populis, deficiente spiritu, ipso accipiente. An dubitandum, ne non hujus quoque locutionis exemplum oculatissimus Doctor apud quemquam approbatum Latinitatis architectum uspiam observaverit? Quamquam ego (ut verum fatear) hoc posterius dicendi genus, ut nimis insolens, religioni simul, & vetustati relinquendum censeo. Nihil est enim bonarum litterarum candidatis proponendum ad imitandum, quod præclaro alicujus receptissimi auctoris exemplo statuminari non possit.

Redit ad Vallam Saturnius in cap. 13. ubi poſtquam adnotaſſet Gerundiorum cum caſu ablativo conſtructionem, apud Hagiographos quidem, & etiam apud eruditiſſimum Eraſmum uſitatam, rariſſimis tamen veterum auctorum exemplis fulciri, monuiſſetque ſuperioris ætatis ſacros Auctores, tanquam bene, beateque vivendi magiſtros, non dicendi, retineri oportere, hæc de Valla:

Ex lib. 7. c. 13.

Sed turpiſſimus error, quo & ipſe alias, & plerique alii juxta mecum aſſerebamus, minime recte, latineque dici, *venio ab audiendo*, cujus quidem erroris auctor omnium primus fuit Laurentius, ſua illa vaniloquentia quem non illaqueans? Haud amplius diſſimulandum.

Ex lib. 7 c. 14.

Volo demum, Laurenti, mihi dicas, idque ſuperpondium erit ad prædicta, cur &c. Euge Laurenti, dignus es tu quidem, qui alter Camillus omnino dicare. Quippequi, ut ille nomen Romanum collapſum reſtituit, tu latinitatem perditam recepiſti.

Poſt Gerundia progreditur Saturnius libro octavo ad Supina de quibus ita præfatur:

Ex lib. 8. c. 1.

Litem ſuperiori ſyntagmate diſceptavimus plenam perplexitatis, plenam diſcordiarum. Nunc Supina nobis aggrediunda, negotium ſane plurimi tum ſudoris, tum conſilii; ambagum autem non minus differta, quam latebroſæ difficultatis. Argumentum alioqui dignum, in quo veteres etiam illi nervos ſuos intenderent. Verum fit neſcio quo fato, ut non omnia ſciamus omnes. Tradidere porro principes illi pleraque digna ſcitu, digna obſervatu, ſed non pauciora poſteris inveſtiganda, atque dijudicanda reliquere. Etenim in omni artium genere cum plurimum actum fuerit, ſemper tamen omnis poſteritas habet, quod agat. Excedit enim, multumque ſupereminet humanæ captum cogitationis, re-

rum

rum infinita multitudo. Fuere, ſcio, veteres illi viri quidem eruditiſſimi, homines tamen, quippe quibus non tota veritas ſeſe infuderit. Itaque omnes ut fallere potuerunt,& falli, ita in rebus dubiis nemo eorum opinionibus perinde ſeſe addicat, ut facultas libere diſſentiendi non uſque potior exiſtat. Leganturque omnes ſed cum delectu. Neque enim vis naturæ in nobis effœta eſt, ut ipſi nihil ex nobis parere poſſimus, ſentiamuſque bonum eſſe, quod rerum multitudine, ac magnitudine vincimur. Nemo ad cognitionem veritatis magis accedit, quam qui intelligit, ubi multum profecerit, ſemper tamen ſibi ſupereſſe, quod quærat. Quapropter cunctis adnitendum, pallendum, ſua cuique vis faciunda, ut novo ſemper aliquo fœtu artem Grammaticam adaugeat, atque illuſtret.

Hæc præfatus Saturnius, mox Priſcianum, & Vallam de Supinis inter ſe digladiantes inducit, altero ea eſſe nomina contendente, altero verba. Non eſſe nomina, poſtquam adverſus Priſcianum probavit in cap. 2. ſententiam Vallæ æque exibilat in cap. 3. hæc habens:

Ex lib. 8. c. 3.

Priſciano autem longe diverſa tenet Laurentius, ut qui non jam nomina, ſed verba eſſe contendat. Deceptus, credo, auctoritate Quintiliani, qui libro 1. Inſtitut. *dictu* & *factu* verba dixit participalia. Quo prudentius nobis agendum, ne dum Laurentium redarguimus, in præſtantiſſimum Auctorem quicquam obloquamur. Verum demonſtrandæ hujus veritatis initium altius repetendum: Ecquid pertimeſcis, Laurenti, ecquid tergiverſaris? Nam ſi verba ſunt, cum modis, & temporibus ſignificent, neceſſe eſt. Non ſignificant autem cum modis, & temporibus, non ſunt igitur ſupina verba. Ut non licet hominem eſſe, niſi idem exiſtat rationalis, & mortalis, ſic nullo modo fieri poteſt, ut ſupinum ſit verbum, niſi idem cum modis, & temporibus adſignificet. Quapropter liquidiſſimum jam ſit, ſupina non eſſe verba.

Ad pugnam cum Laurentio revertitur cap. 7. nec hoſtem prius deſerit, quam librum illum abſolvat. Eo cap. 7. probaturus aliis etiam verbis Supina in *um*, quam ad locum ſignificantibus nonnunquam accedere, ſibi rem eſſe cum Laurentio his verbis declarat:

Ex lib. 8. *c.* 7.

Quoniam vero Grammatici nunquam ſincerius præcipiunt, quam cum ad amuſſim auctoritatis, uſuſque omnia in primis dirigunt, exiguntque: ſane intelligendum ſupina in *um* contra Laurentii pertinaciſſimam opinionem, vel aliis verbis, quam ad locum ſignificantibus, de auctoritate ſummorum Scriptorum conjuncta nonnunquam inveniri.

Supina in *um* per quam raro paſſivam habere ſignificationem evincit cap. 8. De activa autem ſcita admodum, & pereleganti differens cap. 9. Priſciani, & Laurentii auctoritatem his verbis convellit:

Ex l. 8. *c.* 9.

Heu ſupina noſtræ tempeſtatis Grammaticorum ingenia! Ecquis, ecquis relictis a tergo Priſciani, relictis Laurentii bonis inventis, in anteriora nitens, novi aliquid e tenebris eruit: cum prope innumera ſint, quæ obſervata optimis auctoribus, ignorata ſuperioribus Grammaticis, proh pudor, mortua ſepultaque jacent? Nam ut cætera prætermittam, quid *eo* dicendi genere pulchrius, quid elegantius, quo maxima illa latinitatis lumina uſi ſunt, *perditum eo* pro *perdo*, *ereptum eo* pro *eripio*, *ornatum eo* pro *orno*? In quibus verbum *eo* non jam ullum motum localem oſtendit, verum depoſita ejus motus ſignificatione unum cum ſupino factum eſt verbum, idem omnino ſignificans, quod ipſum, unde ſupinum deductum eſt verbum. Et tamen oſcitabundi ocio obmarceſcimus, dum aſſecutos arbitramur, ipſique nobis pulchri videmur, dum nihil ſupra Priſcianum, nihil ſupra Laurentium ſapere audemus. Quin afferamus ipſi jam exempla, quibus tam ſcita, tamque latina, ac perurbana dicendi figura inclareſcat.

Hie-

Hieronymum, & cæteros Hagiographos vindicat cap. 10. demonſtrans, recte, latineque dici, *Vado legere*, ac ſimilia.

Ex lib. 8. *c.* 10.

Diſciſſum etiam, dilaceratumque video paſſim Hieronymum a quibuſdam Grammaticis. At quibus tandem? Nempe qui homini eruditiſſimo, ac ſapientiſſimo matellam porrigere ne digni quidem forent. Diſcindunt autem, quod infinita verbis motum ad locum ſignificantibus nonnumquam apoſuerit. Id autem barbare, ac inſolenter nimis factum videri, ut cum dicit, *Non veni ſolvere legem, ſed adimplere*, & *vado immolari*. Fuiſſe autem omnino utendum vel ſupino, vel gerundio. O rabidi canes, o venenoſiſſimæ aſpides! Quid quod Poetæ omnes ad unum eo dicendi genere ubique ſcatent? Sint igitur barbari tot luculentiſſimi latinitatis Auctores. Qui cum infinita verbis motum ad locum ſignificantibus copulare minime ſunt veriti, aut ipſi barbare, nimiſque inſolenter feciſſe accuſandi, aut certe in eo dicendi genere Hieronymus, ac cæteri Hagiographi recte, latineque fuiſſe locuti ſunt dicendi.

De Supinis in *u* agere aggreſſus cap. 11. quam parum Priſciano, & Laurentio fidendum oſtendit:

Ex lib. 8. *c.* 11.

Sequitur altera illa forma, heu quam perplexibilis, quam lacinioſa. Pauci, imo vero nulli (ut ego arbitror) adhuc ejus naturam explicarunt. Nam quid ego referam quid princeps Grammaticorum Priſcianus, princeps autem? de his ſcripſerit, cum nuſquam aridus magis, nuſquam inſanior apparuerit? Unus ſupereſt, magnæ ſpes altera Romæ, Laurentius. Sed hic quoque e portu egrediens ſtatim impegit. Quanquam non iverim inficias, elegantiora quædam, quam Priſcianum tradidiſſe. Verum dum omnibus paſſivitatem quandam ſubeſſe contendit, & ea quidem vult nominibus quibuſdam adjectivis eſſe tantum applicabilia, inque eo totus hæret, non animadvertit vir alioqui acutiſſimus, ſed ipſe ſibi nimium fidens, maximam quidem eorum partem, ac rationem a ſe fuiſſe prætermiſſam.

Adver-

Adverſus generalem Laurentii de Supinorum paſſivitate ſententiam pugnat etiam cap. 12. Saturnius, & poſt nova exempla in medium allata, ita ſubdit:

Ex lib. 8. *c.* 12.

Ad hunc modum Laurentius ſi præcepiſſet, & Academica illa dubitandi modeſtia, potius quam Stoica affirmandi arrogantia uti voluiſſet, multo ſibi, ac rebus ſuis conſultius proſpexiſſet. Verum dum artem ubique, tanquam Lesbia regula, ipſe ſibi accommodat, nec ſuo ſeſe modulo, ac pede metitur; quid non? Itaque reliquum quicquid eſt hujus diſputationis adverſus Laurentium conſcribatur. Faximque intelligat, Saturnium eſſe natum, qui ejus intolerabilem proterviam retundat.

Subſequitur illico caput 13. cujus initium:

Ex lib. 8. *c.* 13.

Redargutione Laurentius primum dignus, quod *ſupina* pro verbalibus accipi, vel idem ſignificare nullo *modo* poſſe contendit; ut cum Priſciano dicit, *Accipitur venatu* pro *venatione*, ſicut *miſerabile viſu* pro *miſeratione*. In quo Laurentius, quia nimis pertinaciter hæret, haud paucis ineptire oſtendendus. Proh divum, atque hominum fidem ..... Jam ne igitur ſentis, Laurenti (ſic enim tecum agam, ac ſi in vivis ageres) jam ne ſentis, his te exemplis jugulatum?

De Supinorum paſſivitate agit & cap. 14. & cap. 15. recte autem, latineque dici *Venio lectu* probat cap. 16..

Ex lib. 8. *c.* 16.

Verum qui ſemel a veritate deflexit, hunc oportet bene delirum eſſe. Itaque eadem illa phreneſi Laurentius pernegat, ſupina in *u* verbis motum de loco ſignificantibus ullo modo recte conjungi. O caput tota dignum Anticyra! Quouſque tandem furor iſte tuus bonos omnes eludet? Uſque adeone male ſenſiſti de vetuſtiſſimis illis, ut ſuo e capite genus id dicendi effinxerint, cum illuſtriſſimos latinitatis Auctores ejus locutionis ſubſcriptores habeant? .... Itaque ſuperior illa ſupinorum utendi ratio eſt perelegans, latina, atque exoſculanda: quia tamen non admodum tri-

ta

ta eſt, ea ſtudioſis omnibus, vel parcius utendum cenſuerim.

Supina in *u* aliis etiam verbis, quam de loco ſignificantibus, paſſim conjuncta reperiri, docere ſuſcipiens cap. 17. ita incipit: *I nunc Laurenti, & præclaram illam præceptionem tuam jacta*. Deſinit vero:

Ex lib. 8. *c.* 17.

Quare his tam certis, tamque præclaris exemplis jam deſinant inſanire Grammatici: Laurentioque tantum tribuant, quantum viro ſane docto, quique multa, non qui omnia ſciverit. Pars optima ſapientiæ eſt, non opinari te ſcire, quod neſcias. Nunquam errat, qui ſe neſcire non ignorat. Ubi nimium ipſi nobis tribuimus, & ſolos Attica mella manare putamus, plerumque dum argutiores, ac ſapientiores videri volumus, fallente nos veritate, ſtultiores apparemus.

Tractationem omnem de Supinis in *u* concludit Saturnius cap. 18.

Ex lib. 8. *c.* 18.

Hactenus de ſupinis in *u* ſic diſputavimus, perinde quaſi nihil cunctati ſimus, quin ea ſint vera ſupina, confutatis etiam, quæ nobis contraria eſſe viderentur. Nunc intuitus mentis altius figendus, ac veritas ipſa preſſius conſideranda. Pleraque ſunt enim, fallente forma, quæ ſi procul, & oſcitanter aſpicias, probes, eadem ſi propius, ac fixius intueare, ſtatim reprobes. Quare quicquid antea de ſupinis in *u* diſputatum eſt, equidem bene multum ſuſpicor ea eſſe nomina.

Quumque ſibi objeciſſet Quintiliani auctoritatem, ad eam ita reponit:

Itaque his tot, ac tantis rationibus cum ſupina in *u* nomina aſſerere, tranſverſi traheremur, ecce tibi graviſſimus auctor Fabius Quintilianus obſiſtit, ſtatuens ea eſſe verba participalia. Candide Lector, hic jam opinor vides, quam ſcopuloſo, ac difficili in loco verſemur. Quippe hinc validis

dis rationibus impulsi, unum sentire: hinc receptissima Quintiliani auctoritate repulsi, diversum tenere cogimur. Sed veritatem libere effari liceat. Quintiliano ego tantum tribuo, quantum excellentissimo, ac sapientissimo cuique, humana fide a quoquam tribui licitum est. Sapientia, ingenio, gravitate, eloquentia nulli Latinorum posthabeo. Ejus vestigia quotidie exosculor, ac modo non adoro. Sed omnem veritatem libere effari liceat. Homo fuit. Eo potuit *falli*, & fallere. Nec parum interest, utrum quis Auctoris, vel Grammatici fungatur officio. Illius majestas, ac dignitas sacrosancta est: hujus sententia, assertioque per se incerta. Quare Quintiliano auctoritas, quatenus auctor est, sacrosancta esto. At vero dum Grammatici fungitur officio, non ei plus quam cæteris Grammaticis (quod tanti Scriptoris bona venia dictum volo) credendum est. Quanta quanta auctoritate quis mihi Grammaticus polleat, non ejus opinioni ego adhærescendum statuo, nisi quatenus vel *ratione*, vel exemplis, quæ præcipit, comprobaverit. *Postremo in re* tam ardua ratione malo, quam auctoritate superari .... Suum nihilominus cuique jus relinquentes, de his, ut animus tulerit, & sentiendi, & judicandi, nos, quod nostrum erat, sententiam ingenue diximus. Quam recte, judicent docti, ac probi viri.

In libro nono de gradibus Comparationis differens Saturnius, haud magis quam in antecedentibus parcit Laurentio, nam contra ipsum invehitur cap. 9. his verbis:

Ex lib. 9. c. 9.

Minuenda in primis illorum opinio, qui ad plures ejusdem minime comparativis utendum contendunt. Quorum quidem argumenta hic ego appositissem, nisi partim ipsa sibi repugnarent, partimque talia forent, quæ silentio honestius, quam ulla confutatione redarguerentur. Nam quid ego tempus conteram refellendis Laurentii rationibus, cum manifesto sint falsæ? Quia tamen plerique eo insaniæ processerunt, ut illius dicta perinde habeant, ut Apollinis oracula, haud prætermittendum; quin aheneis (ut ajunt) inexpugnabilibusque exemplis saltem retunderemus.

Acer-

Acerbius adhuc Laurentius carpitur capite 13. cujus hujuſmodi eſt initium:

Ex lib. 9. c. 13.

Nullum eſt autem erratum in Latina lingua paullo inſignius, cujus Laurentius non auctor fere exiſtat; ita dum certas quaſi ad leges Latinam linguam redigit, non oppreſſam vindicat, ſed potius in teterrimam ſervitutem contrudit

In capitibus autem ſubſequentibus, ubi Saturnius agit de Superlativis, ita ſuperlative Laurentium exagitat, ut nullus progreſſioni locus amplius ab eo fiat reliquus; eo enim uſque procedit, ut Laurentium non omnium bipedum modo, verum etiam quadrupedum petulantiſſimum appellet. Itaque hujus loci eſſe videtur, ut nos quoque metas hic figamus Saturnii cum Laurentio concertationibus, quarum aſperitatem his verbis ad calcem Operis excuſat Saturnius:

Ex lib. 10. c. 10.

Studioſos omnes hic pariter exoratos cupiam, ut ne mihi vitio vertant, neve iniquiore animo ferant, ſicubi confutandis erroribus paulo mordaciores viſi ſumus. Nam veritatem quis non ſatis amat, qui falſitatem non plurimum odit? Et quamquam efficaciſſime refellit, quiſquis errorem optime retegit, veritas tamen ipſa, neſcio quo modo, altius mentibus hominum infigitur, ubi increpitando, quam ubi ſimpliciter oſtendendo, perſuadetur.

Quod Saturnii noſtri Mercurius præceptionibus ſuis non aliud toto Opere, quam veritatem ſtatuerit, atque perſuaſerit, facile quivis dignoſcet, quem non pigeat, Opus illud a fronte ad calcem perlegere, ac præcipue capita illa introſpicere, & excutere, ex quibus literarii illius certaminis præludia repræſentavimus. Ea autem in medium larga manu proferentes, id utique nos conſecu-

tos fuiſſe ſperamus, ut Lector æquus valeat ſtatim dijudicare, num ea invidia, qua Grammaticarum Inſtitutionum artifices invenimus laboraſſe, in Auguſtinum Saturnium pariter cadat, a quo nimirum ad criticam eruditionem multa quidem ſint acute, ac ſubtiliter excogitata, ad locutionis vero Latinæ uſum propemodum nihil; an vero illuſtre illud, ingenuum, ac perſpicuum Latini ſermonis ita in ejus Opere eluceat, ut de eo jure, ac merito dici poſſit, Polycleti inſtar, ſuas ipſum regulas egregie præſtando confirmaſſe. Plenam illam, ac teretem compoſitionem verborum, colorem, & habitum illum, in quibus præcipuam Latinæ linguæ laudem collocandam eſſe, monemur, ut nihil claudicet, nihil diffluat, *nihil* fluctuet, ſed tota permiſta, & temperata *numeris, æqua*biliter, conſtanterque feratur oratio, hæc, inquam, omnia in Mercurio noſtro (aut ego fallor) nemo deſideret. Non defuit, qui Vallæ Elegantias inelegantes appellaverit; at eas, num ſatis eleganter Saturnius confutaverit, ſi quis ex animo in dubium vocaret, næ ille nimis auſteras elegantiæ leges præſcriberet. Saturnii in Grammatica Arte præſtantiam non initæ tantum adverſus Vallam contentiones commendant, ſed aliæ etiam, ex quibus pariter paucula quædam ſpecimina placet hic ſubnectere; indeque magis magiſque innoteſcet, quam excellat, effulgeat, triumphet Latinæ elocutionis vis, atque nitor in ejus Mercurio.

An Latine dici poſſit, *mihi opus eſt hanc rem* ad examen revocans cap. 25. lib. 1. de duorum Grammaticorum rixa, quæ Mantuæ contigerat, hæc habet:

Ex

Ex lib. 1. c. 25.

Divi boni ut plerumque ſunt inſani iſti noſtri Grammatici, genus hominum ſuapte natura nimis rixoſum. Memini adeo duos, cum eſſem Mantuæ, haud incelebres Grammaticos (nominibus parco) inter ſe concertaſſe, Latine ne diceretur, *Mihi opus eſt hanc rem*. Quorum alter ſola ratione nitens cum negaret, alter vero Priſciani, Diomediſque opinione fultus, contra inſtaret: poſt plurima, ac turpiſſima convicia, quibus mutuo ſeſe lancinaverunt (ſic enim noſtræ tempeſtatis diſputant Grammatici) parum abfuit, quin a verbis ad colaphos, maximo omnium riſu, devenerint, quæſtione nimirum relicta inſoluta, atque inexplicata. Nos poſtea attentiſſime revolutis auctoribus, invenimus, recte, Latineque dici.

Quid ſit adverbialiter poni, & quomodo nomina adverbialiter poſita non fiant adverbia, explicans cap. 12. lib. 2. Donatum, ſuæque factionis Grammaticos his increpat verbis:

Ex lib. 2. c. 12.

Non patiar amplius te, Donate, bonis, ſtudioſiſque imponere. Nam quæ (malum) impudentia iſta eſt, ut ipſe turpiſſimi erroris convincendus, alios bene ſentientes imprudentiæ condemnes? Sunt (inquit) adverbia loci, quæ imprudentes putant nomina: in loco, ut *ſum Romæ:* de loco, ut *Roma venio:* ad locum, ut *Romam pergo*. Euge: verum in *Romæ*, *Roma*, *Romam* unde adverbia cenſes? Natura; nihil minus. Nam quis compos mentis hoc effutiat? Igitur officio, vel functione aliqua. Quo quid aliud nobis accipiendum, quam quod nomina plerumque ita funguntur officio adverbii localis, ut verbum iis perinde atque ipſis adverbiis adſtringatur ad ſignificationem loci? Etenim iſtuc tandem eſt proprie adverbialiter poni, vel fungi vice adverbii, vel eſſe inſtar adverbii, quod idem eſt, nempe cum nomina determinant verbum ad ſignificationem loci; id quod eſt proprium adverbii localis. Num nam igitur nomina iſto modo fiunt adverbia? At hoc tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum .... Vides, Donate, quam petulanter te geſſeris,

quamque abſurda, minimeque ſibi conſentientia tradiderint omnes tuæ factionis Grammatici? Errore igitur tuo iſto, atque adeo cunctorum tecum idem ſentientium, ad hunc modum confutato, ſtudioſi, priuſquam de nominibus adverbialiter poſitis præcipiamus, quadruplicem hanc veritatem in pectus alte demittant, firmiſſimeque teneant. Primum &c.

De imperſonalibus agit libro tertio, & quam venuſte uſurpentur, quam ægre explicentur, mox docet his verbis:

Ex lib. 3. c. 1.

Et bonam latinitatis partem imperſonalia ſibi vendicant? Quæ ſumma cum diligentia ni per nos teterrimis e tenebris, ac ſitu inveteratæ, ac deploratæ illius ignorantiæ, tandem aliquando in lucem redimantur, haud cauſa eſt, quin de literis peſſime dici meritus velim. Quid enim verba hæc non modo ſuſcipiam, & exoſculer, & amplectar, *quando* ſine his ſplendor ille divinus latinitatis haud *conſiſtere* poteſt? Neque tamen clam me eſt, quantum ſudoris, vel potius quantum ſanguinis mihi fundendum ſit in his explicandis. Quando & natura longe ſunt intellectu difficillima, & hoſtes quam plurimos habeam tum acerrimos, tum infeſtiſſimos. Et alioquin incredibilis quædam expectatio mihi gravis adverſaria jam ſit conſtituta. Aggrediar igitur, & quam citiſſime potero, tantum negotii abſolvam.

Id, inquam, in limine libri tertii prælocutus, ſtatim ad explicandam imperſonalium naturam accedit, eaque imperſonalia eſſe affirmat cap. 3. quoties verba ſuppoſito careant recto, adverſus opinionem Pauli Suardi, ſuperius a nobis memorati, quem Grammaticum alioquin inſignem appellat, nec non Antonii Nebriſſenſis, quem Latinæ linguæ ea ipſa tempeſtate in Hiſpania reparatæ Ariſtarchum, Varronem, Camillum plures appellarunt:

Ex

Ex lib. 3. c. 3.

Neque enim audiendi Sophiſtæ quidam, quorum opinioni & Paulus Suardus Brixiotes, Grammaticus alioqui inſignis acceſſit, & Antonius Nebriſſenſis ſumma pertinacia contendentes, infinita illa verbis ſuppoſita eſſe nomina, vel quia nihil ſubjiciatur verbis, quod idem non ſit nomen, vel quia idem ſignificant, quod ſua ipſorum nomina. Propterea que fieri, quibus verbis infinita ſupponantur, ea omnino eſſe perſonalia. Quorum quidem peſtifera, atque importuna pervicacia, quoniam longe, lateque ſerpit, & multi eorum ſuaſu inextricabilibus erroribus involvuntur, haud ultra nobis fuit propellendum, quin ſtatim eorum falſam opinionem diminueremus. Principio Grammatica, utpote manſuetioribus Muſis nuncupata, non eſt diſputando (ut dicitur) ad vivum reſecanda; neque adeo ad eam ſubtilitatis regulam revocanda, ad quam hiſpida, atque horrida Dialectica ſolet, ſed craſſiore Minerva (ut ajunt) explicanda eſt. Præterea Dialecticus, & Grammaticus, juxta Muſicorum proverbium δὶς διὰ πασῶν, inter ſe materia, propoſitoque diſtantes, nonne uterque pro ſuis principiis profitetur? Grãmatica igitur cum auctoritate, uſuque potiſſimum conſtet, atque adeo ſignificandi qualitates in primis conſideret, inque eo verſetur, ut in campo ſibi ſubjecto, nihil eſt, quod ſcrupuloſam ad illam Dialectices curam, ſuo quodam jure duas Orationis partes, nempe nomen, & verbum, tantum agnoſcentis, exigatur. Quanquam iſti (cur enim vel ipſi non modice a nobis ratiocinemur?) qui mihi obtinebunt, ut quod natura abnegaverit, id ulla ratione vel numeris, vel perſonis inſignitum reddant? Nam ſi eo ipſo quod ſupponantur, nomina fierent, eſſet fortaſſe quod eis aſſentiremur. Verum cum nominis partes ſupponendo ita gerant, ut verbi tamen ipſius infiniti rigorem nihil omnino relaxent, quid eſt, quod fruſtra laboremus in extorquendis hujuſmodi vel numeris, vel perſonis?

Durius adhuc Saturnius Priſcianum refellit cap. 11. eandem imperſonalium proſequens tractationem:

Ex

Ex lib. 3. c. 11.

More tuo facis, Priſciane. Nihil enim fere probas alicubi, quod idem alibi non improbes. Quæ inconſtantia palam facit, te, quid dicas, non ſatis intelligere. Nam quod multis in locis affirmas, idque adjunctis vel exemplis, vel gloſſulis, impersonalia paſſivæ terminationis e verbis neutris ſignificationem habere activam, iſtuc quidem recte, ac probe. Verum cum alibi tanquam tui oblitus, hujuſmodi in verbis nominativum neſcio quem poſſe ſubintelligi, obſecro, unde iſthæc in te ſuperſtitio? Nec ſatis habes, quod ipſe te levitatis infamas, niſi etiam Apollonium, ac Theotiſtum præceptorem tuum una tecum traducas.

Priſciani partes adverſus Auguſtinum Saturnium tuetur Minerva Sanctiana cap. 3. lib. 1. at quam immerito ibidem Saturnii ſententia exibiletur, æqui Lectoris judicium eſto, qui pariter decernet, num Minerva illa, quæ eo loco Mercurium mordet, alibi, & *quidem* haud raro, Mercurii ſcrinia ſuffuretur. Item cum Baptiſta Pio, quod ſpectat ad impersonalium naturam, Saturnio negotium eſt cap. 12.

Ex lib. 3. c. 12.

Baptiſta Pius e Bononia vir eſt plane maximi ingenii, & reconditarum, ac veterum litterarum in primis doctus. Homo tamen. Hic porro carmen Lucretianum exponens, ſecundo, ni fallor, commentario, ad hunc modum præcipit. *Ut per figuram dicimus, læditur manum, frangitur pedem, ſic dicere licet, legitur librum, amatur Deum.* Id quod ubi ego offendi, equidem admiratione totus obſtupui, majoremque hominis diligentiam, animique penſionem eo in loco deſideravi.... Nec mihi Guarinum utraque lingua peritiſſimum, perſuadere poſſum tale quid dixiſſe. Sed enim plerique Grammatici, quibus ut nihil cervicoſius, ita nihil temerarium magis, nihil non corruptum eunt. Ita fit, ut quæ hominum leviſſimorum propria ſunt vitia, ea optimis, ac doctiſſimis Viris impingantur.

Quan-

Quanti Saturnius fecerit Guarinum Veronenſem, ex hoc loco apparet. An autem Guarinum ſeniorem, vel Baptiſtam ejus filium deſignaverit, incertum eſt, quum uterque Grammaticales Inſtitutiones conſcripſerit. Tractatus Guarini de ordine docendi, ac ſtudendi ad Maffejum Gambaram Brixianum adoleſcentem, non dubitanter, ut aliqui faciunt, ſed omnino certe, ad filium eſt referendus. Veterem enim, quam ad manus habeo, Editionem abſque anni nota Baptiſtæ Guarini nomen Tractatus fronti præpoſitum exornat, & præterea in eo ipſe Baptiſta parentis ſui diſerte meminit ſemel, iterumque, primo quidem, dum Græce diſcentibus regulas illas commendat, *quas* (inquit) *parentis noſtri præceptor Manuel Chryſoloras ſummatim collegit, vel quas parens ipſe noſter compendii amantiſſimus ex illis contraxit*. Ad calcem vero libelli hæc habet: *Hic eſt enim & docendi ordo, & ſtudendi præcepta, quibus non minus doctiſſimus, quam optimus parens meus, & præcipiendi jure avus tuus diſcipulos inſtituebat, quæ vel hac una ratione optima eſſe putabis, quod ex ejus ludo, velut ex equo Trojano, meri literarum principes prodierunt*. Saturnio dicenti, *Nec mihi Guarinum utraque lingua peritiſſimum perſuadere poſſum tale quid dixiſſe*, conſonat Politiani illud, *Verum quando tu* (ita ipſe ad Baptiſtam Guarinum) *omnium ætatis noſtræ profeſſorum celeberrimus, aliter ſentis, nihil jam credo mihi*.

E diverticulo viam repetens, coronidis loco exſcribam verba Saturnii ex libri quinti cap. 18. & 19. quibus rationem recte, & latine deſignandi natale ſolum edocemur, ac primum nullum eſſe diſcrimen inter

Co-

Corinthium, & Corinthienſem, Brixianum, & Brixienſem, ac alia hujuſmodi, idque adverſus Ambroſium Calepinum:

Ex lib. 5. *c.* 1 &.

Lernæa cum hydra mihi res eſt. Nam quo plura errorum capita obtrunco, hoc longe plura mihi obtruncanda ſuppullulant. Sunt, inter quos vel primus auctor erroris (niſi fallor) Ambroſius Calepinus, qui obſtinatiſſime tenent, non unum eſſe Corinthios, & Corinthienſes, nimirum ut Corinthius ſit, qui ex Corintho natus, ibidem habet; Corinthienſis vero, qui aliunde natus, Corinthi verſatur. Parique ratione affirmant, alios eſſe Brixianos, alios Brixienſes, alios Hiſpanos, alios Hiſpanienſes. Circumſpicienti autem mihi, unde iſta tam ſuperſtitioſa vocum diſtinctio in mentem venerit, locus Ciceronis ad M. Cœlium ſtatim occurrit, ita ſcribentis, *Itaque ego hunc Hiſpanienſem caſum expecto*. Ubi luculentiſſimus auctor intelligit bellum civile geſtum a Cæſare adverſus Petrejum, & Afranium apud Ilerdam; ſuſpicatique ſunt, bellum illud Hiſpanienſe nuncupaſſe, quod a Romanis, non ab Hiſpanis in Hiſpania ſit geſtum. Sed enim iſti ipſi Ciceronem de eodem bello in Hiſpania geſto alibi ſcribentem ſi diligentius obſervaſſent, utique reperiſſent, illud idem bellum ab eo vel Hiſpanum appellatum fuiſſe.... Obſervanti præterea mihi magna vis exemplorum undique adfuit, quibus iſti turpiſſimi erroris convincantur.... De adductis igitur exemplis luce clarius conſtet, quicquid iſti Ariſtarchi ſomniantes effutiunt, inter Corinthium, & Corinthienſem, & id genus, quæcumque memorari poſſunt, nomina nihil omnino diſcriminis eſſe.

Illico autem, ſcilicet cap. 19. probat *Romanus*, *Athenienſis*, & id genus patria nomina tam eos, qui in urbe, quam qui ruri naſcuntur, ſignificare; nunquam autem dicendum *de Roma*, *de Brixia*, ſed *a Roma*, *a Brixia*.

Ex

Ex lib. 5. c. 19.

Irrepſit etiam, invaluitque depravata in primis & corrupta dicendi ratio, ut cum natale ſolum cujuſpiam ſignificare volumus, non patrio nomine, ut probata dicendi ratio poſtulat, utamur, Plato Athenienſis, Camillus Romanus, ſed inſolenter, ac ſordide loquentes dicimus, de Athenis, de Roma. Quæ barbaries cum apud omnes fere viget, tum vero apud nullos magis, quam quorum interfuiſſet, omnium fore tum eruditiores, tum ſapientiores. Erroremque ſuum tutantur, quod Athenienſis, Romanus, & id genus patria nomina, non aliquem in urbe, ſed in agro progenitum adſignificant. Exemplumque citant Apulejana ex Apologia: *Quanto modeſtius Mantuanus Poeta*. Conſtat enim Virgilium non in urbe Mantua, ſed in vico Ande natum eſſe, ob id vel Andinum Poetam a Silio Italico appellatum. Propterea tollendam ad ambiguitatem neceſſario dici, de Athenis, de Roma. Deum immortalem, quæ portenta agreſtes iſti, ac peſſime literati deblaterant... Quod ſi ſuperſtitioſos iſtos hæc cura circumſtat, ut repudiatis nominibus patriis, ablativis potius uti velint, perinde quaſi eo dicendi genere natale ſolum vel expreſſius, vel illuſtrius relaturi ſint, utantur ſane per me licet, ſed quemadmodum excellentiſſimi Latinitatis Auctores conſueverunt... Atque his omnibus exemplis jam perſuaſum ſit, primum nomina patria æque eos, qui in urbe, quam qui ruri naſcuntur, ſignificare. Dein nil prorſus intereſſe, utrum quis dicat, *Sum Romanus, an a Roma: Sum Brixianus, an ex Brixia*. Ablativis tamen, ubi patriorum inclinatio duriuſcula contigerit, potius utendum cenſeo. Sunt enim pleraque uſque adeo prolatu difficilia, ut primitivis ſatius uti ſit, quam derivativis.

Nemo mihi, ut ſpero, ſuccenſebit, ſi adeo multa ex Mercurio Saturnii exſcripſerim loca; ſed contra in his miram Latini ſermonis ſuavitatem, ac Tullianæ propemodum orationis ſuccum, una mecum deguſtans, illi potius ſuccenſebit, qui non quidem exercendi ſtyli gratia, ſed ſerio affirmaret, Saturnium artem Latine

loquendi, quam tradidit, ne mediocriter quidem calluiſſe. Ea ipſa loca ſatis erunt ad Brixiani Præceptoris famam ab hac labe vindicandam; aliorum partes ſint, Grammaticas Philoſophicas, Minervas, Ariſtarchos, Theſauros, qui omnes pari cum Mercuriis nota fœdantur, purgare. Aldum Manutium, Jovianum Pontanum, Thomam Linacrum, Deſiderium Eraſmum, tanquam recte, & Latine loquendi Magiſtros, in primis commendat Saturnius, num & hi quoque ad locutionis Latinæ uſum propemodum nihil ſcripſerunt? Suo itaque minime fraudetur honore Saturnius, fateamurque, non ultimam Brixiani ſoli laudem eſſe, ortum duxiſſe e Buenno Vallis Camonicæ oppidulo Virum illum, *in quo*, ut locutum diximus Janum Pyrrhum Pincium, *virtutes ſuas potiſſimum experiretur Grammatica*.

Si cujus autem ſtomacho faſtidium moveat, quod Saturnius nulli Latinorum, quemadmodum affirmantem illum audivimus, ſapientia, ingenio, gravitate, eloquentia Quintilianum poſthabeat, ejuſque veſtigia quotidie exoſculetur, ac modo non adoret, eundem ad Joannis Antonii Campani, Teramenſis Epiſcopi, Epiſtolam præfixam Quintiliani, quam ipſe curavit, Editioni remittimus. Qualis, quantuſque fuerit in politiori literatura Campanus, nemini ignotum. Suum autem de Quintiliano judicium his incipit verbis, *deeſſe eloquentiæ quicquid a Quintiliano non diſcas, & ibi artem deſinere dicendi, ubi ultimum ejus fuit præceptum*. At Ciceronis majeſtatem, & dignitatem ſacroſanctam nec Saturnius, nec Campanus in dubium propterea revocarunt.

VII. Calphurnius, cujus ſolertiæ, & eximiæ eruditioni plurimum debet, ut in ſuperiori parte hujus Operis vidimus, Latinorum Poetarum enarratio, & caſtigatio, Grammaticæ etiam Arti illuſtrandæ opportunam præſtitit opem, quin popularibus ſuis uſque modo recenſitis ad eam Artem bene, rectèque conſtituendam ducatum præbuiſſe cenſendus eſt. Siquidem quum Nicolaus Perottus Latinæ linguæ rudimenta *utili compendio* (ut Jovius ſcribit in Elog.) *ad normam digeſta, ob idque facile pueris perdiſcenda* publicaſſet, eiſdem Calphurnius, ut in Brixianis Scholis uſurparentur, Epiſtolam præfixit, qua nulla poſthac excuſatione dignos pronunciavit, *qui Alexandri barbari carmen ineptum, quod a vera, & priſca illa Grammatica prorſus alienum, cæteraſque hujuſcemodi ineptias legere pergent*. Occurrit mihi ea Epiſtola in Editione anni 1475. per Gabrielem Petri de Tarviſio, atque hujuſmodi eſt:

Calphurnius Brixienſis Antonio Moreto Brixienſi amicorum optimo Salut. plur.

QUæ ad altioris diſciplinæ cognitionem pertinere videntur, a viris noſtræ ætatis diligenter, & excitata, & emendata ſunt, quum ſuperioribus annis litteræ bonæ penitus obrutæ eſſent, & in tenebris (ut ſic dicam) minime intellectæ jacerent. At quum adhuc quædam inſulſa rudimenta, & opuſcula doctrinæ craſſioris, quibus pueri falſo erudirentur exſtarent, Viri doctiſſimi non defuerunt, qui huic quoque rei remedium ſalubre, Grammaticos priſcos imitati, afferre voluerunt. Quare perlecto Grammatices libello, qui e Nicolao Perotto Pontifice Sypontino, viro eloquentiſſimo, commode, & breviter ad puerorum eruditionem nuper editus, volui brevi epiſtola, quemadmodum petieras, quid de hoc ſentirem, tibi declarare; ut hunc tu, qui es juvenis doctiſſimus, & omnia emendata excolis, im-

preſſoribus tuis quamprimum traderes, & imprimendum diligenter, ut omnia conſueviſti, curares. Is enim libellus hujus generis eſt, ut non modo iis, qui circa prima elementa adhuc immorantur, ſed ad altiora quoque tendentibus prodeſſe poſſit. Et ut paucis, quod ſentio, abſolvam, & grammatice, & latine loqui docet. Nec video, qua excuſatione digni poſthac accipiantur, qui Alexandri barbari carmen ineptum, quod a vera, & priſca illa Grammatica prorſus alienum, cæteraſque hujuſcemodi ineptias legere pergent. Quod ſi qui hos amabunt, pauci erunt, & ex turba Academicorum docta explodi ſe ſentient. Vale.

Laurentii etiam Vallæ in linguam Latinam Elegantias aliquid debere induſtriæ Calphurnii noſtri, teſtatur Epigramma, quod ad calcem Editionis Venetæ anni 1492. affertur, quumque nullo intervallo ſubjiciatur his Laurentii verbis: *Ego Nicolaum Quintum cum propter alia ſummum hominem judico, tum vero propter id, quod non tantum cultor eſt ſapientiæ, ſed plurimos cultores efficit, haud injuria comparandus choro Muſarum, ſi quæ unquam Muſæ extiterunt, quæ & ſapere ipſæ omnia, & nobis ad capeſſendam omnem ſapientiam, auctores eſſe creduntur. Ab hoc igitur, Joannes, cujus tu intimus es, ut ad nos revertar, oraculum poſces, numquid hic liber tibi dedicatus editione ſit dignus;* iis, inquam, verbis quum illico Calphurnii Epigramma ſubjiciatur, Editor in animo forte habuit, dum Laurentius de ſuo Opere Nicolai V. ab Joanne Tortellio oraculum expectaret, quid de eo ſenſerit doctiſſimus Calphurnius, interim aperire.

Calphurnius Antonio Paſqualino de Sancto Germano Campaniæ S.

Reſtituit quondam Patriæ vexilla Camillus,
Et raptas Gallis ſolus ademit opes.

Ret-

Rettulit eloquium noſtro Laurentius ævo,
Et Capitolinæ contulit arcis opem.
Barbara cuncta jacent, ſunt hoc & vindice pulſa
Quicunque a Gothis ſigna relicta colunt.
Quod tibi debebit ſemper ſtudioſa Juventus,
Campani, Antoni, gloria magna ſoli.
Namque tua impenſa totum vulgatur in orbem
Vallenſis, notus quam fuit ante magis.

Præter laudatam Perotti Rudimentorum Editionem ad manus pariter habeo aliam *providentia Scalabrini de Agnellis de Tuſculano Lacus Benaci MCCCCLXXX. die X. Maji* evulgatam, quod argumento eſt non in Urbe tantum Brixia, ſed in ditione ejus univerſa pro rei Grammaticæ commodis adverſus Alexandri barbari ineptias fuiſſe laboratum.

VIII. Ea Benaci regio, cultorum ingeniorum pro loci amœnitate procreatrix, nos monet, ut aliquid de Parthenii Benacenſis in rem Grammaticam ſtudio hic loci dicamus. Ediderat Neapoli anni 1475. Junianus Majus Parthenopæus de priſcorum Verborum Proprietate Volumen Ferdinando Regi nuncupatum, quem laudibus exornat, quod ampla munificentia, ut omnium diſciplinarum uſus Neapoli plurimus eſſet, publicum inſtituiſſet ſtipendium, eique gratulatur, quod recens imprimendi ratio a Germanis inventa, ea in urbe fuiſſet excepta, conſilio Blaſii Monachi Romani, Viri ſacris literis inſtituti, ac ſanctis moribus probati, necnon opera Mathiæ Moravi, Viri ſummo ingenio, ſummaque elegantia in ejus artis genere præditi. Opus illud ſummo labore ex plurimis Codicibus veterum Grammaticorum, ac recentiorum etiam, Laurentii præſer-

tim Vallæ, & Joannis Tortellii depromptum, quum multis maculis inquinaretur, ejus recognitionem ſuſcepit Parthenius noſter, quem Benacenſem a patria dictum, & alium ab Antonio Parthenio Veronenſi, pluribus monumentis edocemur, inter quæ locus dandus, ut modo judico, Cornelii Vitelii ad Parthenium Benacenſem Epiſtolæ allegatæ in priore hujus Operis parte pag. 69. Ipſum in Gymnaſio Romano publico ſtipendio Rhetoricen docuiſſe affirmat Helias Capreolus Hiſt. lib. 12. Quid in ea recognitione Parthenius præſtiterit, ejus Epiſtola, ex Editione Tarviſina an. 1480. per Bartholomæum Confalonerium Brixienſem impreſſorem, recitanda declarabit.

Bartholomæus Parthenius Gir. Franciſco Throno Ludovici F. Patritio Veneto integerrimo S.

ARthemo Philoſophorum ſui temporis diligentiſſimus, quippe qui Ariſtotelis epiſtolas abſque ordine errantes in corpus unum apte, commodeque redegit, ut Demetrius Phalereus in libro de Elocutione meminit, non minus tanta laboris inquiſitione, quam Ariſtotelis poſteris conſummata editione profuit. Nam quid mortalibus ingenio, doctrinave auxilii Philoſophus ſummus epiſtolis afferre valuiſſet, ni alterius labor illas ad tempora noſtra pervenire poſſe curaſſet? Minimum profecto. Quod & de Tyrone Ciceronis liberto, qui naturæ bonitate ad centeſimum uſque annum perveniſſe fertur, dici poteſt; nam fortaſſis ad nos non integræ perveniſſent mellifluæ Ciceronis epiſtolæ, ut pleraque tanti viri monumenta, ni Tyronis ſedulitas, tum Ciceronis immortalitate, tum poſterorum utilitate, pectinatim tam apte conjunxiſſet. Quibus omnibus fit, ut litterarum bonarum docti pariter, & ſtudioſi hujuſcemodi Viris plurimum ſe debere jure fateantur. Verum iiſdem litterarum ſtudiis faventes non minus Juniano debere arbitramur, qui & ipſe tempeſtate noſtra, qua bonarum Artium ſtudia, barbarie

barie omni penitus explosa, culmen attingere videntur, infinita plurimis ex codicibus summo labore inquisita, quæ neque per indicem ordinis litterarum digesta erant, ad communem legentium utilitatem adeo breviter, apteque disposuit, ut quæque ab lectoribus desiderari possint, tanquam adamussim, sint inventu facilima. Noster vero secundi hujus Operis labor non mediocriter profuit; nam præterquamquod multa addidimus, quæ impressorum culpa, ut puto, in latinum omissa erant, innumerabilibus etiam fere dictionibus Græcas adjunximus derivationes: quandoquidem hisce in codicibus, qui tam Neapoli, quam alibi impressi fuerant, ubique Græcæ dictiones deessent, sine quibus quo ad orthographiam, & ad veram vocabulorum significationem pertinet, legentium animi proculdubio hesitare potuissent, quoniam litteræ nostræ inde fluxere, ut Fabius meminit. Nostram igitur hanc recognitionem, Francisce Throne, Vir integerrime, tibi dicavimus, quæ judicium tuum acre, ac diligens, quo tam in Reipubulicæ tuæ negotiis, quam in litterarum studiis uteris, experiatur, ut animo illo tuo ingenuo, quid de ea sensseris coram exprimas. Vale.

Ad eundem Franciscum Thronum, Ludovici filium suam in Thucydidem, quem Laurentius Valla in Latinum sermonem converterat, recognitionem transmisit idem Bartholomæus Benacensis, de qua suo loco.

IX. In hac, quam prosequimur, tractatione ut locum aliquem sibi vindicet Jovita Rapicius Brixianus, efficit libellus de puerili Institutione ad Rectores, & Decuriones Bergomates, ab eo conscriptus, postquam in ea civitate annos prope XV. publico stipendio conductus, literarium ludum rexisset. Ex eo libello manu exarato Procœmium illico refero.

Magnif. Rectoribus, & Decurionibus Bergom. Jovita Rapicius S.D.

MArcum illum Catonem gravissimum Senatorem, & Imperatorem optimum dicere solitum legimus, existi-

mare

mare ſe eum plus Reip. profuturum, qui diſciplinam militarem litterarum monumentis mandaſſet, quam qui fortiſſime pugnaſſet, propterea quod unius ætatis ſunt, quæ fortiter fecerunt; quæ vero pro utilitate Reip. ſcribuntur, ea prope æterna eſſe conſueverunt. Itaque poſtea de re militari adeo diligenter ſcripſit, ut ejus ſcripta, atque inſtituta poſt multa ſæcula, non ſolum Romanæ Reip. ſed omnibus nationibus, quæ latine intelligerent, plurimum profuerint. Ego vero & mea in vos obſervantia, & veſtris in me beneficiis excitatus, diu, multumque cogitavi, quonam pacto ſi qua me vel ratio, vel fortuna a vobis avocaſſet, aliquid non ingrati animi monumentum relinquerem, quo vobis & abſens prodeſſem: id tandem (ſi parva magnis licet conferre) Catonis exemplo mihi videor inveniſſe. Nam annos prope jam XV. a vobis publice conductus, qua fide debui, docere ſum conatus, & quantum vires meæ ferebant, pugnavi adverſus inveteratum in urbe veſtra errorem, quo tum ſua, tum veſtra culpa præceptores majore turba onerantur, quam ſuſtinere nequeant: ideoque fit, ut diſcendarum litterarum prætextu liberi veſtri magnam adoleſcentiæ partem fruſtra conterant, cum ad eos mittuntur, qui nec docere illos poſſunt, nec continere, quia numero opprimuntur. Hanc ergo ingeniorum perniciem dum tollere adnitor, adjutores ſæpius conduxi, ut diſtributum in multos onus commodius ferri poſſet: & in ea qualibet re quantum profecerim, malo eorum, qui a me diſcere non neglexerunt, voce prædicari, quam mea. Jure tamen affirmarim, id tantum eſſe, ut me non admodum aut laboris, aut impendii pœniteat. Verum adeo difficile prava in melius mutantur, ut niſi præcipua quædam cura veſtra, & auctoritas publica interceſſerint, omnia in pejus ruitura intelligam. Itaque quæ ad inſtitutionem puerilem utilia exiſtimavi, tum ex Fabio Quintiliano, & aliis nonnullis collecta, tum a magiſtris meis olim mihi tradita, & a me longo jam experimento explorata, ac comperta, brevi libello ſum complexus, & ejus ſcholæ, quam urbi veſtræ maxime neceſſariam arbitror, imaginem quamdam effinxi, ut ſi non diſplicuiſſet, vel jam nunc, vel certe alio aliquo tempore eam inſtitueretis; quod ſi feceritis,

nihil

nihil dubito fore, quin liberi veſtri, & majore temporis compendio, & minori pecuniarum impendio, eas artes, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, non ſine ſumma totius civitatis voluptate poſthac diſcant. Id autem ut primo quoque tempore faciatis, liberorum veſtrorum ingenia ad honeſtas omnes diſciplinas naturæ beneficio aptiſſima, vos non hortari tantum, ſed compellere mihi videntur.

In exiguo hoc Rapicii noſtri libello, ut Lector ſibi perſuadeat, valde utilia ad puerilem Inſtitutionem contineri, afferam præterea pro Specimine integrum caput, quod inſcribitur:

De Officio Specialium Magiſtrorum.

IS vero, cujus fidei, ac curæ commiſſi erunt triginta pueri, eos primo ſtatim mane, tum ex Poetis, tum ex Oratoribus, qui pro tempore enarrabuntur, quantum eorum fere memoria potuerit, tantum recitare compellat; ſic enim & memoriam exercebunt, & aſſueſcent optimis, ſemperque habebunt intra ſe, quod imitentur, atque abundabunt copia verborum optimorum, compoſitioneque, ac figuris jam non quæſitis, ſed ſponte, & ex repoſito velut theſauro ſe offerentibus. Inter audiendum autem emendet, ſi qua vitia ſunt oris, exigatque acriter, ut expreſſa ſint verba, nec in faucibus audiri, nec extremas ſyllabas intercidere patiatur. Obſervandumque erit, ut geſtus ad vocem, vultus ad geſtum accommodetur, ut recta ſit facies dicentis, ne labra diſtorqueantur, nihil denique faciat puer, quod non deceat. Et jam tum diſcat, quomodo narrandum, qua auctoritate ſuadendum, qua voce excitetur indignatio, quo flexu miſeratio moveatur. Denique eodem tempore vocem, memoriam, ac pronunciationem exerceat: quod ubi fecerit, prælegat, ita ut non tamen enarret ea, quæ mox in auditorio erunt audienda. Deinde omnes cum ſuis quemque libris in auditorium inducat, & ſumma intentione audire compellat, & cum illis ipſe quoque diligenter audiat. Statimque ab auditione in cellam ſuos quiſque revocet, atque ibi etiam clarius, & (ut ajunt) craſſiore Minerva, quæ audita erunt, omnibus

ſummo ſilentio audientibus repetat. Poſtea autem e ſingulis decuriis ſingulos eligat, qui ipſi quoque aliis ſilentibus eadem illa dictata ſumma cura reddant. Mox vero diſtributo, atque ideo leviori labore ſinguli ſingula, dummodo incerti ſemper ſint, ac non prius, quod reddere eos oporteat, intelligant, quam illis imperatum fuerit, ut hæc ipſa incertitudo eos ſemper ſuſpenſos habeat, coganturque nihil omnino non intelligere, quum nihil ſit, quod non quaſi forte quadam contingere illis queat; nihil hoc pacto ex audiendi, & ſtudendi diligentia diſcentibus peribit, & multum ſuperflui laboris magiſtro adimetur. Atque hæc quidem prandium præcedent. Statim autem a prandio, quam diligentiſſime poterit, nomina, ac pronomina, verbaque, & participia omnia, quæ in verſibus mane enarratis ſuerint, a diſcipulis declinanda curabit. In his vero partibus, quæ declinationem non recipiunt, ſignificationes, differentias, atque accidentia a diſcentibus exiget, diſtributo pro portione vocum in omnes labore, pedum quoque proprietates eodem *modo* reddi ſibi poſtulabit, quas jam inde a prima *ætate notiſſimas* fieri pueris erit utiliſſimum, tum propter poemata, tum propter oratoriam compoſitionem. Inter hæc ipſa autem Orthographiam quoque docebit, in iis maxime dictionibus, in quibus, facile labi poſſe ſcribentem animadverterit; nec quicquam omnino contemnet, quod prodeſſe diſcentibus exiſtimaverit, neque vero ambitioſa feſtinatione a poſterioribus incipiat, & dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſa mavult, compendio ipſo moretur. Dignoſcere ergo nomina a verbis, & utraque optime declinare doceat, nec vero contentus ſit ea, quæ analoga erunt, tradidiſſe, ſed omnia plane, quæ in nominibus heteroclita, in verbis anomala, atque defectiva dicuntur, ſumma cura oſtendat, tum in nominibus quæ propria, quæq; appellativa, quæ per ſe ſubſiſtant, quæ ſubſiſtentibus adiiciantur, quæ antecedentia, quæ relativa ſint, quo nexu adiectiva ſubſtantivis, relativa antecedentibus, recti caſus verbis jungi ſoleant; nec prius quemque provehat, quam hæc in promptu habuerit. Atque hic primus ordo ſit. Secundus eorum, cum quibus caſibus activa, & paſſiva verba jungenda ſint, jam diſcere inci-

incipient. Tertium vero neutra communia, deponentia, atque impersonalia constituent, quibus eorum, quæ frequentativa, quæ meditativa, quæque inchoativa appellantur, formationes, atque inclinationes adiiciendæ erunt, ne quorum constructionem discent, eorum originem, ac figurationem ignorent. Quartus participiorum constructioni discendæ destinetur. Quintus distributivis nominibus, & adverbiis tum temporalibus, tum localibus, quorum pleraque inde descendunt, diligentius inspiciendis, ac plane percipiendis incumbent. Sextus patronymicorum, possessivorum, ac diminutivorum, participialiumque, & verbalium, atque adverbialium nominum, & eorum, quæ specialiter denominativa dicimus, formationes discat. Septimus comparativa, ac superlativa. Octavus relativa, ac metaplasmos. Supremus schemata lexeos, ac tropos; qui ordines, etsi nimis multi fortasse videri possunt, mirum tamen est, quanto facilius ita literæ tradantur, quantumque animi hic ad superiores subinde ordines progressus discentibus adiiciat, dum partem itineris, quam emensi sunt, læti respiciunt, & minus, minusque in dies laboris supereſſe sibi lætantur: neque nimia, ac confusa operis mole deterrentur, sed divisum in partes omnes majore fiducia suscipiunt, & minori labore perferunt. Videat ergo, ne quid præposterе doceat, ordinemque tum in omnibus rebus, tum in hac maxime utilem esse existimet, nec ullum in superiores ordines vocet, nisi quem in inferioribus, quantum necesse est, didicisse perspexerit. Ubi vero hunc quasi orbem expleverint, tum demum epistolas familiares tenere, & imitari elegantiam veterum incipiant, neque tamen statim dimittantur, sed adhuc in officio contineantur, & quæ didicerunt, iterare, & alia docere compellantur, ut discant pariter, ac doceant. Ut vero in ordines, quos superius attigimus, redacti, habeant semper aliquid, quod agant, diligenter excogitata, ac sua manu scripta themata, singula singulis ordinibus accommodata, statim a prandio exhibebit; dabit autem operam, ne aut inania sint, aut sensu inepto, aut sermone insulso, sed aut historiam memorabilem, aut sententiam moribus utilem, aut fabulam, aut apologum, aut figuram aliquam,

tropumque, aut exquiſitas difficultates contineant, quæ ut facilius, ac commodius præſtare poſſit, quicquid illi temporis a docendi labore ſuperfuerit, id totum bonis authoribus evolvendis impendet, atque inde quaſi quoſdam flores ſibi deliget, quos poſtea ad diſcentium utile oblectamentum promat. Ea themata poſtquam omnes ſcripſerint, & in Latinam linguam traduxerint, diligenter inſpecta emendabit, & dictorum, ac ſcriptorum rationem minutim, ac ſubtiliter exiget, diſtributo in omnes reſpondendi onere, quod ubi per ſingulos ordines expleverit, mutuis diſcipulorum inter ſe interrogationibus, quod temporis ſuperfuerit, concedat; atque ubi jam ſinguli quaternos (ut hodie vulgus loquitur) interrogaverint, & rurſus ipſi a quaternis interrogati fuerint, in auditorium omnes deducat, ac poſt auditionem tandem dimittat. Ipſe etiam interdum declamando ſui periculum, ſi videbitur, faciat, aut prælegendo, & interpretando in publico auditorio, & nova diſcendi irritamenta pueris ſuggerat.

Ad rem Grammaticam etiam facit ejuſdem Rapicii Epiſtola, qua Brixianæ Juventutis Præceptoris, ſcilicet Jacobi Petrecini Caſtionatis in Terentiani Mauri libellum, de Literis, Syllabis, Pedibus, ac Metris eruditos Commentarios probat, eamque ex Veneta Editione an. 1533. mox recito.

Jovita Rapicius Jacobo Petrecino ſuo S. D.

LEgi, ut petieras, Commentarios tuos in Terentianum eruditos ſane illos, & planos bonæ frugis. Proinde, ut debui, ex animo gaviſus ſum, te, qui jam pridem Brixianam Juventutem docendo, eruditionem tuam tantæ illi Civitati comprobaras, poſtquam in Patriam, & amœniſſimos iſtos muſarum ſeceſſus rediiſti, jam etiam ſcribendo, rem latinam juvare, & otio iſto, quod tua tibi virtus, atque induſtria peperit, ita frui, ut prodeſſe mortalibus non deſinas. Itaque velim, optime ſperes. Nam quod ait Flaccus, *aut virtus nomen inane eſt, aut decus, & laudem recte petit experiens vir.* Magnum tibi ad gloriam aditum fama patefecit,

cit, quæ non contenta Cenomani agri finibus, nomen tuum latiſſime circumferre cæpit, atque eos etiam, quos nunquam vidiſti, tibi amicos reddidit. Ego certe, qui hactenus tuum erga me animum dilexeram, jam num tuam iſtam in re literaria ſedulitatem ita amo, ut tibi de me ſumma cum fiducia poſſis omnia polliceri. Vale. Ven. VIII. Kal. Decembris M. D. XXXIII.

Ad Jacobum hunc Petrecinum Joannes Planerius Epiſtolam ſcribit, qua obſecrat, ut Annotationes illæ in Terentianum ad ſe tranſmittantur; cujus voto ſatisfaciens Jacobus, ac proinde Annotationes illas tranſmittens, petit ipſe, ut hoſpitio, licet inſulſæ, apud Planerium ſuſcipiantur, ut ſaltem, quod propria vi non merentur, id honoris ab aliis, ſub umbra Planerii ſedentes, adipiſcantur.

X. Quo jure in Grammaticorum ſyllabo reponendus veniat Joannes Taberius Rovatenſis, nemo a nobis requiret, qui de eximia ejus in Græcis, Latiniſque literis præſtantia, & ſingulari prorſus ſedulitate in Brixiana pube erudienda, in ſuperiori parte hujus Speciminis dicta animo recolat; memineritque præſertim, Auguſtinum Saturnium paulo ante memoratum, Joanni Inſtitutori ſuo, Viro (ut ait) poſt homines natos ſimul inter doctos longe optimo, ſimul inter bonos utriuſque linguæ in primis doctiſſimo, acceptum retuliſſe poſt Deum, quicquid in ſuo Mercurio politioris eſſet doctrinæ. Attamen quod Taberii nulla exſtet Grammatica lucubratio, poſteriorem hunc locum ejuſdem mentioni reſervavimus, quem honorificum imprimis efficiet Aldi Manutii, quod pariter huic loco reſervavimus, teſtimonium. Magnum illud literarum numen, Manutius, Taberium

noſtrum dignum reputavit, cui Stephanum, qui de Urbibus ſcripſit, dicaret, hiſce verbis Epiſtolam exorſus: *Quantum voluptatis cœperim, Taberi, cum in iſta Urbe populoſiſſima, nobiliſſimaque Brixia, plurimos ſummo ſtudio incumbere literis Græcis, te Magiſtro, accepi, non facile dixerim;* atque hiſce eam claudens: *Eum librum tibi dicamus, Taberi ſuaviſſime, munerique mittimus, ut cum ſanctiſſimis moribus, optimiſque literis in iſta Urbe digniſſima, opulentiſſimaque Brixia, juventutem inſtituas, cognoſcas, te propterea a nobis amari plurimum, ſitque hic liber apud te μνημόσυνον amoris ſummi erga te mei perpetuum.* Mirari in eadem Epiſtola Manutius ſe ſcribit, quum jam ea tempeſtate tot annos omnia arderent armis & Chriſtianorum, & Infidelium, homines tamen ſic incenſos ad literarum ſtudia eſſe, incendique in dies magis, ut invitis bellis, & inter arma literæ, quæ tot ſæcula obrutæ jacuere, emergant; jamque non in Italia ſolum, ſed etiam in Germania, Gallia, Pannonia, Britannia, Hiſpania, & ubique fere, ubi Romana lingua legitur, non modo ab adoleſcentibus, juvenibuſque, ſed a ſenibus quoque ſumma aviditate ſtudeatur literis Græcis. Id, inquam, miratur, & ſtudioſis omnibus gratulatur Manutius; at quanto magis Brixiæ gratulandum, quod in tanto literatorum hominum proventu, ejus urbis ſtudia, ac Brixiani Magiſtri præſtantiam, ipſe Manutius ea nuncupatione cæteris omnibus quodammodo prætuliſſe ſit viſus?

XI. Nil mirum igitur, ſi Græcis etiam literis Brixiæ adeo effloreſcentibus Græca ipſa Grammatica haud parum lucis a Brixiana Literatura accepit. Methodum lin-

linguæ Græcæ libris quatuor comprehendit Cornelius Donzellinus Brixianus, qui Coſimi Ducis filiis Franciſco, & Joanni Principibus Mediceis in tenella ætate conſtitutis Opus ſuum dedicavit, dum interea de Dialectis, atque de Syntaxi libros elaboraret, ſolidiores præterea, ac lautiores cibos pollicitus, ipſiſque Principibus magis dignos, ubi per eorum ætatis, atque animi robur licuerit. Donzellini Methodum exhibent mihi Baſileenſes Joannis Oporini typi an. 1551. cum Epiſtola Nuncupatoria, quæ hujuſmodi eſt.

Illuſtriſs. Principibus Franciſco, & Joanni, Coſmi Medices, Reip. Florentinorum Ducis, FF. Cornelius Donzellinus S.P.D.

CUm ad vos officii gratia aliquando adire, Principes excellentiſſimi, decreviſſem, ejus mihi præcepti venit in mentem, quo Dominus populum ſuum rite inſtituens, neminem ſuo conſpectu dignum exiſtimat, quin ſecum donarii quippiam illuc attulerit; neque id itidem ab eodem temere factum arbitratus, cum paſſim judices, ac magiſtratus auguſto, ac ſanctiſſimo illo deorum nomine dignatur: Statui demum non ante V. E. inviſere, quam munuſculum aliquod, non copiarum, ſed animi erga vos mei certiſſimum argumentum, ac monumentum perpetuum præmiſiſſem. Id quod mihi nunc fœliciter ſane cecidit, nam cum jam ſexennium, Methodum quandam Græcanicæ linguæ, ejus dumtaxat quam communem nominant, inchoaſſem, eam nunc denuo in manus ſumptam, intra paucos dies, quos huic operi, gravioribus ſtudiis pauliſper ſepoſitis, dicaram, recognovi, ac politiore quadam arte perfeci. In qua elaboranda, unum id mihi conſilium fuit, non noctuas Athenas, ut ajunt (quippe qui eruditiſſimis præceptoribus aſſidue operam detis, quibus nihil ſit noſtris hiſce puerilibus næniis opus) neque honeſtos, ac impendio utiles aliorum labores e manibus juventutis excutere, ſed illos potius, quantum per me fieri potuit, exornare, excolere, atque omnibus numeris abſolutos, in communem τῶν φιλελλήνων commoditatem,

atque

atque utilitatem invulgare. In quibus ego cum multa alia desiderabam, tum illud præcipue, ut in tyrunculis instituendis, & brevitatis simul & artis rationem habuissent. Nam cum in his non pauca supersint, in illis contra multa etiam desint, in aliis certum præceptionum ordinem, in aliis tradendi facilem quandam rationem, atque in dicendo perspicuitatem requiras, fit ut hisce tot, tantisque in docendo incommodis, adolescentium animi aut non mediocriter retardentur, aut ab hujus tam necessariæ linguæ rudimentis prorsus aversi, ditissimis Græcarum copiarum thesauris indigne fraudentur. Quibus ego uti consulerem, atque eos in suscepto labore, atque studio retinerem, dedi operam, ut juxta eam methodi rationem, quam Aristoteles ille unus, atque idem optimus informandæ methodi artifex, in posteribus illis suis Resolutoriis tradidit, artem hanc breviſſimis, ac planissimis præceptis, hoc est, ἀμαθέστερον, ἀλλὰ σαφέστερον expedirem, atque conficerem. Quod an præstiterim, aliorum esto judicium. Certe sum id totis nervis conatus. Quod si minus ex sententia succesſerit, uti sane *fieri potest* (quis enim non alicubi labatur, atque erret?) ingenium, ac prudentiam mihi, non juvandi voluntatem, neque studium defuisse, ingenue confitebor. Porro cuinam potissimum, hoc quicquid est operis, consecrarem, cum diu mecum id, multumque cogitassem, in eam tandem sententiam adductus, atque adeo raptus sum, ut nullos præ vobis hocce munusculo dignos existimarim. Nam sive illustres Majorum imagines, sive Patris amplitudinem, atque gloriam, sive ingenia, ac studia vestra intueor, quibus id, præterquam unis vobis, dicari fas sit, hercle non video. Nam quis Laurentiis, quis Cosmis, quis Petris illis vestris aut sapientior, aut justior, aut omni denique disciplinarum, ac virtutum genere ornatior? Quis vero Augustus, aut Mecœnas sit cum illis vel studio, ac benevolentia in eruditos, vel liberalitate, ulla ex parte comparandus? Nanque ut illis Virgilios, Horatios, Ovidios (fateor) debemus: ita his (dicam enim quod sentio) longe uberiorem, feliciorem, atque adeo severiorem illam doctissimorum virorum, hoc est Oratorum, Historiographorum, Dialecticorum, Mathematicorum,

ac

ac Philoſophorum ſegetem (Politianos inquam, Landinos, Aretinos, Crinitos, Marſilios, atque alios innumerabiles) ferimus acceptam, ut quod de Iſocratis ſchola Cicero, id nos de ſingulari illorum, atque inimitabili benignitate jure optimo dicere poſſimus: ex ea plures in omnibus nobiliſſimarum artium ſtudiis conſummatiſſimos, quam ex equo Trojano armatos, prodiiſſe. Jam vero *quid de* Coſmo, illuſtriſſimo Duce, ac Patre veſtro dicam? Qui honeſtiſſimis Majorum ſuorum veſtigiis ingreſſus, tam celebre ſibi, atque glorioſum nomen comparavit, ut quem ſeu pietate, ſeu juſtitia, ſeu fide, ſeu prudentia, ſeu magnificentia munerum, ac liberalitate naturæ, cum eo conferre poſſimus, neminem habeamus. Diſpeream, ſi vana loquor. Cum de illo cogito, cogito autem quam ſæpiſſime, vel unus mihi videtur (ne decem hic Neſtoras cum Agamemnone ſomniem) Chriſtianam Rempublicam afflictis hiſce, ac prope deſperatis temporibus miſere oppreſſam, in veterem illam, atque incorruptam diſciplinam, libertatem, atque dignitatem feliciter aliquando vindicaturus. Tanta in juvenili adhuc pectore elucet vel ſanctimonia, vel ſeveritas, vel gravitas, atque conſtantia, ut unus religioni reſarciendæ, corrigendis moribus, reſtituendæ diſciplinæ, virtutibus ceu poſtliminio in orbem revocandis, atque omnibus nobiliſſimarum doctrinarum ſtudiis, quæ jam pene intermortua erant, ab inferis excitandis (quæ is accerſitis undiquaque excellentiſſimis ingeniis, atque doctiſſimis profeſſoribus, ampliſſimiſque præmiis propoſitis, ſumma benignitate, ac munificentia fovet, alit, atque incredibiliter provehit) natus eſſe videatur: quarum artium ſplendore non Italiam modo, ſed jam exteras quoque regiones omnes mirifice illuſtrat. Verum ne me aut Soli lumen addere, aut vane aſſentari exiſtimetis (a quo ego vitio ſemper natura, nunc vero etiam ratione, atque conſilio tam abhorreo, quam qui maxime) nihil hic amplius dicam. Vos tantum hortari non deſinam, ne vobis ipſis deſitis, & quas divinitus vel animi, vel ingenii, vel aviti, ac paterni ſplendoris dotes conſecuti eſtis, eas ad pietatis, honeſtatiſque, ac bonarum literarum ſtudium (uti facitis) ſedulo conferatis, quo & vobis, ac ſplendidis Majorum ve-

ſtrorum nominibus honori, & Florentinæ Reipublicæ utilitati, & univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ emolumento, ac ſaluti eſſe poſſitis. Accipite igitur, Principes ampliſſimi, id qualecunque meæ in vos obſervantiæ pignus, atque eo tantiſper fruamini, dum noſtros de Dialectis, atque item de Syntaxi libellos, quos in manibus habemus, vobis, ceu ſummam totius hujuſce Methodi perfectionem, elaboramus. Nam quod hoc, ceu lacte, vos nunc alendos ſuſcepimus, id ætatulæ huic veſtræ, ac teneris etiamnum annis dedimus: ſolidiores deinceps, ac lautiores vobis cibos, atque nobiliſſimis, & honoratiſſimis Principibus cum ad cognoſcendum, tum ad agendum magis appoſitos, ubi per ætatis, atque animi robur licuerit, miniſtraturi. Nam vobis, atque uni demum illuſtriſſimæ familiæ veſtræ Mediceæ, omnes ſemel ingenioli noſtri fructus, quamlibet tenues, edere, atque religioſe dedicare conſtitui. Dominus Jeſus Chriſtus veſtram iſtam vere divinam, ac regiam indolem, ſolida pietate, ac ſanctimonia in dies imbuat, atque excolat, ac ſuo ſpiritu ab omnibus vulgi inquinamentis puriſſimam ſervet: quo in Patris veſtri, velut unici exempli, inſtituta ac mores formati, eos vos orbi præſtetis Duces, ac Principes, quos noſtra hæc tempora & deſiderant, & ſibi jure optimo pollicentur. Valete Principes clariſſimi, meque vobis deditiſſimum (qua eſtis humanitate) agnoſcite, atque diligite.

Grammaticos Græcos, qui renaſcentibus literis floruerunt, poſtquam recenſuiſſet Voſſius de Arte Gram. l. 1. c. 4. ſubdit, ex Latinis, qui Græcam Grammaticam condiderunt, Urbanum Bellunenſem primum fuiſſe, qui aliquo loco haberi mereatur, ejuſque exemplum multos poſtea ſecutos, ex quibus doctrinæ, & induſtriæ laudem maxime meruerint Angelus Caninius, & Fridericus Sylburgius. Locum inter eoſdem Cornelio quoque Brixiano aſſignandum, vel illud demonſtrat, quod dignus ſit habitus, qui ea tempeſtate Mediceorum Principum ſtudiis, ut Urbano quoque Bellunenſi contigerat,

rat, præeſſet ; quodque ejus Methodum, Joannes Oporinus, Typographus, haud minus ab eruditione, & frugiferarum lucubrationum delectu, quam a typorum ſpecie laudatiſſimus, Baſileæ evulgandam ſuſceperit anno, ut ſuperius adnotavi, 1551. quo tamen in Annalibus Typographicis Opus illud minime comparet.

XII. Nobis Grammaticarum Inſtitutionum recenſioni finem jam imponentibus Benacenſes typi occaſionem præbent aliquid dicendi de Aldi Manutii Grammatica, nam eam non multo ante in lucem editam ſtudioſe occupavit, atque evulgavit an. 1519. Tuſculani in ædibus ſuis Alexander de Paganinis. Appoſuit Aldus Præfationem optimis utique refertiſſimam monitis, quibus non tyrones tantum, ſed & ipſi noſtræ tempeſtatis Magiſtri, utinam proficerent ; hique præſertim caverent, ne illos memoriæ commendare cogerent lucubrationes ſuas vel carmine, vel proſa oratione, etiam de arte, compoſitas, quas ſcilicet quum ſummo labore pueri edidicerunt, paucis diebus dediſcunt, eoque præterea deſperationis tum materiæ, tum ſtyli difficultate, veniunt, ut & ſcholas, & literas fugiant, & ſtudia, quæ amare nondum poſſunt, maxime oderint; dum contra præſtaret, illos eo tempore facilius, meliuſve vel Ciceronis aliquid, vel Virgilii, aliorumve illuſtrium Auctorum ediſcere. Hæc omnia ſe puerum expertum fuiſſe tradit Manutius, dum ſcilicet, præceptore cogente, Alexandri carmen de Arte Grammatica memoriæ mandaret. At non aliud in ea Manutii Præfatione ſalubrius monitum, quam illud, quo diſcentium puerorum mentes Chriſtiana in primis

pietate imbuendas præcipit, *Itaque* (inquit) *enitendum pro viribus, ut et ſanctos mores, et bonas literas ſimul edoceantur adoleſcentuli, quando alterum ſine altero facere nullo modo licet. At ſi in altero peccandum foret, potior mihi ratio vivendi honeſte, quam vel optime diſcendi videretur. Malo enim, eos nullas ſcire literas ornatos moribus, quam omnia ſcire male moratos, maliſque ſimillimos eſſe dæmonibus, qui etſi multa ſciunt (nam id ideo illis inditum eſt a Græcis nomen) ſunt tamen quam peſſimi.* Quantum præceptorum virtus, vitiumve profit, aut noceat parvulorum moribus, oſtendit exemplo Leonidis pædagogi, qui Alexandrum vitiis imbuit, quæ robuſtum quoque, ac maximum Regem ab illa inſtitutione puerili ſunt proſecuta.

Benacenſem Typographiam, Aldinæ, ut *infra* docebimus, propemodum æmulam, Annales Typographici referunt ad annum 1523. quo Ciceronem de Offic. Amicit. Senect. Paradox. cum Comment. diverſorum editum Tuſculani apud Benacum commemorant. Itaque eorum Annalium conditori minime comperta fuit, non ſolum Editio illa, quam ſupra allegavimus, Rudimentorum Perotti anni 1480. opera impreſſoris Benacenſis evulgata, ſed etiam alia hæc an. 1519. Inſtitutionum Manutii. Quum enim eo ipſo anno 1519. laudetur in iiſdem Annalibus Florentina earum Inſtitutionum Editio, facile colligi poteſt, & Benacenſem eoſdem memoraturos, ſi exploratam habuiſſent. Inſtitutiones Manutii iterum excuſas fuiſſe Tuſculani ab eodem Paganino an. 1532. declarat Editio, quam pariter ad manus habeo.

ORA-

ORATORIA.

ET in Oratoria Arte excolenda magnam ſibi laudem Brixiana ingenia vindicarunt. Fervebat ea tempeſtate, cujus literariam hiſtoriam noſtra hæc lucubratio proſequitur, inter Rhetores concertatio de Oratoris Fine, pugnantibus aliis pro ſententia Ciceronis, aliis vero eidem Quintiliani ſententiam præferentibus; eoque contentionis ardor evaſit, ut Venetiis in Divi Stephani æde in frequentiſſimo Patritiorum, Senatorum, doctorumque Virorum conſeſſu fuerit ea de re diſputatum a Marino Becichemo adverſus Raphaelem Regium præſentem, & audientem. Actionis hujus celebritas deſcribitur a Paride Stephanio in Epiſtola ad Hieronymum Bononium, quam ipſe Marinus Prælectioni ſuæ in Plinium inſeruit. Ibi Stephanius poſtquam narraſſet, funebrem laudationem in Joannem Baptiſtam Scytham a Marino, quum eam provinciam tam Sabellicus, quam Regius detrectaſſent, viginti horarum ſpatio fuiſſe compoſitam, & in Templo Divæ Mariæ Formoſæ ab hora vigeſima prima uſque ad tenebras recitatam, eique univerſam Civitatem plauſiſſe, ac præſertim, *ſummæ auctoritatis, & probitatis, divinique judicii Viros, Bernardum Bembum, & Marcum Dandulum Jureconſultos, & Equites, Equeſtris quoque ordinis Viros Georgium Hemum, et Andream Triviſanum, Antoniumque Juſtinianum, et Petrum Paſchalicum Patritiorum Principes, alioſque Senatores ampliſſimos, quos recenſere infinitum eſſet, ex junioribus Angelum Gabrielem, et Petrum Bembum Patritios utraque lingua eruditiſſimos, Cauſidi-*

ſidicos, et Juris, et Humanitatis, ut vulgo appellantur Profeſſores, inter quos Brognolum, Sabellicum, Regium, et Amaſæum; id inquam quum narraſſet Stephanius, Actionem, quæ ad propoſitum noſtrum modo ſpectat, his verbis deſcribit: *Quid plura? tota Civitas in laudem, et admirationem peregrini, ignotique Oratoris converſa eſt; confirmataque in ea opinione non multis poſt diebus, tum in Gymnaſio ſæpius, tum in Æde Divi Stephani celebri illa concione, quam contra Regii præſentis, et audientis diſceptationes fulminavit, ad quam audiendam concurſus fuit omnium, quotquot in Urbe ſunt literati, & literatorum amatores. Interfuerunt præterea his omnibus Nicolaus Michael Divi Marci Procurator, Eminentiſſimi Equites Zacharias Contarenus, & Franciſcus Maurocenus, Jureconſultus Marinus Georgius, omnis Philoſophiæ decus, Lucæ Quirinus, atque Thronus, et Franciſcus Bragadinus, eloquentiſſimi Senatores. Prætereo Conſtantinum Priolum, venerabilem ſenem illum, qui in media concione clamavit, quum Marinum ex pulpito deſcendentem amplexus eſſet,* Beatus venter, qui te portavit, *Dominicum Contarenum, Laurentium Priolum, et pleroſque literatorum fautores. Præterimitto Capellos, Contarenos, Navigerios, Barbaros, Foſcaros, & reliquos aſſiduos Patritii generis auditores; quique interfuerunt etiam (vulgo Secretarios, & Ducales Notarios appellant) Viri graves, Gaſpar Vidua, Georgius Niger, Marcus Beatianus, Bernardinus Ambroſius, Franciſcus Tajapetra, item Franciſcus Benedictus, Joannes Roſa, & alii ejuſdem ordinis non ineruditi juvenes.* Eam de Fine Oratoris Diſſertationem pro ſuggeſtu recitatam Marinus Petro Paſchalico

tranſ-

tranſmiſiſſe reperio cum Epiſtola, cujus initium eſt: *In maximis R. P. occupationibus, et altiſſimis ſtudiorum tuorum laboribus concionem noſtram videre cupis, limatiſſimoque judicio tuo perpendere, ut audiendo probaſti, quibus argumentis Raphaelem Regium præſentem, et audientem in Divi Stephani Æde confutaverim.*

Hæc de celebri illa controverſia a nobis ſunt prælibata, ut Lector ſtatim dignoſcat, Brixianam literaturam, quo doctius, & ſolidius in ea dirimenda laboravit, ut mox videbimus, eo inſignius meritam fuiſſe de Oratoria Facultate, cujus ſcilicet maxime intereſt, ne de ejus ſcopo diſputantes, a ſcopo longius aberremus. At priuſquam de Chriſtophoro Barzizio, cui laus illa debetur, ſermonem inſtituam, Lectorem inſuper monitum facio, tot, tantoſque nactam admiratores Venetiis Dalmatæ hominis doctrinam, atque eloquentiam, magnumque poſtea Brixianæ Academiæ ornamentum habitam, haud parem exiſtimatiorem in Patavina demum Cathedra obtinuiſſe. Fidem hujus rei mihi facit Epiſtola a Petro Bembo data anno 1525. ad Joannem Baptiſtam Rhamnuſium, qua ob denegatum Joanni Hiſpano, doctiſſimo Profeſſori, ducentorum Florenorum augmentum, impendentem hujus e Patavino Gymnaſio diſceſſum vehementer conqueſtus, remque ejus Gymnaſii, Marino Georgio Moderatore, in deterius quotidie prolabi, poſtea dolet ſolum Becichemum (quem Becichum vocat) Rhetoricen ibi, magna ludi infrequentia, profiteri; quum anno proxime elapſo eidem Gymnaſio Romulus Amaſæus, quo nullus inter Italos in ea arte excellentior, valedixiſſet. Eam Bembi

Epi-

Epiſtolam ignoravit nuperus Scriptor Hiſt. Gymn. Patav. dum Tomo 1. pag. 311. confidenter affirmat, Amaſæum Græcam linguam Patavii uſque ad annum 1526. docuiſſe. Ignoravit præterea aliam ipſius Petri Bembi Epiſtolam ad Romulum ipſum Amaſæum datam anno 1526. qua Becichemo jam mortuo eundem ad Patavinam Cathedram revocat, Bononienſi ex cœli bonitate, ex Gymnaſii amplitudine, ex rerum tranquillitate, ex ſtipendii ſumma, ex tituli honorificentia, ex amicorum copia, & fide, utique præferendam. Utraque Bembi Epiſtola cuique ſatis obvia in volumine Epiſtolarum ejuſdem. Quod ibidem ſubdit nuperus ille Scriptor de Amaſæo, *Quid egerit, ubi moras traxerit poſt annum illum* 1526. *ipſo, aliiſque tacentibus ignoramus*, oſtendit, æque ipſi ignotas fuiſſe alias Bembi Epiſtolas, *quibus* de Bononienſi Amaſæi domicilio edocemur, multoque magis mutuas illas Jo. Baptiſtæ Egnatii ad Romulum Amaſæum, & hujus ad illum, quæ inter Epiſtolas Claror. Viror. leguntur anno 1530. datæ. Invitatus ab Egnatio Amaſæus, ut Venetis Scribis, bonarum artium ut nec ignaris, ſic plane ſitientibus, prælegendi munus ſuſciperet, his verbis reſcribit: *Erat in extrema pagina tua de Thileſiana conditione, in quo tuam de me benemerendi priſtinam curam agnovi; mea tamen cauſa, in hoc genere quod labores, nihil eſt. Bononienſium me Senatus ornavit, atque honeſtavit accumulatiſſime, & ſe quidvis potius, quam me a ſe divelli, paſſurum præſefert. Ei ego abhinc annum fere tertium in quinquennium operam locavi meam. Capio S.C. annua certiſſima H-S XII. ſive malis aureos coronatos CCC. & eſt cum auditoribus*

mihi

mihi negotium per temporum intervalla horis ſingulis, non pluſquam nonagies toto anno. Quæ quoniam mihi conditio turbulentiſſimis temporibus in officio manſit, non dubito, quin jam tranquillis, & pacatis firmior, ac prolixior etiam futura ſit, cum præſertim ad eam tuendam, atque ctiam augendam, neque optimorum civium voluntas, neque ſummorum hominum ſtudia, nec Clementia Pont. Max. ac, ſi quid ad rem attinet, Cæſaris etiam ipſius Imperatoris gratia defutura videatur. Amalæum hunc (ut hoc etiam notem) quemadmodum & Petrum Bembum, Paridis Stephanii Epiſtola illis accenſet, qui priori Becichemi Actioni in Æde Divæ Mariæ Formoſæ interfuerunt.

I. Chriſtophorus itaque Barzizius Brixianus, quum Matthæum Collatium Siculum, & Bonifacium Bembum Brixianum immoderatius diſceptare de Orationis Fine conſpiceret, ac Ciceronem, Quintilianumque, duo præcipua eloquentiæ, optimarumque artium lumina, maximeque ſibi inter ſe convenientia, committere, ac veluti capitali diſſidentes odio alterum in alterius exitium falſis criminibus armare, atque impellere, hortante Helia Capreolo libellum compoſuit, a Presbytero Baptiſta de Farfengo Brixiæ impreſſum anno 1492. qua ex Editione Proœmium illico recitabo.

Chriſtophori Barzizii de Fine Oratoris pro Ciceronis, & Quintiliani aſſertione ad Heliam Capreolum Brixianum patritium.

Proœmium.

FEcerim ne tibi ſatis, Helia ſuaviſſime, in eo, quod a me de Fine Oratoris ajebas, te libenter ſcire velle, tute videbis. Ego hoc tantum tibi vere poſſum aſſirmare, me quum tua cauſa, quem ego non poſſum hoc maxime non & ama-

re, & colere, quod unus mihi videre, & liberalibus hujuſmodi diſciplinis, ac ſtudiis, quibus humana vita excolitur, egregie deditus, & doctorum hominum imprimis ſtudioſus, hoc quodcunque eſt negotii, & libenter, & haud negligenter ſuſcepiſſe, tum quod ea res eſt, quæ meo judicio ſcitu non minus utilis ſit, quam jucunda. Nam quemadmodum, qui ad aliquam artium aſpirant, ſi ſibi perſuaſerint, eos, qui ipſius artis principes habentur, non ſatis ſibi inter ſe convenire, ſed varia, atque diverſa ſentire, atque præcipere, & odioſum eſt, & maxime adverſum, quum unum probare, alterum damnare, unum ſequi, alterum vitare oporteat, ſitque perſæpe hujuſmodi electio, atque judicium fallax, atque difficile; ita contra intelligere præſtantes in quavis diſciplina viros ſibi ipſis conſentientes, atque conſtantes, id vero & gratum eſt, & diſcentibus percommodum. Quamobrem non poſſum eorum propoſitum non maxime reprehendere, atque damnare, qui quum nonnulla, &, ut ſibi videbantur, non mediocri eſſent erudionis opinione, exiſtimarunt, ſe non ſatis multa ſcire, cæteris viſum iri; niſi ea *excogitarent, aut* comminiſcerentur, quibus claros auctores, optimeque *de ſe* meritos ignorantiæ, vel improbitatis falſo apud vulgus reos facerent. Quum ii interim tantum ab omni reprehenſione abeſſent, quanto illi argutuli, & impudentes calumniatores veræ eruditionis, omniſque modeſtiæ magis inopes fuere. Prætereo in præſentia cæteros (ſunt enim in omni ſcientiarum genere non pauci) de duobus tantum, iiſque recentioribus, quam fieri poterit, modeſtiſſime dicam, Matthæo Collatio Siculo, & Bonifacio Bembo, qui ſe Brixianum aſſerit: viris quidem (quod ego haud inficior) non utique indoctis, ſed & ſatis ingenioſis, verum quos immoderatius invehendi ſtudium (quod fere evenit) parum modeſtos, ac circumſpectos oſtendit. Hi namque (ut noſti) de dicendi facultate, quam Rhetoricen appellamus, diſceptantes, quum de Oratoris Fine, ut eorum ſcripta multis exemplis edita demonſtrant, diſſentiunt, ſuamque cupidius poſitionem utermonſtrant, diſſentiunt, ſuamque cupidius poſitionem utique aſtruit, eo indignitatis proceſſere, ut Ciceronem, Quintilianumque, duo præcipua eloquentiæ, optimarumque artium lumina, maximeque ſibi inter ſe convenientia, committerent,

ac

ac veluti capitali diſſidentes odio, alterum in alterius exitium falſis criminibus armarent, atque impellerent. Quod quidem quum non ſolum imperitis, ſed & plane doctis nonnullam tantis indignam auctoribus opinionem non ſine aliqua ad eloquentiam aſpirantium hæſitatione poſſet ingenerare, adortus ſum te hortante oſtendere duos illos eloquentiæ principes, M. inquam Ciceronem, & Fabium Quintilianum, quum in cæteris rhetoricis præceptionibus ſibi convenire; tum de Fine Oratoris nihil, aut quam minimum diſcrepare, ſimulque oſtendere, quæ contra illi Matthæus, & Bonifacius commenti ſunt, ea omnino vana & falſa eſſe. Quod quidem meo judicio, ita & perfeci, & aſſecutus ſum, ut aliter poſthac aliquid aſſerere, aut prorſus ſentire, nefas exiſtimem. Opus ſane eo rectius, atque honeſtius, quo doctiſſimos, & præclaros viros inſectari, ac lacerare turpius eſt, atque indignius. Eſt autem triſecta noſtra hæc omnis lucubratio. Primo enim ea ponimus, quæ circa propoſitam de Fine Oratoris quæſtionem cenſuimus aſſerenda. His ſubjungimus, quæ contra a Matthæo, & Bembo diſputantur. Poſtremo, quæ contra noſtras poſitiones eſſe videbantur, argumenta certis rationibus refutantes, verum, perſpicuumq; relinquimus in rhetoricis inſtitutionibus Quintilianum a Cicerone nuſquam diſſentire. Accipies itaque, amice optime Helia Capreole, opuſculum a me tibi proximis noctibus lucubratum, quo ſive expectationi tuæ ſatisfecimus, ſive minus, tibi utcumque morem geſſiſſe, gaudemus.

Suſceptam exorditur Barzizius tractationem ab eximiis laudibus, quibus Quintilianus in lib. 10. ſuarum Inſtitutionum Ciceronem exornavit, qui ſcilicet vim Demoſthenis, copiam Platonis, jucunditatem Iſocratis effinxerit, qui non pluvias aquas colligens, ſed vivo gurgite exundans, dono quodam providentiæ genitus fuerit, in quo totas vires ſuas experiretur eloquentia, qui ipſa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas, & quum tranſverſum vi ſua judicem ferat, tamen ille non rapi

videatur, ſed ſequi, qui non immerito ab hominibus ætatis ſuæ regnare in judiciis dictus eſt, apud poſteros vero id eſt conſecutus, ut Cicero jam non hominis nomen, ſed eloquentiæ habeatur, omnibuſque demum ſpectandus ſit, veluti exemplum, unde ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. Hiſce laudibus recitatis, Barzizius noſter in hunc modum ratiocinatur: *Potuit hic ſuum de Cicerone judicium, quantique illum faceret, expreſſius nobis oſtendere? Potuit divini illius ingenii vim, ubertatem, ſuavitatem, magis ſuſpicere, atque extollere? Et tamen, ſi Diis placet, audebunt aliqui, Quintilianum Ciceroni opponere, inque iis ipſis Oratoriis Inſtitutionibus, quibus illum & regem, & Deum facit, diverſa illi, atque contraria ſentientem, ac præcipientem aſſerere?*

In capitibus ſubſequentibus plura habet ſatis ſolida de Rhetorica in genere, de materia Rhetoricæ, de civili quæſtione, quid ſit, de Oratore, quid ſit, & qualis eſſe debeat, & quodnam ſuum officium; proprius autem ad argumentum accedens cap. 10. controverſiam ita definit.

De Fine Oratoris lib. 1. *cap.* 10.

FInis, ut Philoſophis placet, eſt cujus gratia ſecundum rationem agens agit omnia, vel finis eſt, quo ubi perventum eſt, omnis agentis intentio, operaque quieſcit, vel finis eſt ultimum agentis actum terminans, vel ultra quem in ſuo genere non eſt progreſſus. Sunt vero finium genera duo, unum, quod generale, vel commune, alterum, quod particulare appellant. Et generalis quidem, ſive communis finis eſt, quo omnia, aut pleraque referuntur, ut cum dicimus, Deum omnium rerum finem eſſe, ideſt omnia creata eſſe, ut omnipotentis Dei virtutem, ſapientiam, & bonitatem teſtentur.

Ita

Ita & quum dicimus inferioris Mundi finem hominem esse; hoc est, quæ in inferiore hoc Mundo sunt hominis gratia universa esse. Et humanarum disciplinarum finem esse hominem ad felicitatem disponere; hoc est doctrinas omnes idcirco excogitatas, atque inductas esse, ut homo ad capessendam felicitatem, ad quam per naturam perductus est, magis disponatur, atque exerceatur. Particularis autem finis est, quo particulares res terminantur. Et hic item in duplici est differentia. Est enim qui liber sit & absolutus, nullique omnino eventui subjacens, sed suum semper consequens officium, uti eorum, quæ in sola intelligentia consistunt; ut Theologiæ finem dicimus Deum, quantum humanitus fieri potest, cognoscere, & Astronomiæ itidem finem eorum, quæ certam, necessariamque suæ productionis ex astris causam habent, intelligentiam. Est & finis, qui ab eventu pendeat, ut eorum, in quibus intelligentia cum exteriore actu connectitur, ut medicinæ, rei militaris, mercaturæ; in quo genere & Rhetoricam, hoc est hanc facultatem Oratoriam jure comprehendimus. Et in hujusmodi rebus necesse est, duplicem finem statuere, unum quidem ex artificis intentione, & quem agens quidem semper sibi proponit, sed eum consequi non in sua solius, sed & in fortunæ non minus sit potestate, ut tametsi medicinæ finis agentem movens sit sanitas, & rei militaris victoria, non semper tamen aut illa sanat, aut hæc vincit. Ita & mercatura, quamvis propter parandas divitias, & facultas Oratoria, ut auditoribus persuadeat, exerceatur, non tamen aut mercator ex negotiatione semper ditatur, aut orator ex apposita dictione semper persuadet. Quamobrem necesse est, & alterum quemdam interiorem finem in hujusmodi artibus statuere, eumque certum, & quo artium quælibet suum semper artificem suis præceptis, atque observationibus perducat. Et hic quidem finis artificis officium complet, & neque ab eo separari potest, nec ultra illud usquam pertendere. Atque ita & medicinæ finem dicemus non sanitatem, quo licet intendat, non semper pervenit, sed, qui perpetuo suus in illius est potestate, apposite ad sanandum mederi. Et militis non victoriam, quæ semper dubia & incerta est; sed quod ex sua ar-

te

te præſtare poteſt, ſcienter equos, arma, cæteraque, quibus bella geruntur, tractare. Quibus quidem rebus ita ſeſe habentibus, jam facillimum fuerit cuivis non obtuſo, aut vecordi omnino perſpicere, Ciceronem, & Quintilianum, duos de Romana eloquentia optime omnium meritos, ſed illum ejus auctorem, atque parentem, hunc fidiſſimum aſſertorem, atque interpretem, quum nuſquam in cæteris, tum de Oratoris Fine minime inter diſſentire, aut diverſa præcipere; ſed optime, ſapientiſſimeque utrumque de dicendi arte ſenſiſſe, & præcepiſſe. Etenim quum Cicero Rhetorices Finem perſuadere dictione eſſe ſtatuit, id quidem ſpectavit, cujus gratia, & ars ipſa inventa eſſe, & Orator, niſi omnino vanus, & ſui oſtentator, ad dicendum accedit; ſed quod tamen (ut diximus) præſtare, in ſola non ſit Oratoris poteſtate. Quintilianus autem Oratoris Finem ſtatuens bene, hoc eſt appoſite ad perſuadendum dicere, id elegit, ſumpſitque, quod quum unius Rhetorices eſſet, tum per eam artifex ejus, vel fortuna adverſante, ſemper poſſet præſtare. Quum alioquin perſuadere dictione ultimum eſſe Finem, & quo Orator (ut dictum eſt) ad agendum moveatur, & alias ſæpe & in ſecundo, & in ultimo Inſtitutionum libro non inficietur. Tendit enim inquit ad victoriam, quam dicit, ſed quum bene dixit, etiamſi non vincat, id, quod arte continetur, effecit. Nam hoc alias, inquit, nemo dubitabit, omnem Oratorem id agere, ut Judici, quæ propoſita fuerint, vera, & honeſta videantur. Et hæc de Oratoris Fine, deque omnibus, quæ in præſenti diſputatione pro noſtro inſtituto duximus aſſerenda, diſſeruiſſe ſuffecerit. Reliquum fuerit, quæ contra Matthæus Siculus, & Bonifacius Bembus diverſis ſtudiis commenti ſunt, videre, atque refellere.

Antequam Matthæi, & Bonifacii commenta refellere incipiat Chriſtophorus, de eorum ingenio, eruditione, & ſcriptis, judicium profert in libri ſecundi Proœmio.

Proœmium.

NOn eſt facile, Helia Capreole, hoc diſputationis genus, ſed haud ſcio an longe ſit difficillimum, ubi contrariæ una de re rationes pariter ſunt refutandæ. Quum vix fieri poſ-

poſſe videatur, uti unam partem impugnes, quin alteram tueare. Verum duo maxime hac in re mihi non mediocri ſunt adjumento, quod nec ſumma in adverſariis eſt eruditio, nec ea, quæ eſt, illi pro ardentiore, concitatioreque partium ſtudio magis uſi (quod poſt patebit) quam abuſi ſunt. Etenim, ut quod de utriuſque ingenio, & eruditione, quantum ex illorum, quæ ſum confutaturus, ſcriptis conſequi licuit, ſentiam, paucis explicem, ſic mihi ſtatui. Illos quidem haudquaquam malos eſſe; ſed nec ingenio plane obtuſo, aut inerti. Nam & in litterarum ſtudiis, ideſt in ſimpliciſſimo, innocentiſſimoque vitæ genere verſantur, & nonnulla iidem ſuis in contentionibus non inficete utique, aut indocte excogitarunt, atque induxerunt. Verum eodem pene ambitionis genere laboravere. Nam (ut omittam, quod alter Quintilianum, alter Ciceronem præſumpſerit taxare) & Matthæus una ejus diſputationis, quam arbitratu ſuo concinnaſſet, non contentus editione, & alteram per dialogum adjecit, in qua nihil aliud omnino quæſivit, aut voluit, niſi uti ſibi ipſi de ſua, quam egregiam, ſummamque videri voluit, eruditione blandiretur; & Bonifacius citra omnem ſane modeſtiam ſe Ciceroni, inque arte dicendi oppoſuit. Quod vero ad doctrinam pertinet, Matthæus ſane in ſermone ſatis purus, ac terſus, & qui comicam nonnihil oleat orationem, viſus eſt; ſed & qui præterea ex altioribus diſciplinis nonnihil primoribus (ut ajunt) labris libarit. Hujus namque rei illud nobis indicium fecit. Quod quum ille qualiter perſuaſio fiat argutius, expreſſiuſque ſe putat oſtenſurum; inter animæ potentias, & ſenſum, qui nonniſi animalis, & compoſiti eſt, annumeravit. In dialectica autem & quæ ad diſputationem pertineant, quid valeat, ex illius argumentis paſſim oſtendemus. Atqui voluit tamen in eo non perſpicax tantum ſed circumſpectus inſuper, ac diligens videri. Si tamen ſolertia, aut diligentia eſt, quæ non lædant, ſolicitius arcere; quæ maxime inſtent, urgeantque, aut non perpendere, aut negligentius cavere. Quæ enim minimum contra ſe faciunt, loca accuratius excludit, quibus obſidetur, ac premitur, in iis hallucinatur. At Bonifacius in cæteris utcumque, ſed magno tamen cum intervallo Matthæum conſequitur, ſed eo quidem aut audentior,

tior, aut callidior, quod non ſolum quæ poteſt, ſed etiam quæ non poteſt præſtare, pollicetur, oſtentatque, minatur multa, ſed procul, terret, illudit, inſultat. Jacit & tela quandoque ſed irrita, atque incerta, & quæ non magis in hoſtem cadant, quam in ſe, ſuoſque reflectantur. Sed de his hactenus. Jam jam enim ipſorum ſcripta, & contentiones ita eſſe plane demonſtrabunt.

Matthæi, & Bonifacii commentis confutatis, libello, ſeu toti Tractatui finem imponit Barzizius hac Concluſione.

Concluſio.

HÆc ſunt, Vir optime, atque humaniſſime Helia Capreole, quæ de Fine Oratoris pro Ciceronis, & Quintiliani aſſertione ſtatuimus differenda. In quibus ſi quid præter propoſitum negotium acerbius fortaſſe, aut minus modeſte in adverſarios nonnullis videor dixiſſe, illud certe velim ita accipi, itaque expendi, ut iis perſuaſum ſit, me ab omni acerbitate, atque intemperantia quam maxime *abeſſe; nihilque* me in iis, quorum ſcripta pro officio, & communi ad eloquentiam aſpirantium utilitate refutavi, præter ignorantiam & præcipitem, atque intolerandam audaciam taxaſſe. Quod ſi ii alioquin eo ſe offenſos autumant, ubi quæ ſcripſi, ſic ubi poterunt, refellerint, pari in me licentia utuntor. Tu quam feliciſſime, atque longiſſime, vale. Brixiæ XV. Kal. Octobris MCCCCLXXXX.

Subſequitur poſtea Bartholomæi Capreoli, Heliæ filii, Epigramma, quod hujuſmodi eſt:

Bartholomæi Capreoli Heliæ F.

Inter utrumque caput Latii diſcordia nuper
Orta erat, ingentis cauſa futura mali.
Pro Fabio tulit arma ferox in prælia Bembus,
At Siculus magno pro Cicerone fuit.
Jam vario aſſenſu furor hic agitare tumultus
Cœperat, & Rhetor fine carere ſuo.
Corrigis hoc pietatis honos, & pacis alumne,
Barzizi, excellens arbiter eloquii.

Docto-

Doctorum lites, rabiosaque jurgia tollis,
Et certum finem, materiamque doces.
Non tantum studiosa cohors, sed fœdere juncti
Tullius, & Fabius te quoque Rhetor amant.

Hanc ipsam quæstionem de Oratoris Fine attingit Gerardus Joannes Vossius Oratoriarum Institutionum lib. 1. c. 1. at ibi nulla (quod mirum) de Cicerone facta mentione, Quintilianum ab Aristotele tantum dissentientem inducit; dum vero asserit, tam alte quorundam animos Quintiliani opinionem imbibisse, ut neque Suadam iis aliud persuasuram putet; putarem ipse, neminem futurum, qui Barzizii lucubratione perlecta, ei calculum suum non adjiciat, & utriusque opinionis conciliatorem non exosculetur. Hujus Tractatus ab Auctore sibi inscripti meminit Helias Capreolus his verbis Histor. lib. 12. *Christophorus Barzizius municeps noster literatissimus argutum de Fine Oratoris Opusculum mihi adscripsit*. Qui itaque Opusculi illius auctorem faciunt Christophorum Barzizium Bergomatem, & Medicæ Artis in Patavino Gymnasio Professorem, profecto falluntur.

Bonifacii Bembi pariter meminit eodem libro Capreolus, nam ait: *Bonifacius quoque Bembus & ipse civis, Latinis, Græcisque literis eruditissimus, in Ticinensi Gymnasio a Sfortianis primo, demum ab Innocentio Pontifice Maximo Romam publicus Rhetor conducitur*. Exstat ad Bonifacium Bembum Lauræ Ceretæ Brixianæ Epistola, quæ tertia est inter evulgatas a Jacobo Philippo Tomasino, Lauræ inquam illius, quam his verbis idem Capreolus celebravit eo libro 12. Histor. *Sed ea literarum do-*

Etrina floruit tunc civitas ipsa, ut non modo Viri, quorum Opera plurima, atque doctissima in Gymnasiis leguntur, sed etiam Laura Cerete civis nostra non parvum elegantissimarum scripserit Epistolarum volumen, eo certe inter Virorum Opera dignius, quo multos una ipsa mulier etiam dignissimos excesserit Viros, ut antiquarum fœminarum decus, & præsentium ornamentum ab eruditissimis Viris merito sit appellata.

Matthæi autem Collacii, cognomento Siculi, Calabræ urbis Neocastri civis, Opusculum ipsum, in quo hujuscemodi quæstionem tractat, carpitque magnos Rhetores Victorinum, & Quintilianum, ad manus habeo. Illud Dominico Mauroceno nuncupavit, & eundem his verbis collaudat in Præfatione: *Amo te multum, & diu, Vir sapientissime Dominice Maurocene; sed si unde motus amarim, amemve quæris? Audi. Non ex largis tuis opibus, nec amplo genere. Hæc etsi multitudine opinionis maxima, tamen ea nihil ego quæro, sequor, & admiror. Sunt enim fortunæ, & infirma, redduntque plerumque homines inertes, & a virtute alienos. Sed amo te duplici tua virtute, morali, & intellectuali, quibus & domi, & foris apud omnes clares. Hinc vera tibi nobilitas, hinc vera, & justa laus, in his nulla dominæ fortunæ potestas.* Quænam autem scribendi sibi fuerit occasio, mox refert: *Ecce autem Antonius Adinolfus Siculus, Vir integerrimus, et laudum tuarum præco, id insperato mihi obtulit. Nam paucis ante diebus mihi in Rivo alto casu factus obvius, inquit: Modo, Matthæe, cum Viro gravissimo, Dominico Mauroceno, sumus in re literaria versati. Post multa, credo, quo me pertentaret, ut fit, dixit,*

xit, ſe quædam habere dubia, nec hactenus comperiſſe, qui ea ſibi ſolveret. Colacius inde occaſionem ſumpſit libelli conſcribendi.

II. Multo operoſius, quam propoſitum Oratori Finem, ſervandum in Oratione numerum ſtatuere. Quid præſtiterit in hoc argumento Rapicius noſter, ſuperius memoratus, mox dicemus; ſed prius, ut tanti Viri fortuna innoteſcat, conſulendæ ſunt binæ ejus Epiſtolæ ad Magiſtratus, Civeſque Brixianos, quæ inter ſelectas illas Claror. Viror. leguntur anno 1538. Venetiis datæ. In priore, ad Brixianam Civitatem, in cujus agro tum Majores ſui, tenues quidem, ſed innocentes Viri, ſuarum ſibi fortunarum ſedem delegerant ante annos ducentos, & amplius, tum ipſe quoque natus erat, & bonis artibus inſtitutus, admitti petit his verbis: *Itaque etſi per omne tempus, quo jam inde ab extrema adoleſcentia patrio ſolo abfui, nullas peregrinationis ſordes, nullam obſcuritatem paſſus ſum, benigna quadam hominum de me opinione ſemper honeſtatus, & publica ab honeſtiſſimis civitatibus mercede conductus, a Vicetinis etiam, cum nihil tale peterem, aut expectarem, civitate donatus, ac non ita multo poſt ab illuſtriſſimo Decemvirali Conſilio Venetias accitus, urbis tamen veſtræ mihi deſiderium adeo non excidit, ut in dies, atque horas magis, magiſque creſcat. Nam, ut olim juvenis amœnitatem locorum, & agri ubertatem admirabar, ita nunc in ſenium vergens, vel potius jam plane ſenex, urbem ipſam mirabiliter expeto, & ab ea tanquam a cariſſima parente in gremium, in quo & dum vivam, & poſt obitum perpetuo conquieſcam, recipi deſidero*. In altera vero, voti compos effectus, gratias agit in hunc modum:

Etrina floruit tunc civitas ipſa, ut non modo Viri, quorum Opera plurima, atque doctiſſima in Gymnaſiis leguntur, ſed etiam Laura Cerete civis noſtra non parvum elegantiſſimarum ſcripſerit Epiſtolarum volumen, eo certe inter Virorum Opera dignius, quo multos una ipſa mulier etiam digniſſimos exceſſerit Viros, ut antiquarum fœminarum decus, & præſentium ornamentum ab eruditiſſimis Viris merito ſit appellata.

Matthæi autem Collacii, cognomento Siculi, Calabræ urbis Neocaſtri civis, Opuſculum ipſum, in quo hujuſcemodi quæſtionem tractat, carpitque magnos Rhetores Victorinum, & Quintilianum, ad manus habeo. Illud Dominico Mauroceno nuncupavit, & eundem his verbis collaudat in Præfatione: *Amo te multum, & diu, Vir ſapientiſſime Dominice Maurocene; ſed ſi unde motus amarim, amemve quæris? Audi. Non ex largis tuis opibus, nec amplo genere. Hæc etſi multitudine opinionis maxima, tamen ea nihil ego quæro, ſequor, & admiror. Sunt enim fortunæ, & infirma, redduntque plerumque homines inertes, & a virtute alienos. Sed amo te duplici tua virtute, morali, & intellectuali, quibus & domi, & foris apud omnes clares. Hinc vera tibi nobilitas, hinc vera, & juſta laus, in his nulla dominæ fortunæ poteſtas.* Quænam autem ſcribendi ſibi fuerit occaſio, mox refert: *Ecce autem Antonius Adinolfus Siculus, Vir integerrimus, et laudum tuarum præco, id inſperato mihi obtulit. Nam paucis ante diebus mihi in Rivo alto caſu factus obvius, inquit: Modo, Matthæe, cum Viro graviſſimo, Dominico Mauroceno, ſumus in re literaria verſati. Poſt multa, credo, quo me pertentaret, ut fit, di-*

xit, ſe quædam habere dubia, nec hactenus comperiſſe, qui ea ſibi ſolveret. Colacius inde occaſionem ſumpſit libelli conſcribendi.

II. Multo operoſius, quam propoſitum Oratori Finem, ſervandum in Oratione numerum ſtatuere. Quid præſtiterit in hoc argumento Rapicius noſter, ſuperius memoratus, mox dicemus; ſed prius, ut tanti Viri fortuna innoteſcat, conſulendæ ſunt binæ ejus Epiſtolæ ad Magiſtratus, Civeſque Brixianos, quæ inter ſelectas illas Claror. Viror. leguntur anno 1538. Venetiis datæ. In priore, ad Brixianam Civitatem, in cujus agro tum Majores ſui, tenues quidem, ſed innocentes Viri, ſuarum ſibi fortunarum ſedem delegerant ante annos ducentos, & amplius, tum ipſe quoque natus erat, & bonis artibus inſtitutus, admitti petit his verbis: *Itaque etſi per omne tempus, quo jam inde ab extrema adoleſcentia patrio ſolo abfui, nullas peregrinationis ſordes, nullam obſcuritatem paſſus ſum, benigna quadam hominum de me opinione ſemper honeſtatus, & publica ab honeſtiſſimis civitatibus mercede conductus, a Vicetinis etiam, cum nihil tale peterem, aut expectarem, civitate donatus, ac non ita multo poſt ab illuſtriſſimo Decemvirali Conſilio Venetias accitus, urbis tamen veſtræ mihi deſiderium adeo non excidit, ut in dies, atque horas magis, magiſque creſcat. Nam, ut olim juvenis amœnitatem locorum, & agri ubertatem admirabar, ita nunc in ſenium vergens, vel potius jam plane ſenex, urbem ipſam mirabiliter expeto, & ab ea tanquam a cariſſima parente in gremium, in quo & dum vivam, & poſt obitum perpetuo conquieſcam, recipi deſidero*. In altera vero, voti compos effectus, gratias agit in hunc mo-

dum: *Exſtat enim, atque eminet, & hæret animo beneficii veſtri magnitudo, nec mecum modo, ſed cum poſteris etiam meis vivet. Mihi enim præſtitiſtis, ut poſt diuturnam peregrinationem multo jam lætiore animo ad vos tandem non hoſpes, ſed civis reverti queam. Illis autem viam aperuiſtis, qua facilius per honeſtas artes in claram lucem prodire audeant: quod genus beneficii, etſi in alios quoque plurimos contuliſtis, mihi tamen multis modis majus, quod in me collatum eſt, videtur. Nam cum nec a majoribus meis fortiter adita pro vobis pericula oſtentare, nec cenſus magnitudine, & publicorum munerum participatione civitatem levare poſſem; vos pro iis omnibus, quibus alii favorem promerentur, innocentiam meam, et mediocrem in bonarum literarum ſtudiis doctrinam, atque induſtriam ita amplexi eſtis, ut nec profeſſionis meæ, nec peculii tenuitas, nec Clarenſium iniqua obtrectatio, et pertinax contentio vos deterrere potuerit, quominus, quod me vehementer optare intelligebatis, libenter concederetis.*

Bergomatibus Scholis Rapicium præfuiſſe, jam vidimus ſuperius. Quid autem ſit, quod in priore ex modo laudatis Epiſtolis ſe Venetias a Decemvirali Conſilio accitum ſcribit, apertum nobis facit ipſius Rapicii Sermo de præſtantia earum Artium, quæ ad recte loquendi, ſubtiliter diſputandi, & bene dicendi rationem pertinent, impreſſus anno 1544. Venetiis, & Venetæ Reip. Scribis inſcriptus, quos in Præfatione Rapicius ita alloquitur: *Cum viderem vos, quorum ſtudiis ab illuſtriſſimo Decemvirali Conſilio eſſem datus adjutor, qualiacunque ſcripta noſtra libenter legere, reluctandum diutius tam honorifico in me deſiderio veſtro non putavi; ſed ut omnibus*

bus legendi copia fieri commodius posset, quicquid id est, quod tantopere petebatis, in gratiam vestram imprimendum curavi. Vos, quod vestro suasu factum est, defendetis, et in pulcherrimas istas artes ita incumbetis, ut facto hinc gradu, ad ea, quæ altiora sunt, brevi possitis pervenire, et sanctissimæ huic Reip. quæ vos quasi dulcissimos liberos mater indulgens alit, et honestis disciplinis instituendos curat, virtutem, fidem, atque operam vestram ita probetis, ut quicunque vobis honores deferuntur, non tam blanda quædam ad honeste vivendum invitamenta, quam justa virtutum, ac laborum vestrorum præmia esse, omnes merito fateantur. Eo itaque munere apud Venetos Scribas ex Decemviralis Consilii auctoritate functus fuerat Rapicius, quod Baptistam Egnatium Romulo Amasæo obtulisse jam vidimus, quodque rescribens ei Romulus *Thilesianam conditionem* vocavit, quoniam Antonio Thilesio, qui munus idem obibat, suaque in Calabriam profectione dimisisse videbatur, successor quæreretur. De eo discessu plures exstant Thilesii ipsius Epistolæ in libello Epistolar. Claror. Viror. ad Benedictum Rhambertum, & una ad Andream Franciscum Scribarum Principem, seu Magnum Reip. Cancellarium.

Opus suum Rapicius Cardinali Reginaldo Polo dedicavit. Epistolam, seu Præfationem, qua tractati ab eo argumenti ratio describitur, antequam recitem, Lectorem commoneo, ab Joanne Gerardo Vossio Orat. Instit. l. 4. c. 4. magnopere commendari Rapicii laborem, ibique ad declarandam argumenti illius utilitatem affirmari, eum operæ pretium facturum, qui in-

con-

conditam alicujus Orationem in quadrum redigat, ac numerum, quomodo proditur Lazarus Bonamicus, Philelphi Orationem eruditam illam quidem, præclariſque ſententiis refertam, ſed nulla juncturæ elegantia, ac numeri plane expertem, ita variaſſe verborum ordine immutato, numeroque addito, ut ab alio quovis, quam a Philelpho ſcripta videretur. Venetiis in Ædibus Pauli Manutii, Aldi filii, anno 1554. editi ſunt Rapicii de Oratorio numero libri, iiſque hæc præfigitur Epiſtola, ſeu Præfatio.

Ad Reginaldum Polum, Cardinalem Ampliſſimum, in libros quinque de numero Oratorio, Jovitæ Rapicii Præfatio.

VEtus querela, ac fortaſſe non injuſta eſt, omnia vel quodam mundi ſenio, vel occulta fati violentia in pejus ſemper ruere, atque in dies retro ferri: hanc enim eſſe naturæ legem, ut paulatim fortia infirmentur, & magna minuantur, orta occidant, & aucta ſeneſcant: ſic metallorum venas lapſu temporis exhauſtas: ſic largos olim fontes vix jam tenui humore diſtillare: ſic poma, ſic degenerare fruges, plantas denique ipſas fieri ſenectutis ariditate deformes. Utinamque in his modo, quæ ad corpus attinent, pernicioſa iſta lues conſtitiſſet; ac non in ea quoque, quibus aluntur animi, multo ſævius impetum feciſſet. Nam, ut omittam, quam multa uſui hominum utilia ab antiquis tum diligenter exquiſita, tum feliciter inventa, ſibi ſublata eſſe vita conqueratur, poſſim, ſi velim, oſtendere, nullam eſſe earum artium, quæ circulum doctrinæ conſtituunt, quæ ab eo faſtigio, in quo veterum beneficio fuerat conſtituta, lapſu miſerabili non deciderit, debilemque ſe, ac mancam eſſe ingemiſcat. Sed non libet mala noſtra querelis nihil proficientibus augere. Longe enim præſtat gaudere, quod jam dudum non Romani modo, & Itali, ſed Hiſpani, Germani, Galli, & Britanni illi toto orbe diviſi, hanc tantam bonarum artium ruinam certatim fulcire contendunt, ac eo rem paulatim jam perduxerunt, ut non modo ad eloquentiam,

tiam, ſed ad omnium prorſus bonarum artium ſcientiam latior, ac minus impedita via patere videatur. Quod ego cum non ſine juſto gaudio, & admiratione conſiderarem, mei neſcio quo pacto memet pœnitebat. Dolebam enim, quod totam propemodum ætatem ita conſumpſiſſem, ut nihil de poſteritate cogitans, in ſolo eorum profectu, qui a me diſcere voluiſſent, mei periculum feciſſem, nec unquam, ſi quid ingenii, & eruditionis in me eſſet, aliter quam alios docendo, probare tentaſſem. Itaque mutato in melius (niſi me ſpes fallit) propoſito, qui ſæculi noſtri hominibus prodeſſe nunquam deſtitiſſem, cœpi velle poſteris etiam prodeſſe, ſi poſſem. Quod effecturum me putavi, ſi ex iis, quæ ſcripſeram, διδασκαλικὸν aliquid, atque id non inutile publicaſſem. Cum vero mecum ipſe cogitarem, quid tandem e multis, quæ jacebant contempta, deligerem, venit in mentem veteris illius ſententiæ, qua monemur, ut in ea, quam novimus, arte tempus conteramus: ſtatimque animum converti ad libros quoſdam de oratorio numero, ſeu rhythmo, quos amicorum ſuaſu inchoatos, propemodum poſtea abjeceram; non inutiles quidem illos ratus, ſed veritus, ne male feriati homines prius negligerent, quam intellexiſſent; & inſpecto tantum titulo conſilium meum ſtatim reprehenderent, & clamarent, me poſt tot Græcos, & Latinos auctores, & illos quidem graviſſimos, in re toties agitata, toties ſcripta, nihil aliud poſſe, quam, quod legibus vetamur, actum agere. Hac ego re, quam objici poſſe mihi intelligebam, nihil deterritus, ſed magis, magiſque incitatus, quoſcunque vel antiquorum, vel recentiorum tractatus ea de re potui invenire, diligenter legi: ut quoſdam ex iis artis rhythmicæ peritos negare non auſim, ita illud, nihil reluctante conſcientia, affirmaverim, omnes prorſus perverſo neſcio quo faſtu ductos conjuraſſe, ne rudes, & imperitos docerent; propterea credo, quod, quæ de ſyllabis demetiendis, quæ de pedúm inter ſe cognatione, amicitia, & inimicitia, atque ordine, deque ſublationis, ac poſitionis, quæ in illis fit, diverſitate a metricis, ac ryhtmicis dicuntur, & ejuſdem prope notæ non pauca, quæ rudibus, & diſcendi cupidis ad hujus rei cognitionem neceſſaria ſunt, humiliora cre-

credebant, quam ut Philoſophos, & Viros graves de iis loqui deceret. Cicero certe, ut ab eo incipiamus, qui hanc artis rhetoricæ partem multo diligentius, quam quiſquam eorum, qui hodie leguntur, elaboravit, cum L. Craſſum, Virum conſularem, de his rebus diſputantem introduxiſſet, parum fore decorum judicavit, ſi tanti Viri perſonam ad humilia iſta præcepta demiſiſſet. Proinde illum ita loquentem finxit, ut ab iis modo, qui rem ex parte magna tenerent, poſſet intelligi. Sed ne in Oratore quidem, in quo ipſe loquitur, id ſatis honeſte ſe poſſe facere eſt arbitratus. Verebatur enim, ut ipſe ſcribit, futuros eſſe aliquos, qui non cenſerent, ejus Viri eſſe, de cujus tanta Senatus judicia feciſſet comprobante populo, quanta de nullo, ad hæc, quæ Grammatici potius, aut Sophiſtæ eſſent, ſe demittere. Itaque, ut in eo loco, qui de tropis, ea, quæ ſpecioſe dici poterant, diligenter ornavit, ſic, cum tractandum eſſet de numero, ſi quid in ea re fuit ornatus, & eloquentiæ capax, id haud cunctanter expolivit; ea vero, quæ magnificentius fiunt, quam docentur, univerſa contempſit. Quod ipſum multo etiam manifeſtius in utriſque ſchematibus fecit; quæ licet videret eſſe plurima, & iis ipſe unus omnium feliciſſime uteretur, ac ſciret Demoſthenis eloquentiam idcirco maxime laudabilem eſſe exiſtimatam, quod ab eo nullus fere locus ſine quadam conformatione ſententiæ dicitur: tamen, quia vidit rem non poſſe explicari ſimul, & ornari, totum eum locum devitans, ſine ullis definitionibus, ſine exemplis, vix bene ſingula ſingulis appellationibus indicans, prætervolavit. Quod factum ſuum cum intelligeret latere non poſſe, Craſſum finxit dicentem, admonitum ſe a Sole jam præcipitante properaſſe. In Oratore porro, cum eadem ipſa celeritate locum pertranſiſſet, cauſatus eſt ejus rei doctrinam eſſe vulgarem, ratus ea de cauſa facilius veniam ſibi debere concedi. Ariſtotelis brevitatem vel perſonæ philoſophicæ gravitas, vel numerus, ac magnitudo rerum, quas conſcripſit, excuſat. Reliquis veteribus ut ignoſcamus, illud fortaſſe ſuadeat, quod horum principia a Grammatico ita eſſe tradita putabant, ut accedenti ad rhetorem, non tam inſtitutione integra, quam levi admonitione opus eſſe vide-

videretur. Juniores vero, & noſtri ſæculi homines tantum abſunt a culpa, ut non modo digni venia, ſed etiam laude ſint. Nam plerique eorum, cum aliud agerent, & auctores, in quibus rhythmi mentio facta eſt, interpretarentur, in commentarios ſuos multa contulerunt, quibus nonnihil labor hic noſter adjuvatur. Sed in eo quoque nos eorum doctrina delectat; quod rhythmi hujus cognitionem ſcriptoribus utilem ſentiunt; ſed hanc rhetoricæ diſciplinæ partem vel interiiſſe, vel certe obſcuram eſſe conquerun-tur. Quæ ratio nos movit, ut, cum alii pro ſe quiſque rem litterariam, qua parte poſſent, juvare tentarent, idque multis, ac magnis in rebus jam præſtitiſſent, nos quoque, quoniam majora non poſſumus, experiremur, an hac in parte, ab aliis neglecta, ab aliis, quaſi percipi nullo pacto queant, depoſita, ac deſperata, ab aliis quaſi minus excogitata, a multis deſiderata, a paucis intellecta, aliquid opis afferre poſſimus. Atque id majore fiducia aggredimur; quod nunquam in magnis ita fuimus occupati, ut minora negligeremus, neque unquam ſumus ita ſpecioſa ſectati, ut non utilia præferremus. Ad hæc, nullus me ſucceſſus, aut favor unquam ita potuit inflare, ut artem puderet proloqui, quam factitem. Quamobrem nihil invidioſum mihi ſumo, ſi multa, quæ, quamvis utilia, ac prope neceſſaria, cæteri contemnunt, collegiſſe me dico, & ea in communem eorum, qui neſciunt, uſum proferre non erubeſco. Quicquid igitur ad rhythmi oratorii, quem Ariſtoteles ex pedum ordine naſci arbitratur, cognitionem pertinere ſumus arbitrati, quanta potuimus cura undique conquiſivimus, & quæ non ſolum apud Muſicos, Philoſophos, Rhetores, Sophiſtas, ac Grammaticos, ſed vel a doctis hominibus audivi, vel ipſe excogitavi, id totum in libros quatuor contuli, atque ita digeſſi, ut in primo libro a numeri, ac rhythmi diffinitione orſus, non ſolum verſus, ac metra, ſed omnia prorſus alia, rhythmorum genera ab oratorio rhythmo ſejunxerim, &, quibus tandem hic pedibus conſtitui poſſit, expreſſerim, ac mox, qui rhythmi ſint a veteribus improbati, & in oratione numeroſa, quæ vitari vitia, oporteat. In ſecundo tentavimus oſtendere, quo modo a Poetis Oratores, metrum refu-

gientes, numerum potuerint mutuari. Tum adjecimus, qui meliores, ac frequentiores exiſtimentur; quo modo veteres, & quatenus a Cicerone reprehenſi; qui, quibus locis pedes ſint aptiores; ac denique quonam demum pacto numeroſæ orationis laudem conſequamur. In tertio, de commate, tum quid ſit, quantumque commata poeticæ ab oratoriis diſtent, & quæ ſit eorum menſura. Tum de eo a pari ratione diſputavimus, quid eſſet, quantumque ab oratorio colo differret; ultimo loco, de genere illius antiquæ orationis, quam εἰρομένῃ Ariſtoteles vocat, nos perpetuam, ac jugem, vel, ut recentiores, pendentem nominamus. In ultimo libro de periodo, quid ſit, & quot illius ſpecies; tum de oratione, quæ eſt in periodis conſtituta, quam verſam nos, Græci κατεστραμμένῃ nuncupant: ut, quoniam principio, ac fine commatum, membrorum, atque ante omnia periodorum rhythmus ſpectari ſolet, Orator, hac noſtra obſervatione diligenter inſpecta, aptius intelligeret, ubi deberet numerum ſervare, & multo facilius ſententias omnes poſſet verbis apte comprehendere. Atque hos quatuor libros cum jam abſolviſſem, ab amiciſſimis admonitus putavi faciendum, ut etiam quintum attexerem. Quo in libro ſatis, ut opinor, accurate ſcripta ſunt a me, quæ recentiorum quorundam de oratorio numero inanes opiniones refellant. Nec vero mihi fraudi futurum putavi, quod hujus ſive artis, ſive facultatis eam partem tractandam ſuſceperim, quæ multis quæſtionibus obſcura, non queat ſatis explicari, niſi illius, ut ita loquar, radices ſtirpeſque ſpectandas exhibuerim. Quod quanquam ſine injucunda quadam tractatione fieri non poſſe intelligebam, & delicati lectoris faſtidia pertimeſcebam, tamen mihi tentandum putavi; quia ſine iis, ſicut neque in arboribus, ita neque in magnis artibus ad fructus, & ad ea, quæ ſunt aſpectu jucunda, pervenitur. Et animi multo liberalioris ſemper judicavi, potius, quæ utilia, quam quæ ſpecioſa ſunt, in commune conferre. Quanquam vero rebus cæteroqui difficilibus, & obſcuris non parum, ut arbitror, lucis intuli: tantum tamen mihi non arrogo, ut ejus rei, in qua tot præclara ingenia diu laborarunt, plenam omni ex parte diſciplinam tradidiſſe me prædicem. Verum, ut hoc profiteri non

non audeo, ita illud ſpero, atque confido, noſtris laboribus, ac vigiliis ad harum rerum cognitionem jam nunc viam adeo apertam eſſe, atque munitam, ut homines ingenioſi, & abundantes otio, facile, ſi quid inventis noſtris deeſſe viderint, ipſi poſſint addere; ſi quid contra ſupereſſe deprehenderint, reſecare; ſi quid erratum noverint, in melius mutare; nos certe diligentia vel amicorum conſiliis, vel etiam invidorum juſta reprehenſione hæc emendare, & in gratiam ſtudioſæ juventutis meliora reddere, nunquam pigebit. Lectores interim obteſtamur, ut hæc, qualiacunque ſint, boni conſulant; &, ſi ſcribentis eruditionem deſiderant, animum ſaltem juvandæ rei litterariæ cupidum diligant; ac meminerint, honeſtos conatus, etiam cum male ceſſerint, jure laudari. Quicquid autem laboris, quicquid eſt operis, id, Reginalde Pole, Vir ampliſſime, cum ea paraphraſi, quam in aliquot David pſalmos fecimus, nomini tuo dicamus; non tam quidem aut regia iſta nobilitate gentis tuæ, aut ſacerdotii dignitate, & iſtius, in quo conſtitutus es, loci amplitudine invitati, quam morum, & vitæ tuæ integritate compulſi. Quamvis enim vel generis claritas, per tot ætates ad te uſque deducta, vel eccleſiaſticæ majeſtatis, & ſenatorii ordinis amplitudo neminem non ad obſervantiam tui nominis invitet: apud me tamen tantum poteſt animi tui candor, & celſitudo, ut reliqua omnia mihi tua ornamenta his longe inferiora videantur. Quem enim in admirationem tui non rapiat vera illa virtutum omnium parens religio, ac pietas? a qua nullæ te deſipientis tyranni minæ, nulla tua incommoda, nulla tuorum vel damna, vel mala poterunt avellere: cujus ſervandæ, atque augendæ gratia, a ſummo Pontifice legatus inter hoſtiles inſidias bonam Europæ partem peragraſti; nec odiis ſolum, ſed etiam telis impiorum caput innocens conſtanter objeciſti, te ſatis magnum, ſatis tutum arbitratus, ſi Deo placere meruiſſes. Comitantur hanc multæ, magnæque virtutes, quas equidem libenter aliquo verborum honore proſequerer, niſi mihi conſiderandum intelligerem, non tam quid illis debeatur, quam quid nimia iſta tua modeſtia pati poſſit. Rara illa, & prope tua unius virtus fileri non poteſt, quod ab omni ambitione tam procul abes, ut,

quæ alii prima putant, ea tu regia quadam animi ſublimitate ita deſpexeris, ut ne delatum quidem virtutibus, ac meritis in Chriſtianam Remp. tuis ſummum Pontificatum accipere ſuſtinueris; multis dubium reliqueris, major ne ſit laus tua, quod ſupremum iſtius dignitatis gradum merueris, an quod recuſaris; mihi vero dubium non ſit, quin multo admirabiliorem te recuſando, quam merendo præbueris. Nam merendo, alios labore, atque aſſiduitate vel viceras, vel æquaras: recuſando, & illos, &, quod difficillimum eſt, te ipſum ſuperaſti. Itaque apud eos, qui aliquid ſapiunt, tanto major ſemper es futurus, quanto hoc, quam illud, majus exiſtimari oportet. Hinc, quod ſemper expetiſti, feliciter es conſecutus, ut nulli non grata ſit humanitas tua: quæ optimo cuique ad amicitiam tuam fores aperit, qua me quoque quaſi aliquem e tuis ita complecteris, ut vel hoc uno nomine tibi me plurimum debere ſentiam. Verum, quando neque ego tibi quicquam, præter grati animi ſigna, præſtare poſſum, neque aliud a me tua iſta ſublimis videtur poſtulare fortuna, erunt hi maxime libri, quos de numero oratorio compoſuimus, quamdiu legentur, ſi modo legentur, meæ in te obſervantiæ monumentum: quos tu, ſi bene mores tuos novi, vel ob hoc unum amanter fovebis, quod non inanis gloriæ, non quæſtus alicujus gratia, ſed ſolo de bonis ingeniis bene merendi ſtudio videbis eſſe conſcriptos.

Itaque Rapicius, ut ad Polum ſcribit, non plures, quam quatuor de Oratorio numero libros conſcribere, in animo habuerat; at quum eos abſolviſſet, amicorum admonitu quintum adtexuit, quo recentiorum quorundam de eo argumento inanes opiniones refelleret, quique propterea exigit, ut eidem aliquantulum immoremur. In ejus exordio, cum quibus ſibi res ſit, ſtatim declarat, videlicet cum Philippo Melanchtone, Gherardo Bucolaniano, & Jacobo Ludovico Strebæo: quorum duo priores in iis Commentariis, quos de Arte Rhe-

Rhetorica ſuperioribus annis ediderant, affirmare auſi fuerant, hoc totum quidquid eſt, quod de Oratorio numero a veteribus dicitur, vel quaſi nec doceri, nec diſci poſſit, prorſus omittendum, vel quaſi per ſe obvium, & facile, contemnendum; Strebæus vero, ſi quid hac de re poſt antiquos Rhetores tradi potuit, id totum, diverſis in locis, diligenter tractaſſe prædicaretur. Moxque Melanctoni occurrens, qui quum multa de arte dicendi, ac præſertim de elocutione, dixiſſet, *ſtultum eſt nunc de numeris præcipere, cum ſonus Latinæ linguæ hoc tempore non ſit nativus*, hac in re non leviter falli hominem ingenioſum, reponit Rapicius; nam neque omnes corrupto ſono pronunciant, & præterea nullo unquam tempore defuere, qui nativum tum Græcæ, tum Latinæ linguæ ſonum corrumperent, ſemperque aliter Romani, atque Itali, aliter Græci, aliter Germani, & Galli, atque Hiſpani linguam, ac ſpiritum, & vocis ſonum ſunt moderati, imo vero Apulum a Lucano, Siculum a Calabro, Campanum ab Hetruſco, Romanum ab omnibus facile diſcernas. Attica Theophraſtum, ſono vocis ducta, Atticum non eſſe intellexit; Q. Valerium Soranum, hominem ſuo ſæculo literatiſſimum, a Romanis, quanquam imperitis, vocis ſono, & lenitate victum fuiſſe, L. Craſſus affirmavit; ſcriptumque Cicero reliquit, non defuiſſe illis temporibus, qui inepta pronunciatione ſe palam ridendos exhiberent. Nec tamen ea res eloquentiſſimum Tullium deterruit, quo minus de numeris tam multa, quam alius nemo, præciperet, & ipſe numeroſe diceret, ac ſcriberet.

Rhyth-

Rhythmus enim Oratorius non ex quibuſvis ſonis naſcitur, ſed ex iis, quos reddunt tum longæ, tum brevis ſyllabæ, ita poſitæ, ut verſum quidem nullum faciant, rhythmum tamen reddant quemdam delectabilem, & qui ad verſuum prope ſuavitatem accedat; quæ ſyllabarum quantitas, quemadmodum & earum ſonus, & ſpiritus, cujuſcemodi erant apud antiquiſſimos, hodie etiam manent. Subdit deinde Rapicius in hunc modum:

Ex lib. 5. p. 49. t.

Cum igitur pedibus, ac ſyllabarum quantitate, & tono, & quaſi cantu conſtet hic numerus; nec ſyllabarum quantitas, nec tonus, nec ſpiritus ab antiquorum conſuetudine quicquam variaverit: quid obſtat quo minus numerum hunc conficere, & de eo præcepta veterum more tradere poſſimus, ac debeamus? Quis enim ignorat, *ubicunque omnes fuerint* alicujus rei partes, quanquam disjectæ, ibi tamen, ſi in unum adduxeris, totum poſſe conſtitui? conſtitui autem ſolere, & debere, quam fieri poteſt aptiſſime; niſi quis aut tam hebeti, aut tam præpoſtero ſit ingenio, ut, cum parata, expolitaque ante oculos, atque inter manus extent membra omnia, e quibus vel Phidiæ Minerva, vel Polycleti Hercules poſſit confici, disjecta illa malit jacere, quam in aptum ordinem redigi, atque in ſigna orbe toto celebranda conſurgere. Quis porro, cum ædes ſtruere deſideret, nec quadrati lapidis, lignorumque, & laterum, ac reliquæ materiæ deſit copia, ſtruet quidem opus, ſed adeo negligenter, ut nihil curet, cum quo lapide, lignove, aut latere, quem lapidem, lignum, aut laterem conjungat? nec conſideret, quo modo copulari poſſint, & qua ſui parte ſtabiliorem, firmioremque queant exhibere ſtructuram? nec ſaltem abſcindat, removeatque, ſi quid obſtat, nec addat, ſi quid deeſt, ut tota ſtructura firmior fiat, tum etiam aſpectu ipſo pulchrior; ſed omnia incondita, utcunque ſors tulerit, coacervet, ac ſibi non tam domum, quam ruinam paret? Huic ſimiles ſunt qui-

quicunque contemptis his, quæ traduntur de numero, præceptis, mente circumſcriptas ſententias incondita potius, atque indiſtincta oratione jactari lætantur; quam, quæ delegerint, verba ita dimittere, ut ſuo quodque loco reſpondeat; nec, cum poſſint, curent, ut periodi, colaque, & commata omnia & prima, & media ad finem ſpectent, & alia, atque alia terminatione claudantur.

Si cui vero deſuetudo ipſa hujus rhythmi, & diuturna apud multos rei hujus ignorantia, deſperationem ingerere poſſe videatur, in exemplum affert Rapicius adverſus hoc offendiculum, Pontani Uraniam, & Hortos Heſperidum, Fracaſtorii Siphilliden, & Sinceri de Virginis partu libros, & pauca Andreæ Navagerii, pauca item Cottæ poemata; qui nimirum cum poematum recte ſcribendorum ratio diu latuiſſet, & malos verſificatores Latini plurimos, Poetam nullum haberent, quaſi *de Cœlo demiſſi ſunt*, ut Artem poeticam ſopitam, ac jam prope extinctam ſuſcitarent.

Dimiſſo Melanchtone pugnam init Rapicius cum Bucoldiano, quam inchoat his verbis:

Ex eodem libro p. 50. t.

Sed quoniam nihilo minus periculoſum ſtudioſis hominibus offendiculdm objicit audacia, quam deſperatio: quemadmodum hactenus Melanchtoni, deſperare nos jubenti, reſpondimus, ſic jam Bucoldiano quoque, ad inconſultam temeritatem vocanti, jam reſpondeamus; quod nobis eo diligentius faciendum cenſeo, quo plures illum erroris ſui ſubſcriptores habiturum eſſe ſuſpicor. His enim temporibus, ut in reliqua vita, ita in ſtudiis honeſtarum diſciplinarum plus videas confidentiæ, & audaciæ, quam laboris & induſtriæ. Et nemo ferme eſt, qui non malit videri doctus, quam diſcere. Hic igitur in ſecundo eorum librorum, quos de Oratoria inventione, atque amplificatione conſcripſit, adverſus Ciceronem, & Quintilianum, de dictionis Oratoriæ numero

diſpu-

diſputantes, quædam adeo inconſulte, atque imprudenter effudit, ut quivis vel mediocriter eruditus, contemnenda potius intelligat, quam refellenda: cum eos, quos tam audacter inceſſit, adeo negligenter legerit, ut, quæ ab illis ſcripta ſunt, vix mediocriter intellexiſſe videatur.

Primo loco Bucoldiani audaciam deridet Rapicius, qui velut aliquod e Delphico tripode oraculum promere ſe exiſtimans, & quidem vix nuper agnitus contra multos jam longe doctiſſimos, & multorum ſæculorum judiciis comprobatos, totum illud, quod de Oratione numeroſa reddenda idoneis, & melioribus pedibus, ac numeris docuerunt cum Ariſtoteles, & antiqui Rhetores omnes, ipſe Bucoldianus inane, ac nulla præceptione dignum decernat, cenſeatque ſolam verborum juncturam, & figurarum concinnitatem ad Orationis ornatum ſatis eſſe. Deinde omiſſis auctoritatibus, *ratione* ipſa demonſtrat Rapicius, pedum cognitionem, curamque Oratori maxime eſſe neceſſariam, & poſt multa:

Ex eodem libro p. 52. t.

Nam, quod ajunt, commata, & cola qualeſcunque periodos, atque in iis etiam rhythmos, in omni locutione deprehendi, dicere illi quidem non nihil viderentur, ſi poſſent homines iis modo, quæ ſuapte natura oriuntur rudia, atque inchoata, eſſe contenti: ſed cum omnes aliquid, atque adeo etiam plus multo, quam deceat, voluptati tribuendum putemus, nec voluptas aurium niſi exquiſito artificio comparetur, non video, cur quiſquam nos in orationis ſuavitate contemnenda tam ſeveros, & agreſtes eſſe deſideret, vel potius imperet, ut audiendi ſenſu, neſcio quo pacto, privare contendat: cum præſertim in iis, quæ ad ſenſus pertinent, homines tanto ſtudio delectationes aucupentur, ut longe maxima vitæ pars huic uni rei deſerviat. Nam, ut indecoras relatu voluptates omittam, quam multa in cultu corporis, quam multa in apparatu domeſtico, in publicis, in privatis,

in

in ſacris, & profanis ædificiis ad voluptatem ſunt excogitata. Qui colorum flos, quæ varietas, quæ umbræ, quæ in picturis lumina, quot porro unguentorum, quot odoramentorum genera exquiſita? Jam vero in cibis, ac potionibus nulla non gulæ irritamenta tentamus, neque unquam deſinimus, aut in uſum deſueta revocare, aut nova ſubinde invenire. Sed quid ego in his moror? quaſi non in illis ipſis, quæ ad aures pertinent, id palam ſpectari, ac prope manu tangi queat. Quis enim non videat, non modo in comeſſationibus, & conviviis, ſed in ipſis etiam deorum immortalium templis, & ſacris ſolemnibus hodie ita cani, ut longe majorem temporis partem occupent delicatæ neſcio quæ flexiones, & nimis minutatim conciſæ, ac falſæ voculæ, quam cantus ſtabilis, caſtus, ac ſeverus. In metris vero, ac verſibus tot genera, vel primigenia, & ſimplicia, vel declinata, & compoſita ſunt, ut vix ullo certo, ac præfixo numero liceat comprehendere. In rhythmis poeticis, vel apud Latinos olim, vel apud Hetruſcos hodie, vel apud omnes potius gentes, ac nationes tanta varietas, tanta concinnæ cura concluſionis, tanta cupido prolectandæ voluptatis inceſſit, ut nulla linguæ barbaries potuerit homines impedire, quo minus ſimiliter vel cadentia, vel deſinentia certis locis diſponerent, & concinnitatem ſummo labore aucuparentur, ac ſententiarum gravitatem, quam vel in primis ſectari oportebat, non raro negligerent, ut aures delicatas frequens concinnitas jucunde feriret.

Qui autem laborem deligendorum pedum, &, quod ſequitur, numerum penitus negligere nos jubent, ne a rebus, ut ajunt, cognoſcendis avocemur, eos Rapicius refellit; nam nec Cicero, nec Ariſtoteles, nec alii Rhetores eos ſecuti, voluerunt Oratorem ſtudio numeri, ac diſtinctionis res negligenter conſiderare, quum is, qui recte ſit inſtitutus, vel ſaltem diſcendi cupidus, poſſit hæc, quæ ad numeros pertinent, nullo fere negotio in promptu habere, atque in his, vel nunquam,

vel rariſſimè labi. Si qui vero ſint, qui promittant fore, ut dempta iſta ſyllabarum, ac pedum cura, numeri in Oratione non deſiderentur, primum vereri ſe ait Rapicius, ne parum præſtent, quod temere promittunt; deinde ſi maxime præſtent, ſe non amare ſubdola iſta promiſſa, quæ cupidos eloquentiæ ad Ciceronis contemptum invitant, & ab ejus imitatione divellunt, quem ſcimus adeo hujus rei fuiſſe ſtudioſum, ut de pedibus, & rhythmo ſolutæ Orationis vix quiſquam apud Latinos pluribus locis mentionem fecerit. Tandem Melanchtonem, & Bucoldianum una ſimul taxans Rapicius, ſtudioſos eloquentiæ homines monet, ut miſſos facientes novos iſtos artifices, nec animum deſpondeant, nec nimis audeant.

Ex eodem libro p. 54. t.

Quando licet, ac maxime expedit, hac in re, ut in reliqua vita, medium quiddam ita ſervemus, ut audaciæ ſimul, & inertiæ crimen evitemus, atque hanc elocutionis partem excolamus; ut, ſi non poſſumus, quo maxime optamus, pervenire, quodam tenus certe prodeamus; & quando honeſtus eſt error magnos duces ſequentibus, ſequamur potius, quamvis infirmo gradu, Iſocratem, & Demoſthenem, M. Tullium, & L. Craſſum, quam aut cum iis, qui per ætatem vel non poſſunt, vel nolunt diſcere, deſperemus; aut cum iis, qui ſibi multo plus ſumunt, quam maximis Oratoribus deferunt, quæ ſtudioſe diſcenda ſunt, temere negligamus. Sed contra ſemper animo fixum, atque immotum maneat, quod apud M. Tullium Craſſus inquit, numeroſæ orationis vim eſſe magis neceſſariam, quam difficilem; nihilque eſſe tam tenerum, neque tam flexibile, neque quod tam facile ſequatur, quocunque ducas, quam orationem: ex hac verſus, ex eadem diſpares numeros confici; ex hac hanc etiam ſolutam variis modis, multorumque generum compoſitionem. Proinde nihil nos deterreat ratio iſta pedum, ſed facilitas potius

tius invitet; qua fit, ut verba de medio ſumpta, quaſi molliſſimam ceram ad noſtrum arbitrium formare, ac fingere poſſimus, & modico labore conſequi, ut, quo tot alii pervenere, nos quoque, via non fallente, veniamus; itaque ſtultum eſt, aut ingenio diffidere, aut aleæ ſemper incertæ famam committere. Illinc enim humilis, & abjectæ formidinis, hinc damnoſæ, ac fallacis audaciæ nota metuenda eſt.

Reſtabat Strebæus Rhemenſis, cum quo Rapicius congrederetur, ſeu potius cui ſe compararet; nam illius de Oratoria elocutione libri tam copioſe, tam ingenioſe, communi judicio, ſuſceptum argumentum explanare cenſentur, ut cæteris nullam ſuper eo diſſerendi materiam reliquiſſe ipſe videatur. Quid in eo Opere præſtiterit Strebæus, exponens Rapicius, queritur ipſum, poſtquam tam multa de rhetorica verborum electione diſſeruerat, & longa, atque acri oratione in Latini ſermonis contemptores invectus fuerat, cum vix tandem ad locum, in quo de collocandis verbis, de natura ſyllabarum, de coagmentatione vocum, de concinnitate clauſularum, de figuris, quas rhythmus plerumque comitatur, dicendum erat, perveniſſet, eos quodammodo fuerit imitatus, qui diſpendioſo itinere fatigati, ſuſceptum ſemel onus prius abjiciunt, quam, quo intenderant, pervenerint. Deinde librum illum aureis, & prorſus cedro dignis his verbis concludit:

Ex eodem libro p. 56.

Hanc nos artis partem, quod erat longe difficillima, noſtriſque temporibus tum neglecta, tum non ſatis intellecta, tractandam ſuſcepimus: non ut cum veteribus, quos rhythmicæ rationis fuiſſe peritos nemo ambigit, contenderemus, ſed ut, quæ illi tanquam ſuo ſæculo nota partim neglexerunt, partim nimis breviter attigerunt, colligeremus, copioſeque tractata ſtudioſis hominibus ita traderemus, ut quod

hactenus alii desperaverant, alii neglexerant, id tandem non imitatione sola, quæ plerumque fallit, sed certa ratione perceptum, cum libuisset, usurpare non timerent. Tam diligenter enim, quid sit numerus, & quanta numerorum varietas, & quo modo hic Oratorius ab aliis differat, ex antiquorum, & juniorum sententiis expressimus, ut eum etiam rudes facile possint intelligere. Ita porro, quæ numerorum vitia sint vitanda, ita, quæ virtutes sint expetendæ, tum dilucide, tum breviter expressimus; ut nemo aut in illa incurrere, nisi videns, ac volens, aut has non consequi, nisi prorsus hebes, aut negligens, non possit. Quin etiam de pedum natura, & exquisita quadam eorum differentia, de commatibus, de colis, de periodis ea diligentissime collegimus, quæ ab ingeniosis maxime desiderari putabamus, & quæ numerose dicendi cupidos, & non ignavos homines possent vel ab audaci quorundam temeritate revocare, vel ab aliorum turpi desperatione vindicare: si quidem & opus esse rhythmica pedum ratione percepissent; & non magno labore, quicquid hoc est, disci posse intelligerent; quod an præstiterimus, homines bene docti viderint. Nos illud modo constanter affirmamus, nec voluntatem nobis defuisse, nec curam; neque enim timuimus, posse quenquam jure nobis vitio vertere, si post doctissimos Viros, quorum alii de tota bene dicendi ratione scripserunt, alii de partibus elocutionis commentarios reliquerunt, nos in hac, quæ ad Oratorium numerum spectat, artis parte tantum operæ poneremus, quantum & ad desperationem tollendam, & ad temeritatem reprimendam, & ad studia discentium juvanda satis esse videretur. Nam si, post doctissimos Nigidii Figuli de re litteraria commentarios, Messalla, vir foro magis aptus, quam scholis, tum de littera S bene magnum volumen scribere, tum singulis litteris singulos libellos reddere, non est veritus; si Joannes Pontanus memoria nostra post tot aliorum scripta duos de unica non littera, sed aspirandi nota libros scripsisse laudatur; si denique etiam nostri sæculi homines non sunt veriti, his de rebus scribere, quas ab antiquis ornate, copioseque videbant esse tractatas: cur me quisquam vel contemnat, vel reprehendat, quod de Oratorio numero non

non timuerim poſt eos ſcribere, qui hac ipſa de re futuris Oratoribus neceſſaria, ſed multis quæſtionum difficultatibus impedita, vel nimis breviter, & obſcure, vel adeo properanter & contemptim ſcripſerunt, ut doctis potius oſtendere ſcientiam ſuam, quam neſcientes docere voluiſſe videantur: cum præſertim per tot, & tam difficiles quæſtiones ita ſtylum temperarim, ut nec jejuna brevitas diſcentium vota fruſtrari, nec obſcuritas affectata legentis curſum poſſet impedire; nec ulla rerum aut humilitas, aut difficultas tanta potuit offerri, quam vel contempſerim, vel reformidarim. Nam cum maximum quiddam, præclarumque ſit eloquentia, quis non videat, rationem numeri, qua res tanta vehementer juvari poteſt, non ut parvum quiddam oportere contemni, ſed ut magnum, rarumque quibuſvis laboribus debere comparari? Quamobrem fore confido, ut æquus totius rei æſtimator huic labori noſtro non contemptum, non odium, ſed aliquam potius gratiam deberi judicet. Invidiam vero his temporibus habere hæc materia prope nullam poteſt; tum quod tenuis, & exilis judicatur; tum quod multorum calumniis eſt obnoxia. Nam qui ab ineunte ætate neque pedum, neque ſyllabarum rationes, ac momenta didicerunt, ii nunc vel ſe poſſe diſcere deſperant, vel tanti non putant, ut eum laborem ſuſcipiant; quamobrem prave pudentes neſcire malunt, quam diſcere: &, ne ſoli neſcire videantur, alios quoque ad hujus rei contemptum impudenter hortantur: ut, ſi nemo diſcat, quod ipſi, cum per ætatem poſſent, diſcere neglexerunt, aliis vel ſuperiores, vel pares judicentur. Sed me perpetuo bene de litteris merendi ſtudio flagrantem, nec inquiſitionis longæ tædia, nec humilitas ulla materiæ, nec inexplicabiles in re tenui quæſtiones, nec ullæ calumniantium voces deterrere unquam potuerunt, quo minus iter ſemel cœptum conſtanter tenerem, & noſtrum hoc perpetuum de litteris bene merendi ſtudium utile diſcentibus futurum confiderem. Quapropter tantum abeſt, ut ſuſcepti laboris, & intentæ hanc in rem ſedulitatis me pœniteat, ut jamnum paratus ſim libenter & hæc, & ſi quid aliud ſcripſero, vel mea diligentia, vel amicorum monitu, vel æmulorum reprehenſione, ſi modo juſta fuerit, emen-

emendare. Quamobrem, Rhamnuſi amiciſſime, velim, deſinas ea mihi timere, quæ me non timere perſpicis; amicorum enim monitus nunquam non libenter admiſi: reprehenſiones inimicorum mihi re ipſa fuiſſe ſemper utiles comperi. Nam quæ juſtæ fuerunt, ut vel erroris, vel delicti mei me pœniteret, præſtiterunt: quæ vero minus juſtæ, hoc plus attulerunt, ut jam non delicta modo, ſed, quicquid poterat eſſe ſuſpectum, diligenter caverem, & utraque ratione melior fieri ſubinde tentarem.

Qualis, quantuſque fuerit in Oratoria Arte Rapicius, hæc, quæ ex quinto ejus libro deprompſimus, loca ſat palam evincunt. Paulus Rhamnuſius, cui ille inſcribitur, Rapicium inſtitutorem ſortitus fuerat, & propterea ibidem Rapicius ſibi gratulatur, uberes fructus, quos ex ea educatione percepit: *Quid dicam* (ita Paulum affatur) *quod ad veterum poetarum majeſtatem ſic jam tuum carmen accedit, ut tamen ſolutæ orationis laude nihilo minus excellas. Quod, ut alia nunc tua ſcripta præteream, vel duæ illæ funebres laudationes ſatis probarint: quarum altera Tryphonem Gabrielem, virum bonum, ac nobilem, & bene doctum, quaſi quendam noſtri temporis Socratem apud populum aptiſſimis laudibus extuliſti: altera vero Andream Franciſcum, magnum Reipublicæ Cancellarium, ſummæ probitatis virum, apud Senatum tanto facundæ orationis ornatu, tanta vultus, vocis, ac geſtus moderatione laudaſti, ut neque vera ulla laus ei detracta, neque falſa afficta eſſe videretur.* Ex iis vero fructibus vel præcipuum, ac jucundiſſimum ducit Rapicius, quod Paulus, & avo, & patruo magno, & patre ſuo dignum ſe probaret. Paulum avum Rapicius commendat ex juris, & legum prudentia, qua

ne-

nemini erat ſecundus, ex conſilio, & judicio, quo tota quidem italia, ſed in florentiſſima patria ſua vel in primis erat illuſtris; Hieronymum vero magnum patruum ex diſcendi deſiderio, quo factum dicit, ut quum jam & Philoſophus gravis, & eximius eſſet Poeta, Græcique, & Latini ſermonis peritiſſimus, contemptis omnibus patrii ſoli commodis, in intimam ſe Syriam, ubi etiam fato functus eſt, ſe abdiderit, & aliquot annorum jugi labore literas Arabicas ita didicerit, ut Avicennam elegantiſſime tranſtulerit in noſtrum ſermonem, idemque erga optimum quenque linguæ illius Scriptorem facturus fuerit, ſi paulo diutius vixiſſet; demum Joannem Baptiſtam patrem ex longo rerum publicarum uſu, cognitioneque, ac totos annos quinquaginta probata multis, magniſque rebus integritate, & continentia, ſingularique in omnibus fide, ac propterea principibus in Rep. Viris ita earum, ut eum non quaſi miniſtrum aliquem diligant, ſed jam quaſi collegam complectantur.

Exſtat Pauli Manutii Epiſtola, ſcilicet Epiſtolar. ejus L.3. qua Joanni Baptiſtæ Rhamnuſio, Decemvirum Conſilii a ſecretis electo, magiſtratum illum, veluti fructum tot peregrinationum in Galliam, ad Helvetios, Romam, etiam ad hoſtes armis infeſtos, Reip. cauſa ſuſceptarum, necnon conſiliorum, quæ ab ipſo fluxerunt, ad augendam, quantum in eo fuit, patriæ dignitatem, gratulatur. Ad Paulum vero Rhamnuſium Joannis Baptiſtæ filium Paulus Manutius editos ſuis in ædibus Cæſaris Commentarios miſit, & in Præfatione, Rapicium quodammodo imitatus, tam ipſius Pauli, quam

avi, patrui magni, & patris laudes prosecutus est; inter cæteras vero causas, quibus se adductum scribit Manutius, ut eos Commentarios Rhamnusio commendaret, affert provinciam Decemvirali decreto eidem demandatam, Veneti illius memorabilis belli, quod Henrico Dandulo Duce adversus Byzantios gestum est, Latina oratione explicandi.

Ad Joannem Baptistam Rhamnusium quamplures Petri Bembi Epistolæ datæ reperiuntur, nam inter Italicas Liber tertius Volum. 2. præter duas priores, & tres postremas, reliquæ omnes Jo. Baptistæ Rhamnusio inscribuntur. Inter Latinas vero ipsius Bembi, quæ postrema est libri sexti, ad ipsum Jovitam Rapicium visitur data, qua magnas ei gratias agit, quod Horatium Caroli Fanensis filium instituendum *susceperit*, & *una* curaret, ut ab iis doctoribus, quos Rhamnusius *Pauli* filii sui gratia conductos domi habebat, Græcas literas, & Mathematicas disciplinas Horatius perciperet.

Tandem inter Epistolas Claror. Viror. una adest Reginaldi Poli Cardinalis ad Paulum Rhamnusium, qua gratum animum erga Jovitam nostrum ob libros de Oratorio numero sibi nuncupatos, quorum Proœmium acceperat, his verbis Polus declarat: *Quod vero ad Jovitam attinet, quem ex illo proœmio tam honorifice de me sensisse video, ut laudes eas, quas mihi tribuit, minime possum agnoscere, ita hæc amoris ejus erga me significatio grata sane, ut debuit, mihi & jucunda fuit. Cui quod vivo studii, ac benevolentiæ debui, neque mortuo jam præstare possum, id in ipsius liberos, atque in te, qui ab eo institutus es, & in filii loco habitus, libentissime conferam.*

feram. Vale, & honeſtiſſimum virum, patrem tuum, meis verbis ſaluta. Bruxellis, V. Kal. Junii MDLIIII.

De Jovitæ Rapicii Paraphraſi in Pſalmos, cujus ipſe mentionem fecit in Epiſtola ad Polum, dicemus, ubi ad Poetica deventum erit. Ad Oratoria autem ſpectat ejuſdem Oratio duplex, prior ad inclytum Venetiarum Senatum pro Bergomatibus, altera in funere Pauli Zanchi Bergomatis Juriſconſulti habita. Utramque exhibet libellus Venetiis editus an. 1561. & ex utraque brevia more noſtro dabimus excerpta. De belli Cameracenſis exitu, cujus cauſa prior illa habita eſt Oratio gratulatoria, hæc Rapicii ſunt verba:

Exarſerat, neſcio quo fato, Chriſtianorum Principum miſerabilis ira adverſus ſanctiſſimam iſtam Rempublicam veſtram, hoc eſt adverſus ſalutis ſuæ propugnatores, adverſus eos, qui pro Chriſtiana Republica, nulla non incommoda tot jam ſæculis ſuſtinuere, qui nullos non impetus tam ipſis pectoribus, quam vallo, ac mœnibus excepere, qui tot incendia cum reliquæ Europæ, tum maxime Italiæ impendentia, & vi opum, & ſingulari quadam, ac prudenti diligentia reſtinxere; atque ita exarſerat veſanus iſte furor, ut ſopiri poſſe nullo pacto videretur, niſi prius atrita, ac profligata veſtra iſta tam ſalubri, tam neceſſaria Chriſtianis omnibus potentia; tantiſque opibus, tanto apparatu, tanto conſenſu, tam pertinaci odio, bellum erat conflatum, ut mirum multis videatur, vos tantum animo potuiſſe præſumere, ut contra totius prope Europæ Principes ſtaretis, ſola cauſa ſuperiores. Vos certe Deus, vos præſens illius ad reſiſtendum hortata eſt majeſtas, ut nihil timeretis, meminiſſetiſque, eam eſſe cauſam veſtram, ut vexari quidem, & affligi poſſetis, vinci nón poſſetis. Bene, ſane bene, quod divini oraculi fidem res ipſa comprobavit; namque aliquot præliis victi, bello tamen ipſo Veneti victores fuiſtis. Et nos mirabili quadam Dei Opt. Max. providentia hæc eveniſſe arbitramur, ut ſcilicet gloria veſtra latius dif-

funderetur, diſcerentque Barbaræ nationes, eam eſſe Veneti Senatus prudentiam, eam auctoritatem, eas vires, eas opes, quæ vos non minus bello invictos, quam pace claros reddant. Quis quæſo non videat, vel hoc uno bello omnes omnium Regum, & populorum victorias, & gloriam longiſſimo intervallo præceſſiſſe? Quæ enim unquam Reſpub. tot, tamque inteſtinos hoſtes tam diu ſuſtinuit, ac ſuperavit? Nam ut Athenienſes, Thebanos, Lacedæmones (quos quidam vobis temere comparare audent) omittamus, Romani illi toto terrarum orbe celebres, bello Punico ſecundo graviter adeo vexati ſunt, ut de ſumma rerum prope actum ſit, & propius periculo fuerint, qui vicere. Fluxit Romano ſanguine purpureus Trebia, cruentis fluctibus Traſimenus intumuit, ut Cannæ infelicis exercitus excidio funeſtatæ, ſola Romanæ cladis magnitudine memorabiles. Et tamen cum unico, atque externo hoſte res gerebatur. Vos uno tempore Germaniam, Galliam, Britannos, Hiſpanos, & (quod pudet referre) Italiam ipſam ſimul pertuliſtis. Quodque omnem pene fidem excedit, eos, a quibus oppugnabamini, defendere nunquam deſtitiſtis. Certabant illi, ut vos ſedibus veſtris ejicerent, vos interim injuriam repellere contenti, & quoquo modo fieri poſſet, veſtra tueri, immaniſſimum Maumetanæ ſuperſtitionis Principem, ſub defenſionis veſtræ prætextu Chriſtianorum jugulis inhiantem, incomparabili prudentia a focis, & aris, atque ab ipſorum hoſtium veſtrorum pernicie arcebatis; neque ulla tanta in ferri vobis injuria potuit, ut privatæ utilitatis gratia, aliqua ex parte Chriſtianæ Reipub. tutelam abjiceretis. Itaque non defuit vobis Chriſtus Deus Optimus, cujus conſilio pariter, & exemplo, his, qui vel per ſummum ſcelus, vel certe miſerabilem errorem, in imperium veſtrum conſpiraverant, prodeſſe perſeveratis; namque illo aſpirante tanta fuit armorum vis, tanta conſilii veſtri prudentia, tanta ſociarum civitatum fides, ut non conſpirantium modo impetus retuderit, & fatorum vim quandam evaſerit, ſed famæ quoque, ac gloriæ non modicum proventum fecerit.

Ex altera autem Rapicii Oratione locum illum exſcri-

ſcribemus, quo Pauli Zanchi obitus deſcribitur, Chriſtianus utique, ac maxime pius, ac proinde admodum aptus ad teſtandam non Oratoris tantum eloquentiam, ſed & diſſimilem prorſus in Religionis re Pauli Zanchi mentem a perfido transfuga Hieronymo Zancho:

Pervenerat jam ad annum vitæ quadrageſimum octavum, cum, ut erat pius, memor ſuſcepti olim voti, Deiparæ Virginis templum in Laureto poſitum viſere inſtituit: & cum id votum liberaliter ſolviſſet, non longo illinc itinere Romam venit, atque ibi aliquot diebus moratus, Petrum filium, quem ſecum adduxerat, apud Auguſtinum Triulcium Romanæ Eccleſiæ Cardinalem reliquit: ipſe per Hetruriam in patriam reverſus anni tempeſtate frigida, nivali, & ventoſo die, Apenini tranſitu, dum propter aſcendendi, & deſcendendi periculum, relicto equo, pedibus iter facere compellitur, labore inſueto, & laſſitudine confectus in febrim incidit; *illam quidem adeo tenuem*, ut Bononienſes medicos, quorum fidei ſe commiſerat, falleret, affirmarentque, nihil eſſe in morbo periculi. Verum is, ubi cœca illa ægritudine ſe paulatim tabeſcere, remedia, quæ adhiberentur, nihil prodeſſe, intelligit, convocatos ad ſe medicos orat, ut de ſumma valetudinis intrepide reſpondeant: oſtendit magni ſua intereſſe, primo quoque tempore intelligere, quid de ſe judicent; ſi quid ſpei ſit, nullis impendiis parcant; ſi deſperent, vellè ſe alacriter in Domino quieſcere Cum illi nihilo ſecius ſperare hominem juberent, ipſe vel conjecturis quibuſdam, vel (*quod magis credo*) interna aliqua inſpiratione admonitus, vitæ finem inſtare intelligeret, ſacerdotem acciri jubet, occultorum exhomologeſim quanta fieri poteſt diligentia conficit; cum ſacrificio interfuiſſet, non ſine maximis piæ mentis indiciis Chriſtianæ religionis viatico ſe inſtruxit. Tum vero lætiori jam vultu viſentes cœpit admittere, & ſalutantium dexteras arctius ſtringere: ſalutabant autem eum nobiliſſimi aliquot ſcholaſtici, & ex magna illa civitate optimus quiſque, ac doctiſſimus, quibus ille non tantum notus, ſed & chariſſimus erat. Ubi multos conve-

niſſe, atque aſtare jam triſtes videt, leni, ac docto ſermone hortatur: uti ne ſui gratia ullo mœrore ſe macerent; bono, atque hilari animo ſint, ſibi nihil mali contigiſſe, inſtare ſuum unicuique diem, nec quandiu, ſed quomodo unuſquiſque vixerit, referre: quam mortem homines appellant, non tam mortem eſſe, quam tranſitum ad aliud vitæ genus: neque tam formidabilem, quam expectandam: tum e ſacrarum litterarum teſtimoniis addit, parata eſſe his, qui bene vixerint, præmia: ſperare, ſibi quoque beneficio Jeſu Chriſti, quem ſemper religioſe coluiſſet, ad vitam, atque ad gloriam patere aditum: quod ad res domeſticas attineret, non defuturos liberis, qui eas adminiſtrarent. Dimiſſo eo cœtu, non ita multo poſt, vocat ad ſe Cæſarium Zanchum religioſum virum, & e ſuis, qui ibi erant, notiſſimum, & chariſſimum quemque, qui teſtamento intereſſent. Filios hæredes inſtituit: hæreditatis adminiſtrationem viris quibuſdam optimis, matrique, & uxori committit. Liberos agnatis, atque amicis omnibus commendat. Tum ad Julianum patruelem meum converſus: Scribe, inquit, ad Jovitam noſtrum, & Pauli morientis nomine Pamphilum, ac Julium illi commenda, ut qua fide, ac diligentia Marſilium, ac Petrum olim inſtituit, eadem hos quoque educet. Mox Petrum Brixianum, Juris Pontificii ſtudioſum, arcto ſibi affinitatis vinculo vinctum, ad quem diverterat, arctiſſime complexus: Ego, inquit, puer a patre deſtitutus, a parentibus tuis, Petre chariſſime, pene educatus ſum, & quidquid eram, eorum conſilio, opera, atque opibus debuiſſe me, ingenue profiteor. Et nunc ita res tulit, ut cujus vitæ initia apud parentes tuos egi, ejus apud te finem mihi videam imminere, ſimulque de tua, & fratrum tuorum benevolentia ſecurus mihi polliceor, fore, ut quod ego a majoribus veſtris accepi, id vos liberis meis exhibere non gravemini. Cui cum ille omnia liberaliter eſſet pollicitus, tum quaſi rebus omnibus jam compoſitis ſecurus, atque hilaris: Ungite me, inquit, ſacro oleo, ut vegetior proficiſcar, quo me revocat, qui huc me miſerat; mox ſacerdoti de ritu religionis ungenti, quidquid a miniſtro reſponderi ſolet, reſpondebat. Ipſe cum jam unctus eſſet, voce tum demum defecta, manus, oculoſque in cœlum ten-

tendens, aliquandiu in precantium geſtu, & magnum aliquid petentium perſtitit, ut illum, quamquam vocis miniſterio deſtitutum, animo tamen adhuc cum Deo loqui, omnes intelligerent. Tandem vero quaſi impetraſſet, quod petebat, manibus in pectus remiſſis, ſupremum ſpiritum adeo leniter emiſit, ut obdormiſſe omnibus videretur. Hic illi vitæ exitus fuit, ut qui claro loco natus honeſte vixerat, honeſtiſſimo fine vitam clauderet; & qui honeſtarum diſciplinarum toto ævo ſtudioſiſſimus fuerat, in ea urbe, quæ præcipua ſtudiorum mater exiſtimatur, inter ſtudioſorum hominum complexus ad vitæ metas perveniret.

Quatuor illos Pauli Zanchi filios ſuperius jam laudaverat Rapicius, & Petrum in primis ob Poemata, quæ compoſuerat, Venetæ, & Romanæ Urbis judicio comprobata. Petrus hic Canonicorum Regularium S. Auguſtini Sodalitio adſcriptus, Baſilii nomen accepit, quod præferunt Poematum ejus libri octo Baſileæ per Joannem Oporinum impreſſi an. 1555. In eorum fronte legitur ad ipſum Baſilium Petri Bembi Epiſtola, qua carminum præſtantiam primum extollit, deinde ſubdit: *Sed etiam gratulor, quod ad Poetices ſtudia (quæ quidem, poſtea quam Poemata tua ſub Petreii nomine ediſti, nunquam attigiſti) atque ad Muſas delicatiores illas tuas, tanquam poſtliminio rediens, læto ab illis vultu ſuſceptus fueris, nihilque tibi, tam diu ſpretas abs te fuiſſe, ſuccenſuerint.* Exſtat item inter Latinas Bembi Epiſtolas, una ad Joannem Chryſoſtomum, ſcilicet Panphilum, Baſilii fratrem, & Sodalem, in qua mentio eſt de quodam joco in Rhamnuſium, quem habuiſſe omnes partes urbaniſſimi, feſtiviſſimique ſalis, viguiſſeque non intermiſſum complures dies, Bembus teſtatur.

Orationem aliam Rapicii noſtri de Andreæ Griti

Vene-

Venetorum Principis laudibus, & egregiis in patriam, ac Chriſtianam Remp. meritis evulgarunt Veneti typi an. 1533. Andreæ Franciſco, magno Reip. Venetæ Cancellario, ab Auctore dicatam. In ea Principis ipſius laudes cum Brixianæ urbis commendatione his verbis conjunguntur:

Jam vero cui non illa animi excelſi magnitudo ſemper erit admirabilis? quod cum Patres decreviſſent, Brixiam dedere ſe cupientem, in fidem eſſe recipiendam, atque eo cum paucis equitibus proficiſci Andream ſtatim juberent, ille, etſi periculi magnitudinem videbat, quod & urbs ipſa valido præſidio tenebatur, & firmiſſimus hoſtium exercitus in propinquo erat, ea tamen, quæ Patribus honeſta, atque utilia viſa ſunt, non ſine evidenti ſuo periculo obeunda ſuſcepit, & rem quidem adeo ſtrenue geſſit, urbe, mira virtute, ingenio, ac celeritate, ſtatim recepta, ut hoc illius prudentiæ, ac fortitudini adſcribendum, dubitare nemo debeat; quæ vero mox ſecuta ſunt, divino potius conſilio tribuenda videantur; id, credo, agentibus diis, ut amiciſſimæ civitatis fidem jam inde a proavorum noſtrorum temporibus cognitam, & tolerata pro Veneta Rep. miſerabili fame, & longa obſidione teſtatam, noſtra quoque ætate horribilis illa captivitas, & effuſus late ſanguis ita ſanciret, ut omnis ventura poſteritas intelligeret, Brixianos pro Veneto Imperio non ſolum famis, atque obſidionis mala ſuſtinere, verum etiam, ubi uſus veniat, fortiter mori poſſe.

De Andrea in captivitatem abducto, & de reintegrato poſt illam ab Andrea Reip. imperio, hæc illico ſubjungit Rapicius:

Ac ne illa quidem in re cœleſtis providentia vel parum ſalubris fuit, vel occulta; quod ille in intimas Gallias ad Ludovicum Regem ductus eſt, ut eſſet, qui tam atrox, tamque formidoloſum bellum aliquando componeret, & irati Regis animos ad pacem flecteret. Tantum enim potuit apud magnanimum illum, & bellicoſum virum ea opinio, quam

ex

ex rerum geſtarum magnitudine de Andrea conceperat, ut quam in hoſte virtutem timuerat, eam ne in captivo quidem mirari deſiſteret, ac propoſitis honoribus, & præmiis in partes ſuas trahere hominem laboraret. Quod cum non impetraſſet, ac jam perpetuæ ſervitutis, & duriſſimi carceris ærumnas captivo minaretur, ne ſic quidem tantus ille Rex, & victor, & dominus, quod voluerat, eſt conſecutus, cum vir fortiſſimus ſubinde reſponderet, libertatem quidem, atque uſum lucis adimi ſibi poſſe, Patriæ caritatem extorqueri non poſſe, ac contra ipſum Regem admoneret, ut hominem ſe eſſe meminiſſet, neque inter illos ſucceſſus obliviſceretur, quod eſſet anceps eventus, & fortuna bellorum. Penetravit animum generoſum, ac plane regium, fortis, & boni viri tempeſtiva oratio, atque efficax illa eloquentia, & generoſa fortitudo, adeo & Regi grata, & Reip. opportuna contigit, ut is, ubi captivitatis mala paulo ante pertulerat, ibi jam Patrum decreto legati honore, non ſine magna Regis voluptate, fungeretur, & honeſtiſſimæ illius ſocietatis ineundæ interpres eſſet, quæ una tandem hoſtiles injurias repreſſit, & imminentium malorum tempeſtates procul avertit.

Demum comparatio, quam Rapicius inſtituit Andreæ Griti cum fortiſſimis Romæ, & Græciæ Ducibus, miram Rhetoris noſtri eloquentiam demonſtrat:

Quid cum ſua illum Patria jam tandem recepto imperio læta excepit? quæ admiratio? quæ voces omnium fuere? quibus ille adeo non eſt elatus, ut ultro etiam offenderetur, ac laudem illam, & gloriam totam ad Senatum redire deſideraret, & quaſi bonus athleta, peractis fortiter omnibus certaminibus, non tam ſe, quam patriam corona, & palma inſignem eſſe vellet. Quamobrem laudet jam, ut libet, cives ſuos facunda Attica; jactet Sparte bellicoſa; tollat in cœlum Roma Martia, dum hic unus optimo cuique eorum conferri mereatur. Quamvis enim illis imperii magnitudo tum plurium, tum majorum rerum gerendarum occaſionem præſtiterit, ubi tamen omnia diligenter excuſſeris, facile videas, alios, dum incautius pugnant, vel ſe ſe non

ram

tam fortes, quam audaces indicaſſe, vel in ipſo ætatis flore ſublatos, nihil præter luctum, ac lacrymas ſuis reliquiſſe; alios rebus præclare geſtis tantum ſibi apud ſuos invidiæ, atque odii peperiſſe, ut quarum civitatum aut fundamenta jecerant, aut mores compoſuerant, aut felicitatem auxerant, in his incolumes eſſe non poſſent. Teſtis Scyros exule Theſeo minor inſula; teſtis Capræ palus Romuli ſanguine infecta; teſtis Atticus, atque Argivus carcer, hic Philopœmenis, ille Miltiadis morte infamis; teſtis denique Linternum, & Ardea, hæc Camilli exilio, illud Aphricani ſepulchro nobile. Multi porro armis clari, in toga viluere: multi rurſus domeſticis laudibus inſignes, bello inutiles ſe præſtitere. Hujus autem virtus in tanta magnitudine, & diverſitate bellorum ita ſemper effulſit, ut non minorem ex adverſis, quam ex ſecundis rebus gloriam retulerit: tanta ſemper foris, tanta domi auctoritas, ut omnes & præſentem colerent, & abſentem deſiderarent. Proinde ſi cui forte libeat hunc Fabio illi Maximo conferre, multis rebus parem, multis ſuperiorem facile intelliget. Ille Annibalem mora fregit, hic Maximilianum: ille temerarios Minutii auſus, quoad licuit, repreſſit, hic fidos quidem, ſed Reip. noxios Liviani impetus, retardavit: ille periclitanti equitum Magiſtro opem tulit, hic clades aliena temeritate acceptas, ſua prudentia, & virtute, lenivit: ille Statilium ad hoſtes transfugere tentantem retinuit, hic Gallorum duces a fuga retraxit, hic Ludovicum eorundem Regem ad Reip. ſocietatem revocavit. Glorioſum ſibi Fabius exiſtimavit, quod Tarentum Salinatoris culpa amiſſum, recepiſſet; at quanto major hujus gloria? qui Veronam, qui Brixiam tum majores Tarento, tum munitiores recipiendo ſervavit; qui Patavium non modo recepit, ſed receptum toties ab hoſtili impetu, inſidiiſque defendit.

III. Funebri Orationi, cujuſcemodi a Rapicio habitam vidimus, ad artis normam componendæ, haud parum ſtudii Brixianos Rhetores contuliſſe, diſcimus ex binis libellis, quibus quamplures hujuſce generis Sermones

eoſ-

eoſque partim ex ſua, partim ex aliorum doctorum Virorum officina depromptos, in unum collegerunt Gregorius, & Benedictus Britannicus, Brixiani, ambo Ordinis Prædicatorum, ambo fratres Joannis a nobis frequenter etiam in prima parte hujus Operis memorati. Eos vero cum laude memorat Jacobus Echard inter Scriptores Ordin. Prædic. Tom. 1. pag. 893. & 894. at nec unum ab alio, nec collectionem a collectione valuit diſtinguere, quum libellos illos ad manus minime haberet. Judicium, quod de Benedicto profert, nimirum eum in Scripturæ, & Sanctorum Patrum, ſed & Philoſophorum, & Poetarum lectione verſatum eſſe, acceptum fert celebri Antonio Maſſouliè Magiſtri Ordinis ſocio, qui data Romæ ad Jacobum Echard Epiſtola teſtatus fuerat, ſe vidiſſe Benedicti Britannici librum typis editum, ſed abſque loco, anno, & nomine Typographi. Utrumque volumen in manibus mihi eſt, unde certiores ipſe notitias ſuppeditem. Benedicti illud ad calcem has profert notas, *Impreſſum Brixiæ ad honorem, & gratiam Altiſſimi Domini noſtri Jeſu Chriſti per Ludovicum, Vincentium, Benedictum, & Antonium fratres Britannicos die 24. Decemb.* 1507. & in fronte Epiſtolas binas, quas affero:

F. Benedictus Britannicus B. F. Damiano Britannico B. nepoti

S. P.

DIu, multumque mecum conſideranti, Nepos ſuaviſſime, quum peragrata jam quadriennio magna ex parte Italia, dum (ut par eſt) Antiſtitibus noſtris obtemperans ſum, in patriam remigrarem, quidnam potiſſimum deferrem, quod animum tuum oblectare poſſet, te enim neque aurum, neque argentum a me expectare, probe ſciebam, quippe qui

omnibus, quæ fortunæ dicuntur, bonis penitus abjectis, cultui tantum divino vacares; illud ſane libuit ad te deferendum, quo gratius nihil tibi, aut jucundius fore exiſtimabam. Ego, dum hoc temporis ſpatio a vobis abſum ſupra tres, & quinquaginta funebres diverſis in locis habui orationes ad amicorum neceſſariorum ægra pectora. Quas plane oratiunculas, & præcipue, quæ aliqua ex parte dignæ viſæ ſunt, ad te detulimus, tibique dicavimus, ut eas, quum otium tibi fuerit inſpicias, inſpiciendoque obſerves, an in iis aliquid inſit, quod tibi imitandum fuerit. Hoc unum ſcies, ſi hac in re ingenium deſiderandum fuit, ſtudium, induſtriamque non defuiſſe. Confido, te ex his laboribus noſtris, quod te plurimum delectet, habiturum. Illud a te peto, ut cum eas percurreris, me certiorem facias, quid de his ſentias; tuum enim omnibus in rebus plurimi facio judicium. Es enim ex eo patre natus Joanne Britannico, ut de te bene ſemper exiſtimandum ſit, cum bona ex arbore boni fœtus haberi ſoleant. Duo autem reſtant, quæ mihi a te, aliiſque laborum noſtrorum lectoribus, quibus hæc placuerint, petenda ſunt, alterum, ut, ſi quando hæc noſtra imitari volueritis, actione veſtra ornetis, ſemper id reminiſcentes Demoſthenis, præcipuum Oratoris munus eſſe pronunciationem, ſine qua omnis jacet, veluti elumbis, præclariſſima quæque oratio. Alterum, ut me ab obtrectatorum maledicentia, morſibuſque pientiſſime tueamini, qui tenebricoſum, hebes, & aridum prorſus a natura nacti ingenium, optimum quemque lancinant; licet hos Zoilos Democriti more excelſo ſemper animo flocci fecerim. Appoſite enim, & ſcite ajebat, eodem loco ſibi eſſe imperitorum voces, quo ventre redditos crepitus. Quid, inquit, mea refert, ſurſum iſti, an deorſum ſonent? Has itaque veluti teſtes amoris mei erga te ſummi, poſt gravia tua ſtudia, poſtque tuas muſices armonias, qua in re tanquam alter Arion, & Orpheus factus es, velim evolvas; confidens, te tui pertœſum laboris nequicquam fore. Vale, hoc tempore Juvenum decus.

F. Bene-

F. Benedictus Britannicus Brixienſis F. Nicolao Belammo Soncinenſi. S.

FRequenti, ac fere quotidiano rogatu ab me flagitaſti, lepide, & amantiſſime Nicolae, ederem in vulgum funericios Sermones, quos cum una alias ageremus, acceperam. En jam vel cum fœnore tibi nunc exhibeo; ſumma namque, & ſingularis mea in te pietas pati non potuit, quominus hac in re morem tibi gererem; quippe qui eſſes & mutuo amore, & aſſiduo de me præconio, & ingenuo quodam naturæ, morumque ſimulacro, inter reliquos amantiſſimus. Et quo cumulatius candidum tuum mulcere animum poſſes, adjeci eas Ciceronis moraliores ſententias, quas cognovi quotidiano in ſermone eſſe cuique & ornamento, & uſui. Id modo unum animadvertas, velim, me in ſermonum ſtructura, lingua prope vulgari ex induſtria uſum; nam patrium potius attendi eloquium, quam latinum. Quod ea ſane egi ratione, ut a quovis, vel primis vix litterarum rudimentis imbuto, facile, ac commode haberi poſſent. Noſtras igitur has nugas, quum otiabere, quandoque inviſe diligentius, memori tuo ſemper gerens ſub pectore Benedictum Britannicum tibi, tuiſque eſſe ubique gentium deditiſſimum. Vale.

In hac Benedicti collectione Sermones quinquaginta tres continentur, poſt quos ſequitur Epiſtola ipſius Benedicti ad Timotheum Acerbum Veronenſem, ubi dolet obitum fratris ſui Thomæ Oratoris ea tempeſtate clariſſimi, & hujus Thomæ ſubſequitur illico Oratio in funere Comitis Pandulphi Seratici, & alia in funere Matthæi Tuſcani Bononiæ Prætoris.

Longe copioſior, ac luculentior Gregorii Britannici libellus; nam & excellentiſſimorum Virorum, ut titulus præfert, Sermones funebres ornatiſſimos complectitur, & nuptiales etiam quamplures. Impreſſus eſt Venetiis per Petrum Bergomenſem an. 1505. & Paulo

Zane Brixiæ Epiſcopo nuncupatus, quem in primis laudat ex maxima librorum cujuſcumque doctrinæ ſupellectile, qua nihil pretioſius poſſideret.

En Gregorii Epiſtola:

Ad Reverendiſſimum in Chriſto Patrem, & D. D. Paulum Zane humanarum ovium Paſtorem, & divino afflatu Epiſcopum Brixianum benemeritum, Frater Gregorius Britannicus ſacri Ordinis Prædicatorum profeſſor S. P. D.

ETſi nulla unquam, Reverendiſſime Antiſtes, nec conſuetudo, nec familiaritas mihi tecum interceſſit, tum quia diſpar dignitatis conditio ab tuo omnium deſideratiſſimo me conſortio ſemovit, tum quia quo tempore tu te ad ſtudiorum matrem Patavium diſciplinarum gratia contuliſti, ipſi mihi agrum Picenum, aliaque pleraque loca longinqua colere contigit; incredibili tamen te ſemper proſequutus ſum amore. Nec immerito quidem. Tam multa enim de prudentia, humanitate, & virtute tua ubique prædicabantur, ut ad te amandum mirabiliter ſim accenſus, putaverimque nihil mihi glorioſius, honorificentiuſve comparatum iri poſſe, quam benevolentiam, & amicitiam tuam promereri. Nam, quod omnino ſingulari, & præcipua laude dignum eſt, in ea te omnis doctrinæ arce poſitum eſſe intellexi, ut quum te omnes, ob tuam ampliſſimam probitatem, mirum in modum venerentur, hac una te non ſolum civibus tuis, ſed externis præcipue ſis admirationi, hincque mirificus quidam undique amoris, & obſervantiæ conciliatus ſit tibi cumulus. Nec injuria quidem. Quis enim eum patrem non amet, ac colat, in quo ea adſint, quæ Plato ſapiens, & ſummus philoſophus optimo Præſidi vindicanda cenſuit? Ea enim es integritate, & juſtitia, eaque prudentia, & animi moderatione ſtipatus, ut univerſa civitas tua Brixiana, ſe ipſam quotidie ductu tuo felicem appellet, mirabilique benevolentia obſervet, ac colat. Nihil enim, Reverendiſſime Antiſtes, agis, quod non tecum ante diu, multumque ſis meditatus. Quicquid enim conſideras, quicquid dicis, quicquid agis, miram ſemper præſefert veritatem, & ſapien-

ſapientiam. Nihil namque a te fictum, nihil ſimulatum, nihil denique ineptum proficiſcitur. Illuc denique omnes animi tui cogitationes tendere conſpicuum eſt, ut oves tuæ, quarum curam geris, recto calle ducantur, eamque vivendi rationem teneant, quæ non minus probabilis ſit, quam ſalubris. Eas enim ad pabula virtutis, ut optimum decet paſtorem, non minus ſtudioſe, quam amanter, & ducis, & erigis. Qua quidem una re nihil in ſummo Præſule poteſt eſſe excellentius. Innocentiam autem, & abſtinentiam quantopere in te ipſo tuearis, qui ignoret, eſt nemo. Quæ omnia quum in te eſſe, univerſi & ſciant, & prædicent, factum eſt, ut incredibili quadam benevolentia, atque inſigni amore ego quoque te proſequar, eoque magis, quia præter cætera ornamenta ea es doctrina, atque eloquentia, quæ mirabiles de ſe poſſit amores concitare. Habes ea omnia, quæ Pontifici optimo, & ſapientiſſimo conveniant. Quum igitur omnium virtutum cumulo ſis circumſeptus, nihil ſane reſtat quare non omnibus ſis admirationi. Illud certe affirmare poſſum, quod ad laudem tuam pertineat, tantam tibi cujuſcunque doctrinæ librorum eſſe ſupellectilem comparatam, in qua omnis tua ætas conquieſcat, ut iſto tuo Pontificatu, nihil pretioſius poſſideas. Sed quum ad eam ornandam quotidie ſtudium tuum conferas, putavi, pro mea in te ſingulari obſervantia, quodcunque ingeniolo noſtro ſuperioribus temporibus eſſet elucubratum, id omne eſſe conferendum. Itaque quum forte nonnulla Epithalamia, quæ mihi, quum inter ſæculares agerem, ab Joannis Britannici diſciplina exciderant, aliaſque Orationes in defunctos haberem, quas in Religione conſcripſeram, multique a me flagitarent, ut in lucem omnia ederem, putavi tam honeſtæ petitioni nullo modo refragandum. Fieri enim poſſe exiſtimabam, ut iis, qui in his ſtudiis minus ſunt exercitati, aliqua ex parte poſſent prodeſſe. Cæterum quum animadverterem, fieri non poſſe, quin virtus ſemper invidiæ ſit obnoxia, nec obtrectatorum facile morſus vitari licere, putavi aliquem mihi, tanquam Patronum, & defenſorem parandum, cujus præſidio, & auctoritate omnia mihi in tuto poſita eſſent. Tu igitur, Reverendiſſime Antiſtes, ſolus inter ampliſſimos hujuſce Civita-

vitatis noſtræ Viros occurriſti, cui cum ob ſingularem humanitatem tuam, tum ob egregiam morum probitatem, Opuſculum meum dicandum cenſui. Munus igitur noſtrum accipies ea animi benignitate, qua a nobis mittitur. Itaque a te petimus, ut aliquando, quum per occupationes liceat, totum, quicquid eſt, legas. Confido enim fore, ut quod per te comprobatum fuerit, latrantium morſus minime formidet. Vale, Reverendiſſime Epiſcope, & fratrem Gregorium Britannicum amplitudinis tuæ ſtudioſiſſimum ama plurimum. Vale iterum. Ex Æde Divi Floriani quartodecimo Kalendas Aprilis 1495.

Ædes Divi Floriani, ubi data eſt ea Epiſtola, ea tempeſtate Cœnobium erat Fratrum Ordinis Prædicatorum; eoque ipſo tempore pariter in Cœnobio Brixienſi illius Ordinis ſcripſiſſe Thomam de Vio ſua in libros Analyticorum poſteriorum Ariſtotelis Commentaria, comperimus, nam ad eorum calcem teſtatur ipſemet, ſe Opus illud conſummaſſe in Conventu Brixienſi, Anno Chriſtianæ ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſexto, die ſacratiſſimæ Nativitatis Domini.

Paulum Zane Epiſcopum Brixienſem magnopere probaſſe Gregorii Britannici diligentiam, conſtat ex literis mox recitandis, in quibus præterea Joannis Britannici, ſub cujus diſciplina Gregorius, inter Sæculares (ut ipſe loquitur) adhuc agens, Sermones illos elaboraverat, ſatis honorifica injicitur mentio ob Perſium, & Statium jam ab eo illuſtratos, & ob Commentaria, quæ in diem expectabantur, in Juvenalem, & Ovidium.

Paulus Zane Epiſc. Brixiæ Fratri Gregorio Britannico S. P. D.

PErlectis ſuaviſſimis litteris tuis, dilecte F. Gregori, quas ad me nudius tertius dediſti, adeo ſum mirifice delectatus, ut haud unquam in legendis epiſtolis potuerim edepol affici gaudio majore. Nam quanto me proſequaris animo, quan-

quanta me tua amplectaris integerrima humanitate, quanta me demum afficias benignitate, tum tuis de me ampliſſimis laudibus, tum tuo munere non vulgari elegantiſſime ſignificaſti. Nihil enim antea verebar, quin me, meumque honorem multifaceres; verum modo nedum non poſſum dubitare, ſed ne extimeſcere quidem, quum non apud te tanti ſit omnis laus, omnis gloria, & decus, & ornamentum, atque omnis amplitudo mea, ut mage divelli a voluntate tua difficilius crediderim, quam ab meo judicio laudum incrementa exiſtimari. Proinde quum nonnunquam Phalaridem legerim in nullos quicquam præteriiſſe, qui de ſe bene eſſent promeriti, quin & glorioſe, & ex tempore ſtudiorum, muſarumque ſeſe amatorem profiteretur, maxime vero in eo actu, quo Steſichorum poetam ſui inimiciſſimum, pro reverentia Muſarum non ſolum non enecavit, non cæſum dedit, non extorrem fecit, ſed multis etiam muneribus donavit, prætereaque liberalitatem præſetulit ſemper, atque alias: eo autem præcipue, quum non ab quocunque munera voluit accipere, ſed quia a ſe minus acciperent, ſæpe conqueſtus eſt. Ab eo mihi ſummæ magnificentiæ, & ſingularis humanitatis exemplum præſtari intellexi, ut pleniſſimas tibi pro merito tuo, immortaleſque agerem gratias, atque haberem, qui me dignum feceris tanti donatione laboris. Opus mihi quidem peculiare eſt, & gratum, & perjucundum. Suaviſſimum autem erit, ac magis oblectabile, mi dilecte frater Gregori, ſi operam navaveris, ut accuratiſſime, diligentiſſime, atque examuſſim imprimatur; ne impreſſorum neglectu, ac imperitia, quod ſæpe evenire ſolet verborum ſtilus præpoſteretur, ſententiarum ordo depravetur, Operiſve dignitas labefactetur. Ego autem Opificem ſummum obteſtor, atque ſupplex exoro, ut quod officium boni viri ſuadet, omnes, qui litterarum ſtudio oblectantur, quos alta facinorum faſtigia demulcent, quos etiam diſciplinarum, virtutumque ſuavitates oblectant, hoc Opuſculum perjucundum tanti pendant, æſtiment, honorent, ac ſuis in Bibliothecis conſcribant, ut quum in manibus nihil hoc habeant præſtantius, hoc vel ſupremo haud deſerere laborent, quod excellentiſſimorum ſeſe Virorum frugalitatibus compararint, illuſtri-

luſtribuſque, ac laudatiſſimis mortalibus contulerint. Tu igitur, frater Gregori, cura ut quam primum impreſſoribus hoc immortale Opus commendetur, ne incuria unius multorum utilitas impediatur, & teſtimonium amplexandæ virtutis multitudine modicum, ſed æterna commendatione dignum diutius occultent. Quantum autem debeat huic domui Britannicæ iſta mortalitas, quæ tum Joannis fratris tui interpretationibus tam in Perſium poetam quam difficilimum, quam in Statii Achilleidos ſatis illuſtrata eſt, egregiaque in dies expectat commentaria in Juvenalem, Ovidiumque Metamorphoſeos, tum reliquorum fratrum ornamentis, qui ſeſe ſtudent cæteris præſtare ſuis venuſtiſſimis moribus animantibus, meis ſermonibus difficile panderem. Sed ſi in illis ipſis connumerandis orationem protraxero, quæ mea excedunt dicendi facultatem, vereor, ne lectoribus meis tædium iniiciam. Ad te vero poſtremo recurro mihi omnium mortalium amiciſſimum, qui quum me ſatis ornaveris, ſtudueriſque ampliſſimis laudibus inſignire, præſtantiſſimis titulis decorare, ſummiſque tuis conatibus extollere, ego autem minus meruerim, gratias quantas poſſum & ago, & habeo; nec puto, modo fata ſinant, inter viventes tui unquam poſſe obliviſci. Tu interea vale, & me, ut cœpiſti, obſerva, jubar lucidiſſimum domus Britannicæ. Ex Epiſcopatu noſtro Brixiano duodecimo Kal Aprilis 1495.

Ut autem ex eo Gregorii libello brevia aliqua excerpta more noſtro proferamus, omiſſis Orationibus, quas Collector vulgares appellat, inter literales occurrit primo loco funebris Sermo in Carolum Malateſtam, Piſauri Dominum, habitus ad Pandulphum ejus fratrem, in quo Caroli geſta, magna ex parte ad Brixianæ urbis hiſtoriam ſpectantia, his verbis deſcribuntur.

AGe dum libeat Caroli fratris vitam, reſque cum domi, tum etiam militiæ geſtas, brevi recenſere, atque ab ineunte ejus ætate ordiri. Adoleſcentem audio, ſub patruo ſuo Pandulpho Fanenſium rege, duceque armipotentiſſimo primum militaſſe; ſecundumque diutius apud Brixiam urbem

bem in Gallia citeriore & claram, & præpotentem, rebus bellicis exercitatum per id temporis, cum maxime ad repellendum Ducem Mediolanenſium Veneti nitebantur. In eo bello Caroli junioris virtus, nec dum etiam pubeſcentis, præter omnes enituit. Itaque quum non adoleſcentis, ſed fortiſſimi cujuſque, dexterrimique ductoris operam abunde navaſſet, a patruo multis, ac multis pretioſiſſimis muneribus donatus, atque honeſtatus eſt; donec tandem victus Pandulphus amiſſa Brixia Fanum rediens, otio ſeſe, & rebus urbanis jam tum ſenex immerſit. Carolus ad Malateſtam genitorem revertitur. In altera vero juventutis ſuæ militia, Carolus quantum laudis, ac gloriæ adeptus fuerit apud Philippum Mariam Mediolanenſium Ducem, tyrannorum omnium noſtri temporis maximum, atque fortunatiſſimum in eo bello, quod adverſus Venetos gerebatur, id ego nequaquam ſilentio prætermittendum cenſui. Ad quod cum a genitore Malateſta miſſus eſſet, paulo poſt quam in caſtra venit, univerſo exercitui, qui permaximus erat, præfectus eſt, atque omnium imperator declaratus. Quo tempore & Nicolaus ille Picininus, cæterorum, ſine ulla controverſia, noſtri temporis Dux in re militari præſtantiſſimus, & Franciſcus Sforſia Vicecomes, hic ipſe Piceni moderator, & cæteri permulti clari, fortiſſimique ductores in eadem militia verſabantur. Neque per id quidem ætatis non pedites, non tyrones, non velites, non rorarii, non centuriones, non tumultuarii quidam milites, non commilitones, ſed plurimarum, atque fortiſſimarum legionum duces aderant. Apud hos omnes ars ejus ſemper, conſilium, ſcientia, virtus atque animi magnitudo, mirandum in modum comprobata. Is autem ſplendor, ac decus nemini adhuc ex principibus urbium contigit, niſi Carolo Juniori, qui Malateſtam familiam tam claro titulo decoravit. Tertiam autem ejus militiam, & recentem, & ultimam, quæ ſibi adverſus quoſdam, illoſque perpaucos urbis veſtræ proditores fuit, non niſi invitus reminiſcor. In eo enim bello tetro, atque ſceleſtiſſimo, quod ſuperioribus annis ad evellendam funditus Malateſtarum Piſaurenſium ſtirpem Eugenius Pontifex Maximus geſſit, cum vos a ſedibus propriis, urbe veſtra Piſau-

ro pellere minitatur, tu quidem optimis auſpiciis fretus ad pulchrum, ac nobile municipium Gradariam vobis in omni re dubia ſemper fidum contendiſti, Galeatius Urbinum, ad Forum Sempronii Carolus ſeſe recepit. Ibi nequaquam in otio per ſocordiam tempora terere, aut metu perculſus cedere, neque ſomno, deliciiſque torpeſcere paſſus eſt. Qui potius juventutem illam ſuapte natura bellorum avidam primum ad muniendam urbem excitat, commeatus undique comportari jubet, Arcem firmat, excubias accurate locis quibuſcumque diſponit, ſuos iter muniendum docet adverſus nefarios quoſdam, teterrimoſque proditores, bellum fore pro Patria, pro libertate, pro conjugibus, pro liberis (nam plures ex hac urbe ſecum aufugerant) itemque pro parentibus, aris, ſociis, templis, denque pro bonorum omnium ſalute pugnandum. His igitur ſumma cum celeritate, ſtudioque diſpoſitis, tempus idoneum nactus juventute Semproniana, cohortibuſque perpaucis comitantibus in agrum Piſaurenſem erumpit. Caſtella quædam partim in deditionem accipit, partim expugnat, partim obſidet. Sed mox Carolus a Joanne Vitellio Picentum proprætore (bonorum omnium jugulator erat) vi repellitur, ad arceſque Sempronianas detruditur. Nihilo tamen minus ad urbem Piſaurum crebas excurſiones parat, ipſeque nonnunquam primus in agmen deſcendens, agros depopulabatur, hoſtes intra mœnia repellebat, urbique, & proditoribus ſupplicia, cædes, incendia minitabatur. Utrinque pugnatur acerrime, pellitur, ceditur, vincitur, oppugnatur. Res erat in ſummo diſcrimine. Quid plura? Libenter iſta præterimus, arte, prudentia, calliditate, induſtria, cura, vigiliis, opere, labore, ſudore Caroli paucis poſt temporibus & urbis, & Vitellii proprætoris vires attritæ ſunt: ita ut populus inedia periens, atque egeſtate coarctatus, auctoribus proditionis trucidatis, Carolum ipſum cum ingenti omnium plauſu, lætitiaque in ſedes proprias revocavit. Hæc, hæc fuit illa felix militia, in quam fortiter pro communi ſalute pugnat Carolus noctes, ac dies, omnem aeris intemperiem, ventorum etiam aſperitates, æſtus, frigora, nives, imbres, famem, ſitim, vigilias, omneſque exilii caſus, & rei militaris difficul-

cultates tolerando; nimirum ægrotationis illius ſuæ cauſas, imo vero mortis exhauſit, egregios illos, præſtantiſſimoſque Romanos imitatus, Horatium Coclitem dico, Scevolam, Curtium, ac Decios, qui ipſi forti animo pro Republica ſua mortem obierunt. Hac igitur triplici militia exercitatus Carolus, vita exceſſit cum ſummo rerum bene geſtarum ſplendore, ac gloria.

De Brixia a Pandulfo Malateſta poſt Franciſci Carrarienſis dominatum occupata, ac poſtea amiſſa, deque ea ipſa a Philippo Duce Mediolani recepta, & demum huic a Venetis erepta, plura habent Capreolus, & alii hujus temporis Hiſtorici, inter quos B. Platina Hiſtor. Mantuan. lib. 5. cauſas aperit, cur bello illi Brixienſi Philippus Dux Malateſtam Piſaurienſem præficiendum cenſuerit, nimirum quo cæteri Duces humiliori loco nati, inter quos certe magna erat de principatu contentio, huic, inſigni familia orto, parere, facilius animum inducerent; cum ut Mantuanum Principem, cui Paula, Caroli ſoror, nupſerat, a Venetis alienaret. Narrat idem Hiſtoricus, in eo bello ab eo Mantuæ Principe Carolum captum fuiſſe, & incolumem ob affinitarem dimiſſum. Rhetor autem noſter, cujus Sermonem referimus, ex conſueto in panegyricis Orationibus artificio, & nullum habet de eo Caroli infortunio verbum, & Carolum affirmat, Picinino, Sfortiæ, cæteriſque clariſſimis Ducibus, qui ad Brixiam eo tempore pro Philippo militabant, ex militaris artis præſtantia dignum fuiſſe, qui anteponeretur. De bello Eugenii Papæ in Picænos, qua poſtrema militia Carolus exceſſit e vita, nec non de Joanne Vitellio Corniculano, cujus vires Carolus attrivit, plura pariter apud eoſdem Hiſtoricos.

Orationem illam in Carolum Malateſtam alia mox ſubſequitur in Conſtantiam Piſaurenſium Dominam ad Alexandrum Sfortiam ejus conjugem, quam non a felici tantum principatus adminiſtratione collaudat, ſed etiam ab eximia divinarum, humanarumque literarum peritia, adeo ut & quotidianas diſputationes haberet, & Orationes, & Epiſtolas componeret, multoſque verſus tum diſpares, tum heroicos ſuaviſſimos, atque elegantiſſimos ſcriberet ad ipſum Alexandrum. Hunc ab ipſa Conſtantia Piſaurenſibus datum fuiſſe Principem, dum Rhetor noſter affirmat, id ita accipiendum eſt, ut Hiſtoricis illis minime refragetur, quorum auctoritate conſtat, Galeatium Malateſtam Piſauri, ac Foroſempronii Dominum, jam ætate gravem, & liberis carentem maribus, Piſaurum Franciſco *Sfortiæ* vendidiſſe viginti aureum nummum millibus in pretium acceptis, ea quidem lege, ut ejus Urbis imperium Alexandro traderetur, cui nuper nupſerat Conſtantia Galeatii ipſius neptis, nata ex filia Eliſabeth Gentilis Camertis uxore.

Præcipuas Conſtantiæ laudes his verbis Orator noſter proſequitur:

Annus decimus nonus circumagitur, cum ſenior ille Malateſta noſter, Urbis non dicam hujus, ſed Italiæ potius univerſæ parens quidem, ac moderator, mortem obiit; quo ipſo regnante, ut ſcitis, ætas nimirum fuiſſe aurea, & Saturnus apud nos alter imperium geſſiſſe viſus eſt. Poſt cujus mortem (o fortuna nobis invida!) malis paucorum conſiliis, omnis de improviſo bene regnandi, ac ſerviendi modus periit, quibus etiam auctoribus, hujuſcemodi ſegetes, quæ jam quatuor annos proximos in agris natæ ſunt noſtris, meſſuimus. Deinde Carolus junior, cujus & conſilio, & virtute

re regnum nobis, aut potius reſpublica quædam optima reſtituta erat, mox adverſa correptus valetudine, quam belligerando contraxerat, naturæ conceſſit. Non multo poſt ejus frater Pandulfus Archiepiſcopus Patrianus, præſtanti ſane ingenio, atque incomparabili ſapientia rex, vita etiam exceſſit. Quibus extinctis, bellum hoc finitimum, quod pene civile, atqne inteſtinum appellare poſſumus, cum hoſte acerrimo coortum, & urbem, & caſtella circumadjacentia, & agros, opes denique noſtras omnes ita diſturbavit, ſolvit, attrivit, ut quamvis jam quaſi defeſſi eſſemus, noſmetipſos tamen integros, atque recentes adverſanti fortunæ objectaremus. Aderat enim, aderat Conſtantia illa noſtra imperatrix prudentiſſima, mulierum omnium noſtri temporis decus revera, ſtipes conſtans regni hujus, & ſolidiſſimum patriæ ſuæ firmamentum. Aderat, atque adeſt una ſecum domi tum denique militiæ dux intrepidus, heroſque præſtantiſſimus Alexander Sfortia, quem illa regem nobis Piſaurienſibus, & fama, & virtute, & ſapientia ſua pluſquam humana conquiſiverat, advocaverat, introduxerat, pepererat, ante oculos coram locaverat. Quibus ita imperitantibus cives primi, atque infimi agricolæ, uxores, liberi, templa, domus, denique fortunæ omnes noſtræ beatiſſimæ fore cenſebantur. Quibus iterum ſuperſtitibus bella hæc ſæviſſima jam magna ex parte ſublata eſſe videbantur, proximeque dici poterant extinguenda. Jam fere omnis inundatio, procella, fremitus, ardor bellicus, increpuerat, & quodammodo præ lætitia mœnia ipſa univerſa reſpirabant, cum ſubito, neſcio qua Deorum inclementia, ex terris, ex hoc littore Adriatico, ex patria, ex urbe hac pulchierrima, ex ædibus, ex templis, ex foro, ex concione, ex affatu omnium mutuo, ex manibus, ab oculis, ex viſceribus erepta eſt nobis Conſtantia Italiæ ſplendor, mulierumque ſine ulla dubitatione princeps, ac regina, domus ſuæ jam labentis firmamentum, clypeus adverſus omnem fortunæ impetum, noſter campus, navis, portus, propugnaculum, arx, tutiſſimumque perfugium. Quis enim, vivente illa, motus, aut ſeditio pullulare, aut ſi pullulaſſet, quodammodo adoleſcere, aut ſi adoleviſſet, quibus tamen incommodis obeſſe civibus

vibus potuiſſet, cum videremus vim quamdam illius menti, ſpiritumque divinitus infuſum ad omnia maxima de ſe præſtanda? Quam enim mulierem mihi dabit, tum natura duce, tum ſtudio, atque induſtria tam facilem ad bene dicendum, quæ ſive præmonita, ſive de improviſo loqueretur, ſive poeticis, ſive oratoriis, ſive philoſophicis, ſive humanis, ſeu tandem divinis de rebus quæreretur, non ipſa didiciſſe, quæ diceret, ſed compoſuiſſe potius videbatur? Quotidie inerat manibus Seneca, Cicero, Livius, Saluſtius, ac Divus in primis Hieronymus, Aurelius Auguſtinus, Gregorius, Ambroſius, atque Lactantius, cæterique, qui de Latina lingua latius tractarunt, verſabantur. Quantum vero proſa, tum præcipue metro eſſet admiranda, id quidem non conjectura, ſeu quotidianis diſputationibus aſſequi licebit, ſed epiſtolis, orationibuſque permultis, ac denique verſibus, tum diſparibus, tum heroicis, ad regem ſuum Alexandrum ſummo artificio, cultu, ſuavitate, nitore, atque elegantia ſcriptis, procul apparet. Quam ſane provinciam, decuſque unice ſibimet ætate noſtra vendicaverat, *in qua ne dicam* fœminas prope nullas, ſed neque etiam viros ſatis multos videmus, qui literis, niſi maxime utilibus (ut ajunt) indulgeant, ac ſi quid præſtare invenientur, odio ſunt omnibus; denique ſi quis datur honos, is quidem jejunus, ac tenuiſſimus dari conſuevit. At vero, quanquam hæc litterarum cognitio (in mulieribus vix apparens) permagnum ſibi ut viventi tulit, ſic denique mortuæ decus allatura eſt; alia tamen, atque alia ſunt longe magis admiranda, quæ ſibi longiorem quamdam perpetuitatem afferunt. Fides quidem illa eſt, & charitas in maritum Alexandrum ſingularis, quæ veluti gemma quædam ſplendidiſſima, floſque unus omnium ſpecioſiſſimus relucet in uxore, in quo certe neque Andromachæ in ſuum Hectorem cedebat Conſtantia, non Penelope in Uliſſem, non Laudomiæ in Protheſilaum, non Panthiæ in Fuſium, non Arthemiſiæ in Mitridatem, neque Caſſandræ in Cyrum, non denique, ut in Italiam redeamus, Juliæ in Pompejum, aut Portiæ in Brutum, perpetuis uxoriæ rei luminibus, impar, aut ulla ex parte inferior unquam viſa eſt. Quo fit, Alexander præclariſſime, ut quoties illius prę-

præſentiam, effigiem, mores lautiſſimos, pudicitiam, humanitatem, atque ipſam revera Conſtantiam, virtuteſque ingentes ad memoriam revocaveris, neſciam ipſe, quis Poeta, quis Orator, quis te demum Philoſophus ab alto quodam gemitu, planctuque continere poſſit, aut ſciat; ac non potius tecum ingemiſcat, inclamitet, torqueatur, expalleat, maceretur, menſes, dies, noctes, horaſque diffundendis lacrymis impartiatur. Jam vero quanta foret in omnes, etiam infimos, facilitate, ac miſericordia, quod munus ſicuti maximum dicitur in Principe, ita etiam hac tempeſtate rarum eſſe conſuevit, tota civitas Piſaurenſis teſtabitur; in qua nemo eſt, qui unquam, niſi gaudens, beneque ab illa perſuaſus diſceſſerit. Neque enim Titi optimi Romanorum Imperatoris, quamdiu vixit, inſtitutum neſcire videbatur, qui ſæpe apud ſuos dicere conſueverat, regem bonum decere, nunquam eos, quibus imperat, auditos abs ſe male contentos dimittere. Iſque cum forte fortuna interdiu audiendis civibus abſtinuiſſet, in ſe tandem reſpiciens, amicis diem perditum eſſe querebatur. Itaque moriens, antequam ex hac vita nec dum quadragenarius emigraret, dixiſſe illud fertur, nihil unquam ſeſe, cujus pœnitentiam merito ſubire poſſet, præter unum effeciſſe, quod tamen inde non prodidit. Hac igitur via degens Conſtantia, quam ſibi ab teneris mater Eliſabeth Camerinorum Regina ſummo ingenio, ac ſapientia mulier, atque gubernandi laudibus præter omnes ætatis noſtræ præſtantiſſima &c.

Tertius, inter literales illos, Sermo auctorem ſuum præfert, ſcilicet Thomam Acerbum Veronenſem, habituſque fuit ad Brixianos in funere Joannis Britannici, Equitis aurati. Satis erit primas ejus lineas afferre:

Sumam igitur tantam dicendi provinciam in tanta clariſſimorum Virorum frequentia, quamvis ſit mihi exiguum ingenium, ac ferme ad dicendum præ temporis anguſtia imparatum. Heſterna ſolum die ad hæc dicenda invitatus fui, & monitus; veſtra tamen, Viri Brixiani, fretus humanitate primum de præclara familia, deinde de moribus, de virtutibus, de divinis Britannici geſtis dicturus accedo. Si

fami-

familiæ, qua Britannicus noſter eſt natus, ſi nobilitatem, quæ jam prope in vetuſtatem radices agit, ſi gentis titulos, & armis, & litteris claros recenſere voluero, non ſervabo animi mei inſtitutum, & fortaſſis tracta in longum oratio, & importuna vobis erit, & moleſta. Taceo igitur viros ex familia inſignes, Joannem, Angelum, Jacobumque ſupra ducentos ſexaginta annos a Federico Imperatore Comites creatos; recenſebo ſolum ſuperiorem Britannicum, poſteroſque brevi ordine, virum corporis viribus, ingenio, conſilio, belli gerendi peritia clariſſimum. Hic namque (uti literarum monumentis proditum eſt) poſt multas, & quidem prudenter, ſtrenue, glorioſe adminiſtratas pugnas pro rebus veſtris, Viri Brixiani, pro vobis civibus ſuis, pro hujus Reip. noſtræ ſalute, & incolumitate annos octo & viginti natus, mortem oppetiit eo bello, quod ferme poſtremum hæc civitas geſſit. O Juvenem dignum profecto illo clamore, & laudibus Demoſthenis, quibus in Arthemiſio, in Marathone, & in Salamine defunctos pro patria commendavit! Hic Britannicus ab illo inclyto viro N. eſt genitus, qui pro ſuis bene meritis, atque egregia ab illuſtriſſimo Domino N. aurata militia donatus fuit; cujus cæteras laudes omitto, quia me urget tempus, & dicendi locus, ut deſcendam ad Antonium digniſſimum Virum, tot clariſſimorum adoleſcentium parentem, quos inter vos pullatos ſedere intueor, quos & honorandi, & conſolandi cauſa in tam frequenti Senatu conveniſtis, de quo idcirco prius habenda eſt mentio, quia prius ex humanis rebus, quam genitor per immaturam mortem ſublatus eſt. Sane Joannes Britannicus, facillimiſque, atque ſumme ingenuis moribus natus &c.

Alterius Britannici, Antonii ſcilicet Doctoris, ac Philoſophi præſtantiſſimi, laudes proſequitur ſubſequens Sermo quartus a Fr. Gregorio Britannico compoſitus. Præfatur Gregorius, munus illud Antonii ornandi vindicare ſibi debuiſſe doctiſſimum Joannem Britannicum, utpote magna dicendi copia, & exercitationis vi prædituum, niſi chariſſimi velut patris, ac ſuaviſſi-

mi

mi præceptoris morte lacrymæ id illum facere vetuiſſent. Quæ ſpectant ad Antonii profectionem ad Concilium Conſtantienſe, præſtitamque in eo Joanni Pontifici operam, nec non ad Legationem ad Principes, a quibus pro obſeſſo Byzantio magnam pecuniæ ſummam collegit, ac demum ad eximiam ejuſdem doctrinam, ab Oratore noſtro ita deſcribuntur:

Quum Summus Pontifex Conſtantiam ire conſtituiſſet, nonnulloſque ſummæ auctoritatis Viros, & ſapientiæ, atque erga hanc noſtram Religionem inſigni quadam pietate affectos ſibi delegiſſet, Antonium primo habere conſtituit, qui in hanc laudatiſſimam rem, neceſſariumque negotium, ita omnem curam, ſtudium, diligentiamque contulit, ut neque vim ullam, neque inſidias, neque metus perſpicere, nec ſenectutis ſuæ incommoda, aut labores exiſtimare videretur. Quocirca hujus tamdiu agitatæ, diviſæ, laceratæque Religionis noſtræ divino prope affectu permotus, Pontificibus Maximis, qui ipſius gravitatem, prudentiam, ac vitam tanquam cœleſte oraculum venerabantur, Concilii ſententias, quantum in ſe fuit, ſuſcipiendas fore, ſuadere conatus eſt. Et, ut cæterorum bonorum judiciis adhæreret, omnem itineris longitudinem, frigora, hyemes, viarum aſperitates, atque mortem, ſi opus eſſet, perferre inſtituit. Quæ cum, ut cogitarat, perfecta fuiſſent, inveteratos Græcorum errores ad Romanam Religionem ſua opera, ac diligentia deduxit. Quo quidem officio omni laude, atque honore digniſſimo quid majus fieri, aut divinius excogitari poterat? Quam coronam, quas ſtatuas huic viro, cui nullus honos, niſi debitus, nulla gratia, niſi digniſſima reddi poterat, homines, ſi in vita diutius fuiſſet, ſtatuiſſent? Ipſæ medius fidius non ſolum urbes, ſed ipſi prope dicam agri, colles, etſi non pares, maximos certe honores Antonio decreviſſent. Sed cum præter ſuam opinionem, atque omnium bonorum judicium communem omnium libertatem defectam videret, & ad unius voluntatem redacta omnia, tandemque Pontificem ſuum ad fugam redactum, aſſiduis febribus obſeſſus eſt, paucoſque poſt

dies dolore magis urgente, tandem exceſſit e vita, immo ſi diligenter attendere, ac vere judicare volueramus, ad eam acceſſit vitam, ad quam majores noſtri ſuos illuſtres Viros aſcendiſſe arbitrabantur &c.

Quanta fide, quanta integritate rationis pecuniam ex Europa exactam, quam totam pene luſtravit, quum ex Byzantii obſidione legatus ad ipſius Principes miſſus eſſet, Imperatori ſuo deſignavit! Qui Principes cum belli neceſſitate adducti, tum maxime dignitate, ſapientia, & auctoritate nominis moti, magnam auri partem contulerunt. Qua in legatione Antonii Britannici ſapientiam, atque fidem admirati, maximis ſæpe præmiis, eum ipſum apud ſe habere, conati ſunt, ut ſuis in rebus gerendis, conſiliiſque capiundis tanti Viri prudentia, dulciſſimaque hominis familiaritate uterentur &c.

O ſors hominum ignara, inſtabiliſque fortuna! quam repente ea congratulatio, cupiditas, ac voluptas, quas tui jucundi reditus expectatio paulo ante tuis omnibus afferebat, ad lacrymas conciderunt! quæ nos invitant ad luctus, noſtroſque mœrores duplicant; & in primis chariſſimi neceſſarii tui Viri ornatiſſimi, atque illa tua nobiliſſima familia digniſſimi Joannis Britannici lacrymæ movent, quæ certe me plurimum ad dicendum impediunt. Cui quid infelicius accidere, aut acerbius inferri poterat, minime ſcio. Hic eſt, qui generis tui dignitatem, ſtudia, honores, cæteraque patriciæ familiæ tuæ ornamenta lacerata, peneque extincta, non modo clara ſobole, ſed optimarum artium diſciplina, quas abs te olim didicerat, favente Deo, reficiet. Sed omittamus nunc de Joanne dicere, cujus humanitas, ſcientia incredibilis, virtus, ac ſapientia alios ſibi locos vindicare poterunt; & ad id noſtra redeat Oratio, quod ſuperius dicendum erat, cum Antonii ſtudium, & induſtriam commemorarem, cujus ingenium ego ipſe, qui nihil de eo majus, aut mirabilius iis, quæ antea audieram, afferri poſſe credebam, ſæpius, ac vehementer admiratus ſum. Nam cum jam grandis eſſet, nullius præceptoris auxilio noſtras perdidicit litteras; ſibi oneri viſum eſt, cum tot annis Philoſophiæ ſtudiis vacaſſet, ad puerilia litterarum elementa reverti, unde commoda,

atque

atque otium aſpernari, ſomnum, ac voluptates omnes rejicere, totumque id temporis, quod ad res ſuas familiares obeundas, & ad ipſam corporis requiem dari oportebat, omne in hanc noſtram ſcientiam perdiſcendam contulit, in qua paulo poſt tantum profecit, ut doctiſſimis, litteratiſque Viris noſtris eum æquare Latini minime dubitaverint. Quod haud noſtrarum ſolum illuſtrandarum cauſa, quas clariſſimis Philoſophis, eloquentiſſimis Oratoribus, ſummiſque bonarum Artium Doctoribus refertas audierat; verum ad ſuam & propagandam, & conſervandam ſcientiam feciſſe videtur. Nam Græcos oculis veſtrum adhuc ita patere video, ut nunc vere credere incipiatis, Græcos homines omnium quondam ſcientiarum, omnium inventores, præceptores, magiſtros fuiſſe, quum Antonii veſtri vitam perſpicitis, qui omnibus in rebus ita irreprehenſus vixit, ut bene, beateque vivendi cunctis ſe ſpeculum exhibuerit &c.

Ille ipſe Joannes Britannicus, quem vetuerunt lacrymæ, ne funebrem Orationem in Antonium Britannicum haberet, eo pietatis officio functus fuiſſe comperitur in obitu Nicolai Duodo, magni Brixiæ Præfecti, Orationem habens, quæ jam jam memoratam, in noſtro libello ſubſequitur. Exordium hujuſmodi eſt:

Cupienti mihi, magnifice Prætor, voſque ampliſſimi Patres Brixiani, acerbiſſimum, luctuoſiſſimumque mœrorem, quem ex obitu Nicolai Duodo, hujuſce noſtræ urbis Præfecti optimi concepiſtis, aliqua ex parte levare, duo quidem occurrunt, quæ nobis ſane non moleſta eſſe non poſſunt: alterum, quod ea me non eſſe eruditione intelligo, qui eam poſſim vobis afferre conſolationem, qua unumquemque veſtrum maxime egere cognoſco; alterum, quod videam, mihi tam parvum temporis ſpatium ad cogitandum eſſe datum, ut & expectationi veſtræ, & voluntati meæ haudquaquam ſatisfacere poſſim. Tam multa enim præclara erant, tamque magnifica, egregia laude extollenda, quæ de hominis vita pariter, & moribus dicenda erant, ut incredibili dolore non affici non queam, eo me dicendi campo coarctari, ut effuſis

habenis, ut vos fortaſſe & cupiebatis, & ego volebam, vagari non liceat. Accedit præterea hoc, quod tanta animi perturbatione conſternor, ut ego non minus in tanto luctu conſolandus ſim, quam vos, quos conſolaturus accedo. Itaque, magnifice Prætor, voſque ornatiſſimi Patres Brixiani, faciam, ut potero, operamque dabo, ut quibus in hac mea animi moleſtia, remediis utor, his etiam vos, ſi aptioribus non licuerit, uti mecum una poſſitis. In tanti, taliſque Viri obitu ingentem eſſe noſtram jacturam non negabo. Is enim nobis morte ſublatus eſt, quo & majorum gloria, & ſua ipſius virtute alium neminem, neque excellentiorem, neque innocentiorem noſtra fortaſſe novit ætas. Si itaque ea, quæ ad familiæ ſuæ ſplendorem pertineant, intueri voluerimus, & perſpicere, ea eſſe ortum familia intelligemus, cujus, atque ipſius plurima beneficia in Remp. Venetam tum conſervandam, tum etiam augendam exſtitere. Ex tribus enim fratribus, Thoma, Arſenio, Leone, quos & præclaros Viros, veluti tria Reipublicæ ſuſtentacula peperit domus Duoda, patrem habuit Arſenium Virum illum, quem ætas ſua omni honore honeſtatum vidit; Senatorii enim Ordinis cum eſſet, totius Senatus conſenſu Conſtantinopolis Rector, & Magiſtratus, Bajulus quem vocant, creatus eſt; quem quidem Magiſtratum ea animi integritate rexiſſe fertur, & moderatus, ut in Patriam reverſus, Venetiarum illico Conſiliarius ſit delignatus. Qua in dignitate quam ſcite, quamque ſincere ſe geſſerit, illud indicio eſt, quod ſequenti anno Decemvirorum caput, quod ajunt, creatus eſt. Quæ dignitas quam ſevera, quamque omnibus formidoloſa ſit, & terribilis, nemo eſt veſtrum, qui non cognoſcat. Omitto autem, quod ætate juniore Triremium Præfectus fuerit, quibus Jonium, Egeum, & omnia denique maria ab hoſtibus, & Pyratarum incurſione tueretur. Quæ omnium dignitatum genera, velut hæreditaria, reliqui duo Fratres Thomas, & Leo ſunt aſſecuti. Thomam enim ſcimus claſſis maritimæ Imperatorem fuiſſe, ex qua re tantum laudis, & gloriæ reportavit, ut & terreſtris exercitus Gubernator, Senatus decreto, conſtitutus, cujus vigiliis, conſilio, & animi prudentia hoſtes ſæpe fuſi, fugatique ſunt. Leonem Patruum alte-

alterum, etſi ego taceam, cuncta noſtra civitas novit Prætorem ſuum. Quem Magiſtratum quanta victoria, & animi innocentia adminiſtraverit, cum unuſquiſque veſtrum intelligat, non eſt neceſſarium commorare.

Sequitur Oratio in funere Caroli Zeni, quæ auctoris nomen non præfert, at eum certo conſtat, eſſe Leonardum Juſtinianum; nam ea ipſa hujuſcemodi nomine inſignita legitur in fronte voluminis, Orationes, & Epiſtolas tam Bernardi, quam Leonardi Juſtiniani complectentis, iiſdemque typis editi, quibus Veneta Hiſtoria ipſius Bernardi, ſcilicet Venetiis an. 1492. per Bernardinum Benalium evulgata, ac proinde cum eo ipſo Hiſtoriæ volumine plerumque in unum compacti. Eam ipſam ex manuſcripto Codice Patavino deſumptam Mediolanenſes Socii Palatini publicarunt in T. XIX. Scriptt. Rer. *Italic.* una cum Caroli Zeni Vita ab Jacobo Epiſcopo Patavino ejus nepote conſcripta. Hanc Georgium Alexandrinum laudaſſe in Præfatione Plautinæ ſuæ Editionis ipſi Jacobo Zeno nuncupatæ, jam vidimus de ea Plauti Editione agentes in primæ hujus Speciminis partis exordio. Funebrem autem illam Orationem in laudato volumine reperiri tam Socii Palatini, quam docti illi Viri, quibus illius exemplum acceptum referunt iidem Socii, oportet ignoraſſe. Certe in Præfatione ad illam Caroli Zeni Vitam ſi minime diſſimulandum viſum fuit, Orationem illam funebrem jam editam fuiſſe a Clariſſimis Benedictinis Martene, & Durand Tom. 3. Collect. Veter. Script. pag. 743. nec diſſimulandum videbatur, quoties volumen illud Præfationis auctori compertum fuiſſet, eam ipſam exſtare in eo pariter; ſatis quidem raro, at maxime digno doctorum

ctorum Virorum notitia, nam insignes prorsus sunt Justiniani utriusque, patris scilicet, & filii, quæ in eo continentur, Orationes, & Epistolæ. Collector noster funebrem illam Orationem magni faciens, ut æquum erat, eam in suo libello repræsentavit, cum aliquibus tamen laciniis, quas curiosis in eo libello legendas relinquimus, contenti hic adnotare in una ex illis de præclara Caroli Zeni doctrina hæc legi: *Qualis in rerum divinarum cognitione fuerit, quam Metaphysicem Græci appellant, Vir gravissimus, sacrarumque literarum princeps maximus, Joannes Fabrianus testis est, qui cum Carolo quatuor, & viginti quæstiones solvendas posuisset, nullo per id temporis studio præcedente, nullis tunc perlectis Codicibus, divina quasi sententia, ac gravitate discussit, nec absque maxima peritissimorum hominum astantium admiratione, ac laude. Eloquentiam vero ejus admirari magis, quam laudare cogor, Viri doctissimi, cujus dicendi, ac scribendi vim, ex his, quæ apud nos scripta exstant, percipimus, & in ea maxime utriusque Romæ laudatione, quam literis Græcis editam Imperatori misit.*

Hæc, inquam, de Zeni doctrina in Britannici libello, quæ in aliis ejus Orationis exemplaribus desiderantur. At tam in eo libello, quam in illis exemplaribus, in postrema Orationis parte mentio fit Antonii Massani, divinarum artium eruditissimi, & Guarini Græcæ, ac Latinæ linguæ peritissimi, quos studiose, & humane complexus fuisse dicitur Carolus Zenus. In Caroli vero Vita non horum aliquis, sed Gabriel Spoletanus, Emmanuel Chrysolora, Petrus Vergerius, Petrusque Thomasius memorantur, quorum alloquiis, & familiari consortio Ca-

ro-

rolus ſit uſus, poſtquam jam ſenex, totum literis ſe dedit.

Unum addimus in Vitis a Marino Sanuto Italice ſcriptis Ducum Venetorum, & e manuſcripto Codice Eſtenſi primum editis Script. Rer. Italic. Tom. XXII. funebrem illam Orationem Bernardo Juſtiniano filio, non Leonardo patri, falſo tribui ejus Tomi pag. 921. In obitu quidem Franciſci Foſcari Ducis Orationem habuit Bernardus filius, quæ & ipſa exſtat in laudato illo volumine, exſtantque ibidem ipſius Bernardi Epiſtolæ nonnullæ ad Jacobum Zenum, quarum una fidem facit inter Carolum Zenum, & Leonardum Juſtinianum veterem interceſſiſſe neceſſitudinem, quam in juniores utriuſque familiæ hereditario jure transfuſam, caſtiſſime ab ipſis ſervari, & poſteris etiam immortali jure commendari oportere, ſcribit Bernardus.

Hactenus de *funebribus* Orationibus *in* eo *libello* contentis; quin nec adeo diu immorari iiſdem placuiſſet, niſi & Britannicos noſtros valde ob eam Collectionem laudaſſent Maſſouliè, & Echard, & niſi Brixiana ea Collectio, eruditis parum, aut nihil comperta, hiſtoricas quaſdam notitias haud contemnendas, ut allegata excerpta monſtrarunt, ſuppeditaret. De nuptialibus, quæ ibidem ſubſequuntur, id tantum moneo, primam ex ipſis Joannem Britannicum, alteram vero Chriſtophorum Barziziam, auctores præferre, reliquas ab ipſo Britannico, ut credere par eſt, compoſitas fuiſſe.

Rhetoricum in componenda Oratione nuptiali artificium expoſuit (Pauſaniam tamen pro Halicarnaſeo laudans) Becichemus Cent. Epiſt. Quæſt. cap. 95. ad Marinum Georgium, cui ſe maxime obſtrictum fa-

tetur

tetur, quod ipſe, aliique cives ſui, & amici, ejus præſidio in albo Patavinorum Profeſſorum deſcripti, omnes eundem ſuum experiantur Mecænatem. Præclariſſimum alium ipſius Becichemi Mecænatem, de quo etiam aliqua diximus in priore hujus Speciminis parte, exhibet caput, quod in ea Centuria illico ſubſequitur, Hieronymum nimirum Donatum. Quare dum Petrus Bembus non adeo bene de Becichemo ſenſiſſe videtur ex Epiſtola, quam ſuperius allegavimus, in mentem venit, Scholæ Becichemi infrequentiam, de qua in ea Epiſtola Bembus conqueritur, non exiguæ Profeſſoris illius doctrinæ, ſed ingraveſcenti ætati (nam paucis menſibus poſt Bembi Epiſtolam illam Becichemus jam ſenex deceſſit) æquius eſſe adſcribendam. Munus ab Hieronymo Donato ſibi impoſitum, filium ejus inſtituendi, his verbis extollit Becichemus: *Profecto nec præſentes, nec poſteri audebunt me & modeſtiſſimum, & eruditiſſimum diffiteri; qui Hieronymi Donati judicio delectus, ejus filiolum inſtituerim, veram patris imaginem, illius, inquam, quem ſuſpicit Apollo, colunt muſæ, venerantur gratiæ; qui in omni literarum genere, quibus (ut Philoſophi utar lingua) animus fit diviniſſimus, unus omnium excellit, & in eloquentiæ ſtudiis ita regnat, ut, perinde atque verus Rex, parem, aut ſuperiorem agnoſcat neminem.* Pluribus adhuc in ea Epiſtola Becichemus ſe effundit in laudes Donati. Curam autem ſuam in ejus filio educando his verbis pollicetur: *Puer tuus ad me, quum placuerit, veniat. Parentem animi hic inveniet; quoad potero, & licebit, a latere meo nunquam diſcedet, ut non modo dicendi, ſed & bene vivendi magiſtrum me ha-*

habeat, nec minus exemplo auctus, quam doctrina imbutus, prudens efficiatur, & doctus. Una cum pignoribus meis ſtabit, leget, ambulabit, diſcet, comedet, bibet, dormiet, laxabit animum, recreabitur, me præſente hæc, & omnia, ut caveat intemperantiam. Brixiæ Profeſſorem agebat Becichemus, dum eam Epiſtolam ſcripſit, ut patet ex poſtremis his verbis: *Vale, ſpes mea, Patrone mi, vale, ſalveque a Prætore noſtro Andrea Lauretano, qui te diligit, utque ſignantius loquar, valde amat, & a te mutuo amari dignus eſt, Vir integerrimus, & qui ſe in hac adminiſtrationis mole ita gerit, ut nulla domus tanto conſilio, tantaque diſciplina gubernetur, aut tam modeſta, & quieta ſit, quam Urbs hæc, & Brixiana tota regio.*

Quæ de ingraveſcente Becichemi ætate ſuperius conjectabam, Becichemus ipſe confirmat in Epiſtola ad Franciſcum Donatum Prætorem Patavinum duplici ipſius Becichemi Orationi præmiſſa, gratulatoriæ ſcilicet nomine Patavinæ Academiæ ad Venetorum Principem Andream Grittum, & funebri in Joannem Petrum Stellam, magnum Venetiarum Cancellarium; in ea enim Epiſtola data an. 1523. de ætate ſua ad otium deflexa, & quietis avida, & inſuper de quorundam adverſus ſe maledicentia hæc habet ad ipſum Donatum: *Nam ecce tibi Joannis Petri Stellæ mors, res acerba, literis Senatus nunciatur, quibus & mandatur, uti me publico nomine horteris, ad ejus laudes in funere celebrandas, Venetias evolem. Qui quamvis ſim conſtitutus in ætate ad otium deflexa, & quietis avida, parere tamen cum periculo, & vitæ, & exiſtimationis malui, quam clationis, aut contumaciæ calumniam ſubire, quum præ-*

ſertim ab ſceleſtiſſimis invidorum agminibus obſideamur, & inſtet bellum a maledicis, idque periculoſum propter corrupta ætatis noſtræ judicia. Acceſſi, Deoque Opt. Max. adjutore, aleam feliciter jeci in tumultuaria illa, ne dicam extemporali, concione, quam priori adjunctam actioni, ad te Mecœnatem noſtrum, & præcipuum doctorum omnium patronum dedimus die illo inſigni, quo Vir rariſſimus, Nicolaus Aurelius noſter, Marci illius filius, res jucunda, in Stellæ demortui locum majoribus Comitiis meritiſſimo ſucceſſit.

IV. Quamvis quamplures, præter ſuperius recenſitas, nobis ſe offerant, funebres, nuptiales, gratulatoriæ, panegyricæ, & aliæ ad demonſtrativum genus pertinentes Orationes, a Brixianis Rhetoribus concinnatæ; ne tamen in præſenti tractatione plus æquo longiores ſimus, eas omnes omittentes, ad Joannem Marium Matium accedimus, cui ut locus debeatur inter Brixianos Oratoriæ Facultatis Profeſſores, faciunt Adnotationum, & Opinionum ejus in varios Auctores Latinos, Græcoſque libri, quos ad manus habemus. Floruit Matius noſter in Alexandrina Statielenſi Academia circiter medietatem Sæc. XVI. & plures vitæ ſuæ annos inter Hieronymi Gallarati Epiſcopi illius Urbis familiares ſe tranſegiſſe, teſtatur ipſemet in Laudatione funebri in eundem, quam Hieronymo Confalonerio Abbati nuncupavit; & in Epiſtola Nuncupatoria ſuarum Adnotationum ad Cæſarem Gambaram Epiſcopum Dertonenſem diſerte affirmat, ſe Alexandriam Hieronymi Gallarati accerſitu demigraſſe, *non quod* (inquit) *feliciſſimam patriam noſtram mihi juſtiſſimis, & publicis,*

&

& privatis de cauſis cariſſimam Statielenſibus poſtponerem, ſed vel invitabat genius loci, ubi antea fuiſſem, & quem ſemper amavi, vel rationes meæ viſæ ſunt ita poſtulare. In ea Epiſtola laudes Cæſaris Gambaræ ſibi ſolitum fuiſſe narrare, ſcribit Matius, communem civem Nicolaum Siccum, Virum clariſſimum, quo cum ſumma ſibi fuerat, & jucunda familiaritas ex communibus ſtudiis ſuſcepta. De hoc Nicolao paulo infra dicendum erit, ſcilicet inter Poetas.

Adnotationum illarum caput ſecundum, in quo Matius noſter probare contendit libros Rhetoricorum ad Herennium non eſſe Cornificii, cauſam præbuit celebri controverſiæ inter ipſum, & Antonium Riccobonum. Hic quum nihil certius exiſtimaret, quam Rhetorica ad Herennium non Ciceronis eſſe, ſed Cornificii, ſuam a Matio diſſenſionem literis conſignavit, adverſum quam protulit Matius brevem Defenſionem, Octaviano Giliino, Patritio Alexandrino, diſcipulo ſuo dicatam, cui hæc ſcribit in Epiſtola:

Joannes Marius Matius perinluſtri J. U. C. Octaviano Giliino Patritio Alexandrino S. P. D.

AGitur circiter vix annus, perinluſtris, & excellens Giliine, cum editus eſt Ticini liber Adnotationum mearum, in quarum ſecundo capite rationibus adlatis demonſtrabamus, eos, qui ex Fabio Quintiliano conarentur probare, auctorem Rhetoricorum ad Herennium Cornificium eſſe, ejuſdem Fabii teſtimoniis ad mutandam ſententiam jure compelli poſſe. Cumque orta aliis de rebus controverſia inter Carolum Sigonium, & Antonium Riccobonum viderem, in ſuis ſcriptis probationes illas meas ab Riccobono homine docto tentari, non (ut mihi certo perſuadeo) ullo lædendi mei ſtudio, ſed quod rationes cauſæ, cui inſervit,

ſic poſtulare judicet, neminem putavi fore, qui factum meum ſit damnaturus, ſi ego quoque cauſam ſemel ſuſceptam, & quam probem, atque opinionem priſtinam defendam ea moderatione, quam a natura acceptam moribus alui ſtudioſe per totam ætatem ſemper, & colui. Et ſane ſi alterum tueri glorioſum eſt, ſibi adeſſe cuiquam vitio dabitur? Di mentem iſtam hoſtibus. Nec mea ſcripta de me ita male merita ſunt, ut fœtus meos habere caros non debeam. Mihi igitur hic adfui, negotium proprium, non alienum acturus. Quamquam ſi a Carolo Sigonio ſtem, agam cauſam amiciſſimi hominis: quem & vivum meritiſſimo, atque mutuo dilexi, & mortuum memoria colam ſempiterna. Committere etiam negligendo non debui, ut hæc inveterata de Cornificio opinio mihi noceat. Quod certe contingeret, ſi tacitus rem tranſirem; homines enim paulo remiſſiore cura Riccoboni ſcripta legentes, nullo contradicente, rationes ibi apud eum lectas probarent, ſilentiumque noſtrum in conſcientiam ducerent, & bona cauſa deſerta, exiſtimaretur mala. Reſpondeo igitur, & ad ea, quæ *ſunt in Adnotatione mea pridem* edita, quæ hic quoque deſcribitur, addo nonnullas alias rationes, in quibus ſi pro priſtina opinione propugno, oppugnare quemquam videri non debeo: tametſi dum adjumenta mea confirmo, neceſſitas cauſæ coegit, infirmare aliena.

Hanc eandem quæſtionem diſcuſſerat Bartholomæus Theanius Brixienſis, ut ſcribit Joannes Planerius ejus conterraneus in Patriæ ſuæ Deſcriptione ſuperius allegata, affirmatque præterea, illum Brixiæ inter Rhetoricæ, Poeticæque artis Profeſſores primum locum id temporis ſibi vindicaſſe. In Epiſtola vero ad ipſum Theanium data an. 1558. Planerius certiorem eum reddens moræ, quam ſuperiore anno fecerat Viennæ, Auſtriæ Metropolis, ſuorumque alloquiorum cum Viennenſis Gymnaſii Profeſſoribus, hæc ſubdit ad Epiſtolæ calcem: *Aderant & qui humaniores profitebantur literas, oran-*

tes

res & ipsi, ut suo te nomine salutarem, & quæ de Rhetorica ad Herennium scripsisti, ad edendum excitarem; nam de illa tam apud veteres, quam neotericos, magna est controversia, Ciceronis ne sit, vel Cornificii, an alterius. Scio enim, te multis rationibus probasse, Ciceronem illam scripsisse, cujus opinionis fuit & D. Hieronymus, fuit & Becichemus neotericus, quamvis Cœlius noster, & Sabellicus suis in Epistolis aliter senserint. Brixianorum Professorum, Matii scilicet, & Theanii, qui opinionem non amplectetur, si tanquam fatuam etiam reprobaret, sciat ipse, doctissimos Averanum, & Gibertum ambiguos nuperrime hæsisse in ea controversia. In Centuria Epistolica Becichemi a Planerio memorati exstant ejus Castigationes in libros ad Herennium a cap. 31. ad cap. 38. ad Franciscum Bragadenum, & Dominicum Contarenum Brixiæ Prætores, *quorum unus* (ait Becich. in cap. 31.) *omnium doctrinarum peritia cedit nemini, alter ita disciplinas omnes, ita doctores amplexatur, ut nemini priorum Regum, quorum munificentia Musis, & Apollini admirationi fuit, postponendus sit.*

V. Observationes Marii Nizolii Brixellensis in M. T. Ciceronem, ad Oratoriam utique disciplinam spectantes, Brixiana sibi vindicat literatura, non ea quidem de causa, quod Marius ille in Veneta anni 1576. earum Observationum Editione inscribatur *Brixiensis*, quod perperam positum non diffitemur, sed ob Brixianum solum, in quo primum lucem aspexerunt, scilicet apud Pratum Albuini an. 1535. idque insignibus prorsus auspiciis Brixianis, nimirum Jo. Francisci Gambaræ, & Matthæi Advocati. Hic pecuniam omnem in

illius

illius Operis editionem liberaliſſime ſuppeditavit; ille per tredecim jam annos Nizolium hoſpitio acceperat, hujuſque literas, & ſtudia omnibus rebus fovere, & excitare nunquam deſtiterat. Eximiam non ipſius Joannis Franciſci tantum, ſed totius domus Gambaræ munificentiam celebrat Nizolius in Nuncupatoria ad illum Epiſtola, & præterea religionem, pietatem, morum ſuavitatem, cæteraſque virtutes, at has omnes cum aliis principibus Viris communes eidem affirmans, ipſi Joanni Franciſco tanquam proprium tribuit ſcientiæ, ac ſapientiæ ſtudium; quippe qui & doctiſſimos quoſque utriuſque linguæ Scriptores frequenter legeret, & Ciceronis lectione quam maxime delectaretur, quin & ejus dicendi genus ſane quam feliciter adumbraret. Patent hæc omnia ex ea Epiſtola Nuncupatoria, quam jam jam recitabo, poſtquam ſcilicet Lectorem monuero, in Annalibus Typographicis mentionem nullam fieri conſpicuæ hujus Editionis.

Marius Nizolius Brixellenſis Joanni Franciſco Gambara S. D. P.

IN omni munere largiendo, & omnino in omni officio tribuendo, cum multa alia conſideranda arbitror, Joannes Franciſce Gambara, tum in primis duo, primum, ut ei largiamur, cui plurimam gratiam debeamus, deinde ei, qui eo munere quam digniſſimus eſſe videatur. Sic enim & officii ipſius ratio poſtulat, & ita traditum eſt ab iis, qui hac de re præcepta nobis reliquerunt. Quamobrem cum abſolviſſem has Obſervationes meas in M. Tullium Ciceronem, ac de eis, ut mos eſt, dicandis mecum cogitarem, tu mihi primus omnium ſtatim occurriſti, qui hoc muneris, quale id cunque eſſet, tibi quaſi ſuo jure vindicares. Nam quanquam poſſim multos commemorare, quibus plurimum debeo, & in iis præcipue clariſſimum, & ampliſſimum Virum, eun-

eundemque Juris civilis longe peritiſſimum, Matthæum Advocatum, & ejus filium Camillum adoleſcentem, omni corporis, animique virtute ornatiſſimum, qui me antea multis ſibi, & magnis de cauſis maxime obligatum, nunc etiam obligarunt magis, cum in editionem hujus Operis omnem pecuniam mihi liberaliſſime ſuppeditarunt: tamen & ipſi, qua ſunt modeſtia, & cæteri omnes facile patientur, ut me tibi, pluſquam ſibi, devinctum eſſe confitear. Tu enim primum hoſpitio me accepiſti, quo jam tertium, & decimum annum honeſtiſſime utor, tu tenuitatem meam liberalitate tua ſemper ſuſtentaſti, tu litteras, & ſtudia mea nunquam fovere, & excitare deſtitiſti, tu me omnibus rebus aſſidue, pro ut facultates tuæ tulerunt, & auxiſti, & ornaſti. Quid multa? niſi tu fuiſſes, ego plane nihil eſſem: quare non ſolum mea omnia, ſed me ipſum prorſus tibi me debere fateor. Neque vero, cum me tibi tam devinctum eſſe intelligam, tu non hoc munere quam digniſſimus mihi videris, quem cum multis aliis nominibus jure laudandum, atque ab omnibus ſuſpiciendum arbitror, tum vero maxime hac de cauſa, quod miro quodam litterarum, atque omnium bonarum artium ſtudio incenſus es, & cum non ſolum Latine, ſed etiam Græce luculenter ſcias, attamen in dies ſingulos & plura diſcere, & doctior evadere conaris. Nam eximia liberalitas, & magnificentia, qua non modo tu, ſed tota domus Gambara in primis commendatur, prætereaque religio, pietas, morum ſuavitas, cæteræque virtutes ita in te enitent, ut cum multis aliis principibus Viris, & paribus tuis tibi ſint communes, at vero tantum ſcientiæ, ac ſapientiæ ſtudium omnino cum pauciſſimis. Non enim, ut Neoptolemus ille Ennianus, paucis tibi philoſophandum putas, ſed ut Cato ille ſapiens dicitur etiam in Curia, dum Senatus cogeretur, lectitare ſolitus, & hanc ob cauſam Helluo librorum appellatus: ſic tu, cum per familiares occupationes licet, nunquam intermittis ſtudia doctrinæ, & cum doctiſſimos quoſque utriuſque linguæ Scriptores frequenter legas, tamen unius Ciceronis lectione potiſſimum delectaris, & ejus dicendi genus ſane quam feliciter adumbras. Quamobrem has Obſervationes ex omnibus Ciceronis Operibus col-

collectas, & ad eloquentiam adipiſcendam, ut nos arbitramur, maxime utiles, ac neceſſarias tibi, & Ciceronis, & eloquentiæ ſtudioſiſſimo, potiſſimum convenire ſumus arbitrati; & eo magis, quod eas ab hinc annos novem (ut ſcis) tua cohortatione, & impulſu quaſi coacti elaborandas ſuſcepimus, tum deinceps reliquis annis opibus, & liberalitate tua ſuſtentati maximis laboribus, vigiliiſque jam tandem ad exitum perduximus. Ad extremum vero etiam juſſu tuo curavimus, ut ad Pratum Albuini, atque in ædibus tuis imprimerentur (utendum enim eſt verbo novo in re nova) atque ita ad communem ſtudioſorum omnium uſum in lucem ederentur. Quibus omnibus de cauſis has ipſas jure optimo tibi dicamus, & nomini tuo conſecramus, teque earum conſtituimus tanquam patronum, & tutorem, ut id ipſum etiam in nominis tui præſidio a malevolentiſſimis invidorum obtrectationibus tutum appareat. Nam ſunt plurimi hoc tempore, qui non ſolum nobis, laboribuſque noſtris, ſed etiam ipſi (ſi Diis placet) Ciceroni graviter obtrectant, editis neſcio quibus Ciceronianis, & Ciceronibus relegatis. Quibus omnibus equidem hic reſpondere, & eorum ridicula objecta refutare decreveram, ſed aliis occupationibus diſtrictus, rem hanc in aliud tempus differre coactus ſum. Quare dum nos hoc faciamus, tuæ interim partes ſunt, ut & obtrectatoribus iſtis fortiter reſiſtas, & nos, Ciceronemque ſimul defendas, ac tuearis: quamquam Cicero ipſe per ſe ita defenſus eſt, ut nullis cujuſque maledictis tanti Viri auctoritas diminui poſſit. In quo ego obſervando ſi & tibi, & cæteris, qui tantopere genus hoc lucubrationis cupere videbantur, ſatisfeci, gaudeo, vehementerque lætor; ſin minus, graviter doleo, & me minus potuiſſe, quam voluerim, & te non tantum aſſecutum eſſe, quantum ſperaveris. Quam autem hoc totum, quantum idcunque eſt, quod præſtitimus, ad eloquentiam comparandam & utile, & neceſſarium ſit, non mihi hic arbitror pluribus explicandum; nemo enim eſt, niſi plane rudis, & imperitus, quin ſciat ad bene Latine loquendum, ſcribendumque quantum habeat virium, ac momenti non ſolum verborum vere Latinorum, ſed etiam rerum, ac ſententiarum copioſiſſima, atque elegantiſſima ſupellex, qua-

qualem nos ex M. Tullio Cicerone, hoc eſt ex ipſo eloquentiæ parente & tibi, & cæteris bene dicendi ſtudioſis in hiſce Obſervationibus ſuppeditaſſe arbitramur. Quare jam fidenti animo perge, incumbere in iſtud ſtudium, in quo es, & ad eloquentiæ principatum toto animo, ut facis, atque omni ſtudio contende. Vale.

Ciceronis obtrectatores, de quibus Nizolius, utique ea tempeſtate non deerant, unde magnæ inter eruditos ortæ ſunt turbæ, ut Eraſmi, Aleandri, Scaligeri, & Doleti Scripta teſtantur; eæque adeo exarſerunt, ut Eraſmus ad Franciſcum Molinum ita ſcribere non dubitaverit: *Exorta eſt nova Secta Ciceronianorum, quæ non minus incruduit, quam Lutheranorum, vetus quidem, ſed per Longolium innovata*. Peculiares adverſarios habuit ipſe Theſaurus Ciceronianus Nizolii, inter quos Henricus Stephanus in ſuo Pſeudo-Cicerone, & in Nizoliodidaſcalo, eundem reprehendens, quod inemendatis Ciceronis Editionibus uſus, multa Cicerone indigna in ſuo Theſauro receperit. Equidem Nizolius ipſe adeo non exiſtimavit, ſe ſupremam manum Theſauro ſuo adjeciſſe, ut contra poſt primam illam Editionem accuratius Ciceronis volumina legens, Opus ſuum valde locupletaverit pluribus additamentis, ex quibus una cum aliis a doctiſſimorum Virorum ſtudio ſuppeditatis locupletiorem poſtea Editionem procuravit Venetiis an. 1596. Michael Nizolius ipſius Marii nepos, dedicavitque Duci Octavio Farneſio, cui maxime devinctos Nizolios profitetur, patruum quidem, quod ab eo Parmam evocatus fuerit ad munus juventutis publicis literarum ſtudiis excolendæ, nepotem vero, quod ab eodem Caſtri Popilii in agro Parmenſi munificen-

tiſſime ſibi delatam recepiſſet. Paulus Manutius, ſe magni feciſſe Nizolii Theſaurum, binis ad eum Epiſtolis teſtatur. Ejuſdem cum laude meminit Planerius in literis ad Theanium, fatetur tamen Nizolium, hominem ſibi amiciſſimum, minime in eo Opere aſſecutum fuiſſe, quod voluit; *Aulicæ* (inquit) *conſuetudines, continuæque inter ipſum, & Majoragium Inſubrem rixæ, & altercationes diſtraxere hominem a politioribus, candidioribuſque ſtudiis*. Rixati ſunt inter ſe Majoragius, & Nizolius potiſſimum de vera philoſophandi ratione, &, quod ſpectat ad Theſaurum, Nizolio plagii crimen intendit, contentionis utique æſtu abreptus, Majoragius, perinde ac ſi Chriſtophori Longolii Opus pro ſuo ediderit.

VI. Ciceroniano Nizolii Theſauro non abs re erit, Theſaurum Nicolai Perotti Archiepiſcopi Sipontini, ad parandam verborum copiam conflatum, hoc loco adjungere. Inſcribitur liber hic Cornucopia, ſeu Latinæ linguæ Commentarii; idque jure optimo, in iis enim Perottus, ut ſcribit Ludovicus Odaxius Patavinus in Epiſtola Nuncupatoria ad Guidum Urbini Ducem, quamvis Valerium Martialem interpretandum deſumpſerit, univerſam Grammatices rationem varie, concinne, luculenterque complectitur; quod ipſum monuerat Pyrrhus Perotti nepos in Epiſtola ad Federicum Urbini Ducem poſt illam Odaxii in quibuſdam Cornucopiæ Editionibus præmiſſa, librum hunc optimarum in omni genere rerum, ac reconditarum Theſaurum appellans, unde propterea Rhetores quoque haurire poſſent, quæ pertinent ad proprietatem, & elegantiam linguæ Latinæ.

Quid

Quid autem Brixianis debeat Perotti Cornucopia, declarant carmina quædam illius Operis fronti præfixa in Veneta Editione an. 1490. per Baptiſtam de Tortis. In iis tam Marcellus Philoxenus, quam L. Ponticus Tarviſanus, & Daniel Cajetanus, Antonii Moreti Brixiani in eo Opere primum expoliendo, dein evulgando diligentiam maxime celebrant; quemadmodum & M. Antonius Sabellicus data ad ipſum Moretum Epiſtola, quæ ad calcem ejuſdem Editionis affertur, ubi ſibi traditum tertia noctis hora, quum cœnare cœpiſſet, Cornucopiæ volumen, illud mox arripuiſſe, &, quantum celeri tranſcurſu licuit, obſervaſſe ſe ſcribens, *induſtriam tuam* (inquit) *& diligentiam jam antea Venetæ Academiæ, imo univerſæ Civitati facile perſpectam facile recognovi. Habebunt igitur tibi gratias quicumque poſthac in ipſam lectionem incident, quod eam per te tam emendatam habebunt, quam ille ipſe, qui ſcripſit, in publicum exire voluiſſet. Scriberem ad te plura, niſi domeſtici, qui jam dudum loti ſuſpirare non deſinunt, me brevitatis admonerent.*

Dicendum hic eſſet de fraude, qua Moretus noſter Venetæ illius Editionis auctor taxatur, ut qui ad ejuſdem calcem inſerens Commentariolum Nicolai Perotti in C. Plinii Secundi Hiſtoriarum Proœmium, Epiſtolam ipſius Perotti Franciſco Guarnerio in aliis Editionibus paſſim inſcriptam, ſibi in Veneta illa Editione inſcripſerit. Inſignis utique fraus: at quæ ad Moretum damnandum allegata reperio, eum potius abſolvunt, nam curata a Moreto Editio tam Cornucopiæ, quam Commentarioli, reliquas omnes uſque

tiſſime ſibi delatam recepiſſet. Paulus Manutius, ſe magni feciſſe Nizolii Theſaurum, binis ad eum Epiſtolis teſtatur. Ejuſdem cum laude meminit Planerius in literis ad Theanium, fatetur tamen Nizolium, hominem ſibi amiciſſimum, minime in eo Opere aſſecutum fuiſſe, quod voluit; *Aulicæ* (inquit) *conſuetudines, continuæque inter ipſum, & Majoragium Inſubrem rixæ, & altercationes diſtraxere hominem a politioribus, candidioribuſque ſtudiis*. Rixati ſunt inter ſe Majoragius, & Nizolius potiſſimum de vera philoſophandi ratione, &, quod ſpectat ad Theſaurum, Nizolio plagii crimen intendit, contentionis utique æſtu abreptus, Majoragius, perinde ac ſi Chriſtophori Longolii Opus pro ſuo ediderit.

VI. Ciceroniano Nizolii Theſauro non abs re erit, Theſaurum Nicolai Perotti Archiepiſcopi Sipontini, ad parandam verborum copiam conflatum, hoc loco adjungere. Inſcribitur liber hic Cornucopia, ſeu Latinæ linguæ Commentarii; idque jure optimo, in iis enim Perottus, ut ſcribit Ludovicus Odaxius Patavinus in Epiſtola Nuncupatoria ad Guidum Urbini Ducem, quamvis Valerium Martialem interpretandum deſumpſerit, univerſam Grammatices rationem varie, concinne, luculenterque complectitur; quod ipſum monuerat Pyrrhus Perotti nepos in Epiſtola ad Federicum Urbini Ducem poſt illam Odaxii in quibuſdam Cornucopiæ Editionibus præmiſſa, librum hunc optimarum in omni genere rerum, ac reconditarum Theſaurum appellans, unde propterea Rhetores quoque haurire poſſent, quæ pertinent ad proprietatem, & elegantiam linguæ Latinæ.

Quid

Quid autem Brixianis debeat Perotti Cornucopia, declarant carmina quædam illius Operis fronti præfixa in Veneta Editione an. 1490. per Baptiſtam de Tortis. In iis tam Marcellus Philoxenus, quam L. Ponticus Tarviſanus, & Daniel Cajetanus, Antonii Moreti Brixiani in eo Opere primum expoliendo, dein evulgando diligentiam maxime celebrant; quemadmodum & M. Antonius Sabellicus data ad ipſum Moretum Epiſtola, quæ ad calcem ejuſdem Editionis affertur, ubi ſibi traditum tertia noctis hora, quum cœnare cœpiſſet, Cornucopiæ volumen, illud mox arripuiſſe, &, quantum celeri tranſcurſu licuit, obſervaſſe ſe ſcribens, *induſtriam tuam* (inquit) *& diligentiam jam antea Venetæ Academiæ, imo univerſæ Civitati facile perſpectam facile recognovi. Habebunt igitur tibi gratias quicumque poſthac in ipſam lectionem incident, quod eam per te tam emendatam habebunt, quam ille ipſe, qui ſcripſit, in publicum exire voluiſſet. Scriberem ad te plura, niſi domeſtici, qui jam dudum loti ſuſpirare non deſinunt, me brevitatis admonerent.*

Dicendum hic eſſet de fraude, qua Moretus noſter Venetæ illius Editionis auctor taxatur, ut qui ad ejuſdem calcem inſerens Commentariolum Nicolai Perotti in C. Plinii Secundi Hiſtoriarum Proœmium, Epiſtolam ipſius Perotti Franciſco Guarnerio in aliis Editionibus paſſim inſcriptam, ſibi in Veneta illa Editione inſcripſerit. Inſignis utique fraus: at quæ ad Moretum damnandum allegata reperio, eum potius abſolvunt, nam curata a Moreto Editio tam Cornucopiæ, quam Commentarioli, reliquas omnes uſque

modo compertas, ætate præcedit; fraudis autem genus illud, ut diserte affirmat, qui Moretum redarguit, posteriorum Editionum auctores quandoque admisisse comperiuntur, quum scilicet per illud nefas Editiones suas tanquam omnium principes venditare satagerent. Nos causam hanc adversus Moretum alibi discutiemus, agentes nimirum de Heliæ Capreoli Historia, eaque occasione de Epistola ejusdem Capreoli ad Franciscum Arigoneum, qua Vir Clarissimus demonstrat ex ipsius Perotti, quin Blondi Forolivienſis, & Hermolai Barbari, præter veteres plures, consensu cum ipso Plinio, Plinium patria fuisse Novocomensem.

Ambrosium Calepinum ex Perotti Cornucopia in suum Vocabularium multa derivasse, in dubium vocari non debet. Benacensis *Editio ejus Vocabularii* an. 1522. inter Scripta, quibus Calepinus profecit, Cornucopiam adnumerat. Ad eam Editionem quæ præfatur Alexander Paganinus, quum maxime faciant ad nostræ illius Typographiæ, quæ Aldinam æmulabatur, commendationem, hic recitabo, quo fiet, ut quemadmodum superior de re Grammatica tractatio, ita & præsens de re Oratoria ex Benacensium typorum mentione Colophonem accipiat.

Alexander Paganinus bonarum Artium studiosis S. P. D.

ORaverunt me superioribus diebus nonnulli, ut ea volumina, quæ humaniorum disciplinarum titulo comprehenduntur, cum suis Commentariis castigatis, curarem imprimenda, eam rem studiosis omnibus gratissimam fore pollicentes. Ego vero, quia amor meus in scientiarum cupidos semper exstitit ardentissimus, cum justis amicorum postulationibus gerere morem decreverim, statui omnibus ingenii mei,

mei, atque operum viribus niti, ne ignaviter dicar ſuſceptam peregiſſe provinciam. Quod me aſſecuturum facile ſpero, ſi Aldum Manutium, admirabili virum ſagacitate ad omnia, quæ huic officio pertinent, indaganda, & diligentia ſubſequar, & ſedulitate imitabor. Is enim ſua vigilantia utriuſque linguæ tum diſſipatos codices, tum depravatos in priſtinam integritatem, candoremque reſtituit. Quare non immerito ab omnibus noſtræ ætatis literarum ſtudioſis, earundem illuſtrator, ne dicam parens, eſt appellandus. Inter cætera vero, quæ in doctrinæ cupidos Vir ingenioſiſſimus, ac reipublicæ literariæ amantiſſimus, contulit beneficia, hoc non ultimis adnumeraverim, quod plurimas dictiones, quæ a pleriſque perperam proferebantur, ita accentibus, notiſque inſignivit, ut vel rudis quilibet, quomodo enuntiari debeant, facile poſſit cognoſcere &c. Sunt permultæ aliæ dictiones, quæ hujuſmodi notas admittant, quarum pene infinitus eſt numerus, quem qui ſcire velit, Lybici velit æquoris idem diſcere, quam multæ zephiro turbent arenæ. *Hæc vero non probavimus modo ſingula, verum etiam* vigilanter ſtatuimus obſervare. Quocirca nullis parcere impenſis decrevimus, ut Aldi, quoad ejus fieri poſſit, inſiſtamus veſtigiis. Ab hoc autem primo Auctore ſum auſpicatus, quia omnium corruptiſſimum eſſe conſpexeram. Miſertum ſane fuit, Opus novitiis adeo neceſſarium, tam multis ubique erroribus conſperſum circumferri. Quem ſi vobis non diſplicuiſſe comperero, commodis omnibus veſtris, ac deſideriis pro virili parte non defuturus, accingar ad reliquos, ſummum præmium meis laboribus repenſum judicaturus, ſi meam vobis operam profuiſſe cognovero. Valete.

Dum induſtriam ſuam a Vocabulario Calepini ſe auſpicari ſcribit Alexander Paganinus an. 1522. Grammaticam Manutii triennio ante a ſe editam, fortaſſe tanquam exiguæ molis libellum, minime ob oculos habuit.

POE-

POETICA.

REi Poeticæ tractationem nobis aggredientibus piget obvios, illico a quibuſdam obtrudi tam Lilium Gregorium Gyraldum in Dialogo 2. de Poet. noſt. temp. ita ſcribentem: *Brixia multos habet eruditos, ſed non & Poetas, ut ejus filia Verona ... Verſificatores etiam potius, quam Poetas fovet ipſa Brixia;* nec non M. Antonium Muretum, ſat celebre dicterium, nigro quovis theta ignominioſius, Brixiani Vatis volumini præfigentem. Haud propterea diffido, alios de Brixianis Poetis æquius judicaturos, poſtquam compererint eos, qua tempeſtate floruerunt, ea ipſa a doctis Viris laudes, ac plauſus retuliſſe. In hoc autem argumento verſantes, induſtria noſtra *illud abſque dubio* conſequemur, ut ſi cui non ab omni labe Brixianorum Poetarum exiſtimatio ſatis vindicata videatur, nemo tamen ſit, qui ex iis, quæ a nobis afferentur, literariam eorum temporum Hiſtoriam, quæ ad noſtrum inſtitutum magnopere pertinet, haud parum illuſtrari diffiteatur.

I. Vatum noſtrorum agmen ducat Joan. Franciſcus Quintianus Stoa, quippe qui laurea Corona ornatus incedit, canenſque Saphicum illud metrum, quod ex tempore, dum eam acciperet, ſe dixiſſe perhibet ipſemet in parvo libello, quem Artem brevem inſcripſit, hos ſcilicet verſus:

Rideant Nymphæ, cantus, Venuſque,
Flammiger vultus hilaret Cupido:
Noſtra Rex Gallus Ludovicus ornat
Tempora lauro. qui-

quique præterea manibus præfert, oſtentatque Regium Diploma, quod hujuſmodi eſt:

Ludovicus Dei Gratia Francorum Rex, & Mediolani Dux, &c.

AD perpetuam rei memoriam. Quoniam ſicut ex anima, & corpore conſtamus, ſic duplex quærendæ gloriæ via fit patens, & aperta mortalibus, quarum altera mentis, corporis altera viribus præcipue peragenda eſt: utriuſque rei Omnipotens in Regno noſtro, & univerſali Dominio gratiam conſtituit ab æterno, ex quo quidem innumerabiles tam ingenii dotibus, quam bellicis artibus memorandos hoc idem Regnum noſtrum, totumque Dominium progenuit, alibi genitos erudivit, & illuſtravit. Inter multa nimirum, quæ animi viribus geruntur, & impræſentiarum corporis actibus tentamus, florentiſſimum, atque omni laude digniſſimum in Dominio noſtro Hiſtoriarum, & maxime Poetarum ſtudium effloreſcit: quorum induſtria, & labor tam ſibi ipſis, quam aliis præclaris Viris, ſublimibuſque, & memoria dignis operibus, carminibus ſuis tribuunt immortalitatem. Et ſane ſicut Poetarum, Hiſtoricorumve copia multis inclytam, & diuturnam, perpetuamque præbet memoriam: ſic eorum defectu, labentibus annis, multis æternitate nominis non indignis fama oblivione involuta demitur, ac eripitur. Hinc eſt quod propter gloriam, quam (ut diximus) ſibi, & aliis olim quærebant, pro præmio quodam, & ſtudiorum proprio ornamento laurea Corona quondam donari cœpere. Tanti enim honoris illos Urbs olim cenſuit, nt unum, atque idem Lauridecus indicaret Cæſaribus: atque Poetis, & quidem Cæſares, Duceſque victores poſt bellorum diſcrimina, Poetas pariter poſt ſtudiorum labores lauro inſignibat. Ideo circumſpicientes inter ſubditos noſtros quam plures, & dignos exſtare Poetas, inter quos non ſolum fama, & nomine accepimus Joannem Franciſcum Quintianum Stoam egregium Poetam excellere; verum etiam approbatione, relatione, certificatione Reverendi eruditiſſimique, ac bene dilecti noſtri D. Jacobi Euraldi Epiſcopi; prætereaque rerum experientia ob plurima poemata mul-

multivago ſtilo compoſita , quæ jam ſub omnium litteratorum judicio edidiſſe , videre eſt, & maxime per noviſſimum heroicum Opus de Bello Veneto per nos Deo favente confecto; aliaque innumerabilia ejus poemata certo demonſtrant. Quum igitur ſemper litterarum cultores dilexerimus, virtuteſque animum exhilarent noſtrum , animadvertentes inſuper divinam litterarum eminentiam laurea Corona , omniumque laude digniſſimam, ac fidem erga nos, atque devotionem, nec non & benemerita prædicti Quintiani, & cum a nobis per eundem, alioſque noſtri benedilectos reverenter petitum fuerit, Quintianum noſtrum laurea coronari, verumque Poetam conſtitui ; Nos igitur hujuſmodi honeſtæ petitioni annuere volentes, Coronam lauream manibus noſtris ejus capiti appoſuimus, præſentibuſque etiam imprimi juſſimus : Dantes eidem tam in dicta Arte poetica , atque hiſtoriis, & in omnibus ad eaſdem ſpectantibus auctoritatem componendi, legendi, diſputandi, auſpicandi, & interpretandi veterum, & Neotericorum volumina, ut libet, atque ſuos libros omnibus ſæculis, auxiliante Deo, manſuros, ac poemata componendi, liberam tenore præſentium poteſtatem; nec non ubi, & quotiens ſibi placuerit, poſſit hujuſcemodi , atque alios actus poeticos quoſcumque laureatus ſeu myrto , vel hedera , ſi id genus elegerit coronatus, & in actu , atque habitu quolibet poetico privatim , & publice ſolemniter exercere . Ad hæc ſcripta per eum hactenus, velut per Virum in talibus expertum, ac verum Poetam, illis in ſcriptis approbamus . Reliqua vero , quæ ſcripturus erit impoſterum, atque etiam ab eodem jam promulgata, & in lucem edita fuerunt , ſimili modo approbanda cenſemus , decernentes iiſdem privilegiis, honoribus, immunitatibus, & inſignibus perfrui debere, & iis omnibus, quibus ubique terrarum uti poſſunt , aut poſſe ſoliti ſunt liberalium, & honeſtarum artium profeſſores, eoque magis, quia eminentiæ ſuæ raritas uberioribus eum favoribus, & ampliori benevolentia dignum facit . Inſuper eundem Quintianum Stoam propter ingenii ſui dotes, ac propter indubitatam devotionem, qua Nos, Statumque noſtrum afficit, ut communis omnium fama , & actus, ejuſque verba teſtantur, publicis acclamationibus collaudari omni-

omnibus etiam privilegiis, quibus Poetæ laureati per antea uſi ſunt, & fuere, uti, & gaudere juſſimus; mandantes omnibus Judicibus, & Juſticiariis tam Regni noſtri, & Ducatus Mediolani, cæterarumque Terrarum, & Dominiorum noſtrorum citra montes, quam ultra, quatenus præfatum Quintianum præfatis inſigniis, lauro, & privilegiis uti, & gaudere faciant, & permittant. Datum in Caſtro noſtro Mediolanenſi, die decima quarta menſis Julii, Anno Domini milleſimo quingenteſimo nono, & Regni noſtri duodecimo.

Aſperi prorſus, & hiſpidi ſtili amatorem fuiſſe Quintianum noſtrum, ſectatoremque in eo Jo. Baptiſtæ Pii, & Philippi Beroaldi, quorum vitia, ut ait Jul. Cæſar Scaliger, ingenii ſui magnitudine ſuperavit, diximus ſuis locis. Ex eodem Scaligero modo addimus, aſperitatem illam in proſa oratione pedes caſtigaſſe: *Itaque* (ait ipſe Poetic. l. 6.) *in Poemate videtur cura, ac judicium, quod eſt in ſoluta dictione exultantia quædam ſpiritus: ſic enim de illo libet loqui.*

Quamplures, eoſque admodum liberales laudatores ea tempeſtate nactus eſt Quintianus; at nemo liberalior, & effuſior Joanne Lugduneo Acrolucio, qui volumini Operum ipſius Quintiani a ſe recognito, & magnificis prorſus typis Lutetiæ Pariſiorum an. 1514. impreſſo, cujus exemplar in charta pergamena ad manus habeo, hoc Epigramma præfixit:

Joannis Lugdunei Acrolucii in Quintianicum Pantheon,

Carmen.

Multiplices animæ vigeant quum corpore in uno,
Res nova, nec primis cognita temporibus.
Hic Chriſtum generans eſt alter Horatius; illum
Dum perimit, tragico eſt non minor Euripide.
Dumque reviventem canit, eſt Maro; Papiniuſque,
Dum Chriſtum æthereos ſcribit adiſſe lares.

Induit Archilochum lacrymoſo fretus jambo,
Dum canit horrifici tempora judicii.
Ergo agite, o Juvenes, legite inclyta carmina; ſunt hic
Quinque Poetarum plectra, querela, tubæ.

Quintianus autem ipſe, licet, ut alibi vidimus, haud parcus ſui laudator, Chriſtianis Poematibus, quæ Editio illa complectitur, prologum appoſuit valde diſtantem a projecta oſtentatione. Priores verſus hi ſunt:

Lector, Apollineas ſolitus tractare papyros,
Auſoniumque audire Sophos, rectoque Maronem
Judicio in trutina ſuſpendere, & alta cothurno
Ducta Sophocleo perpendere carmina, & omnem
Auctorum facili ingenio pernoſcere mentem,
Pone ſupercilium, & tetrici mucronis acumen,
Si præſens ſpectabis Opus, mea muſa cadentem
Sub tenui infirmam oſtendit teſtudine frontem.
Turpis in aſpectu eſt, mox conſternata receſſum
Continet ignavum, miſeræ ſibi conſcia palmæ:
Triſtius unde meum ſtudium eſt, quum ignara per aures
Diſcupiat volitare hominum, ſupraque profundum
Tollere ſe titubans audacibus æthera pennis.

Complectitur volumen illud Theoandrogeneſin, Theoandrothanaton, Theoanaſtaſin, Theoanabaſin, Theocriſin. Joannes Oporinus Baſileenſis, de cujus eruditione dictum eſt ſupra, inter Poemata ſacra præſtantium Poetarum an. 1542. a ſe edita, locum merito ſe aſſignare poſſe cenſuit Quintiani de Paſſione Domini Tragœdiæ. Eam Tragœdiam minime contemnendam eſſe ſcribit laudato loco Jul. Cæſar Scaliger: *Ut eſt argumentum* (inquit) *maxime difficile, quod venuſta componas oratione, ita ſunt optimi verſus: quaſi in materia volenti quæſita, non oblata detrectanti.*

In

In Ovidianis Quintiani Periochis, ſcilicet in Diſtichis ad fabulas Ovidii Naſonis a Quintiano compoſitis, nil aliud deeſſe præter judicium, ibidem affirmatur a Scaligero. Ea Diſticha impreſſa Papiæ an. 1506. Joanni Franciſco Bruno Nolano Epiſcopo Quintianus nuncupavit. Eadem ſe languenti, & triviali ſtylo ſcripſiſſe, fatetur ipſe in Epiſtola ad Bernardinum Blancum Coniolum Brixianum, quod tyrunculus ea ſcripſerit unius menſis ſpatio. Blancus contra reſcribit, magnam ſe in Opuſculo illo admirari ubertatem, argutiam, concinnitatem. Affertur in Papienſi Editione utraque ea Epiſtola poſt Diſticha, & alia inſuper Joannis Archinti Mediolanenſis ad eundem Brunum Nolanum Antiſtitem, qua ei dicatum a Quintiano fulgentiſſimum illud Diſtichorum Enchiridion gratulatur.

Poematum Quintiani *exactum catalogum* texere, nequaquam operæ pretium duco, multoque minus Præfationes iis appoſitas recitare, ne ſalebroſam ejus orationem nimis quam indignantes Lectores, erga ipſos quoque verſus, quos optimos Scaliger prædicavit, male animentur. Joannes Planerius in Epiſtola ad Bartholomæum Theanium & de iis ſalebris, ut alibi etiam, conqueritur, & libros, qui Quintiano ſuperſtite lucem non viderant, petit a Theanio ipſo recognoſci, & emendari: *Suſcipe* (inquit) *mi Theani, has Quintiani noſtri vigilias, & labores; & ſi quid corrigendum erit, tuo arbitratu corrige, emenda: nam hoc officii, & laboris, & Quintiani manes, & municipes omnes tui a te expoſcunt, & efflagitant. Ego, quod ad me attinet, dabo operam, ut omnia ejus volumina Brixiæ tuo*

favore, & auxilio, vel Venetiis fratris mei, & amicorum suffragiis imprimantur, & edantur. Aliquot Quintiani volumina, quæ Planerius repererat in quodam scrinio, nondum edita, sed tineis corrosa, cujuscemodi erant & alia ab ipso ad Theanium antea transmissa, in eadem Epistola ita recensentur: *Mirandorum volumen maximum, Opus varium, & eruditum; Panegyricus in laudem Franciſci Galliarum Regis, heroicis carminibus conscriptus; Quintus Curtius, imperfectus antea, nunc per Quintianum restitutus, & absolutus; Solinus, olim liber parvus, nunc per eundem magnus, longisque Commentariis ab ipso interpretatus; Linologiæ liber unus, in libros sex distinctus.* Meminit ibidem Planerius & aliorum librorum, in quibus Quintiani ingenium, & eruditionem miram cognovisse se scribit: *Nam* (inquit) *in Monosyllabis Ausonium superavit; in Epographiis vero Grammaticos omnes longo intervallo post se reliquit; in Encomio Urbis Venetiarum tam poetice, & luculenter evagatur, tam graphice ejus Urbis situm describit, ut nihil amplius in eo libro desiderari possit.* Quæ de Quinto Curtio per Quintianum restituto, & absoluto prodit Planerius, testimonium exhibent de eo Quintiani Opere, duobus aliis ab Joanne Freinshemio, vulgati Supplementi auctore, allatis multo luculentius, atque ita indubitatum, ut ea res non amplius a doctis Viris in controversiam vocari possit. Encomium Urbis Venetiarum sua cura Venetiis editum Planerius Alphonso Martinengo Comiti Villæ Claræ dicavit, affirmans in Epistola ad ipsum, Venetæ Civitatis Poetas, & Oratores mirum in modum ejus libri lectione delectatos fuisse,

fuiſſe, quum alii copiam dicendi, & venuſtatem, alii artificium, & eruditionem mirarentur. Quintiani Opera quædam memorat Planerius in Epiſtola ad Vincentium Patinam, & alibi.

Ad calcem voluminis impreſſi Pariſiis, de quo ſupra, affertur Quintiani in Deiparam Panegyricus, cui *Parthenoclea*, ſcilicet de Virginis gloria, titulum fecit, eumque Annæ primum Galliarum Reginæ, deinde ea mortua, Jacobo Evraldo Eduenſium Antiſtiti dicavit. Præfatio Orationi illi adjuncta, portentoſiſſimum obſcuritatis opus, Lector minime ſuccenſeat, ſi hic ob inſolentiam rei, cui typorum Pariſienſium amplitudo pretium conciliat, locum inveniet.

Jo. Franciſci Quintiani Stoæ in ſuam Parthenocleam Orphnilogia.

TU quicunque es vel cadmæi inventi bullatus hermes, vel pythagoreo ſilentio adſtrictus miles, ſeu civis mileſii picatus æmulus, ſeu artis oleniæ daphneus magnes? qui limatis cerebrigenæ conſecratis artubus ob ſititum horoſcopum ægyptiam arborem repræſentaſti, exin animato gallicanæ pœnæ vexillo cœleſtis jani a pejurio conditionem induiſti, mox & fidei ſacrarium evicta omnium victrice aperuiſti, nec non duplici teſtudine concluſum membrum aquilino aſcenſu defatigaſti. Exinde falſo humore niloticam juſtitiæ notam extremæ artuationis molortho perfudiſti, tuis tibicinibus id reddito, quod quum ex argonautis fiunt argonautæ piſculus remora caſis præſtat ligneis. Te etenim ſigalionem indice ſimulans, & miſericordiæ incurvato ſolio deprecor, uti eo coluro Parthenopeæ laudes in tuo tibi primogenito vitali membro conditas intuearis, quo & præcedentia conſpexeris: non hic amplius muſæa Lacheſis ſe ſe exeret, nec phœbeæ me compriment catharactæ; ſed ſoluto & Parnaſii vinculis exempto rem agam aulace. Non aberunt dictiones craſſis mydis pſyches famulæ verba diobolari-

laribus tipulis hannonis punici, ſententiæ barbaricis marſiis hieroglyphici apices, rerum nomina ſciopodibus arietina oracula, ac demum obſervationes narthecophoris angeronæ; ſed Ruffis Helenæ, Rhemniis prothymiæ, Serviis martis vincula, porphyrionibus eunuchus terentiana. Accede, Lector, æolii ſimplicis lenitudinem complexus, lydio quærulo conſternatus, dorio bellicoſo incitatus, phrygio religioſo detentus, aſio vario correptus floream hanc radicitus exprimas roſidemiam; nec mireris me ſatius Milonis voluiſſe eſſe hoſpitem, quam tyronis patronum, nam & paſtophori ſacerdotis multis placuit myſterium. Ingredere igitur, & cana mente perlege, quæ ſi penitus callum non habebunt: tamen inter attagenas phrygias, ſamioſque pavones, & cenſores adnumerabunt. Sed jam omiſſis nebuloſis clariora aggrediamur convivia.

Pariſienſes typos non tantum Quintiani in Mariam Virginem Panegyricum, ejuſque Chriſtiana Dramata ſuperius laudata, ſed & plura alia ejuſdem Opera evulgaſſe reperio, inter quæ ad manus habeo Poema de laudibus Pariſiorum Urbis, cui titulus *Cleopolis*, nec non aliud de Orpheo. Utrumque recenſuit, ediditque an. 1514. Joannes Salmonius Maternus, præmiſſaque ad Hieronymum Marlium Patritium Pariſienſem Epiſtola Quintianum his verbis extollit: *O felix nobis, & vere beatum Vatis exilium! ſi modo exilium dicendum ſit, quod bellico tumultu preſſus, & militari petulantia, Gallias noſtras una cum diſcipulis, & amicis, quo liberius omnem muſis operam impenderet, & tranquillo literarum otio frueretur, ſeceſſerit.* Quintiani in Gallias ſeceſſum Tullii exilio in Græciam comparat Salmonius, qui ſcilicet *factionibus* (inquit) *civium tumultuoſis pulſus, Philoſophiam Græcorum Romano veſtiens amiculo, tantopere latinitatem ditavit, adauxitque, ut ipſius exi-*

lium

lium non injuria aureum, ac gemmeum dici mereatur. Tandem Quintiani Cleopolim perenniorem affirmans ipsis Parisinæ Urbis magnificentiis, quæ scilicet in fortunæ manu sunt sitæ, de eo Poemate hoc Distichum apponit:

Vivet, & æterni merito referentur honores,
Dum bifida lenis Sequana curret aqua.

Gallos Stoæ nostri visendi causa Brixiam, & Quintianum accessisse, superius diximus teste Planerio in Epistolis. At neque apud Planerium, neque apud veterem alium Scriptorem reperio testatum, fuisse Stoam Parisiensis Universitatis Rectorem, ac Francisci I. Præceptorem, quare hujus rei fides tota penes ejus conterraneos.

II. Faustus Sabæus, de quo modo dicere aggredior, Clarii, Brixianorum municipio, natus, jactat augustos & ipse, quemadmodum Quintianus Stoa, in Galliis Mecœnates, Reges nimirum Franciscum, & Henricum hujus filium, quibus & carminum suorum libros, & Arnobii adversus gentes Disputationes a se primum editas nuncupavit, & præterea jactat nil minus, quam septem Romanos Pontifices, penes quos Vaticanæ Bibliothecæ Custodis officio functus est, quique pro ea amplificanda, codicibus scilicet comparandis, impositam sibi ad extremas usque Septemtrionis plagas legationem obivit. Hæc Lector dum accipis, ægre tibi persuadebis, Faustum nostrum, tot patrociniis, tot laboribus insignem, nil frequentius ceciniſſe, quam inopiam suam, atque esuritionem, hanc queeum adegisse, ut poetica prorsus libertate vel ipsos Mecœnates suos facetis quidem, sed acerbis querimoniis obtunderet.

Fau-

Fauſti Sabæi Epigrammatum libros quinque ediderunt Romæ an. 1556. Valerius, & Aloyſius Dorici fratres Brixienſes. Liber primus de Diis hanc præfert nuncupationem.

Ad Henricum Regem Galliæ.

Princeps optime temporum tuorum,
Immo ut verius, altiuſque dicam,
Præſtantiſſime Dux, & Imperator,
Noſtri & gloria, & orbis univerſi:
Quem fortuna ſoror, parenſque virtus
Uſque ad ſydera devehunt merentem.
Hos noſtros Proceres, Deos, Deaſque,
Quos jam concinimus, tibi & dicamus,
Henrice, accipias manu benigna.
Iſtos & lege, fronte ſed ſerena.
Admirabere, forſitanque dices,
Cur tot Numina, nomina atque Regum
Excellentia, Principum, & Sophorum
Noſtro nomine publicas ſub ipſo?
Quod ſis ille vocatus Orbe ab omni,
Divum Numina cui favent, parantque
Claves ex Oriente, purpuramque,
Ut ſis unicus Orbis Imperator.

Eidem Henrico Regi reliquos etiam Epigrammatum libros Sabæus dicatos voluit, cauſamque hujuſce facti reddit in ſecundo Epigrammate libri ſecundi.

Ad eundem.

Dividere hæc poteram noſtri monimenta laboris,
Et dare diverſis munera Principibus.
Qui mihi pro merito potuiſſent tradere honores,
Aut aurum, aut veſtes, vel pretioſa magis.
Sed qui uſque ad cineres ulli ſe ſacrat, ob illum
Maxima lucra putat, grandia damna pati.

Liber tertius inſcribitur de Amicis. Quartus de A-

mori-

moribus, cui hæc præfigit Sabæus hendecaſyllaba:

Ad Henricum Regem Galliæ.

Pone ſacros paulum cultus, rigidumque Catonem,
Præſidium, o Phœbi, Pieridumque decus:
Ecce tibi occurrunt, tenerique jocantur Amores,
Nuda Cytheriacis mater & orta vadis.
Ad ſua, Rex Regum, te invitant orgya læti,
Jamdudum quæ non diſplicuere tibi.
Solve graves curas, dulces ſuccendimus ignes
Hos, quibus arſerunt ſecla hominum, atque Deum.
Et Mars depoſitis felicior extitit armis,
Nudus & in vinclis invidioſus erat.

Quintus Miſcellanea complectitur, clauditurque Epigrammate ad pium Lectorem, quem ſibi propitium Sabæus exorat, namque, ait ipſe,

Errare eſt hominis, verum indulgere Deorum,
Solus enim mendis, qui tacet, ille caret.

In ſingulis iis libris Sabæus Henricum, & Franciſcum frequenter decantat, ſeque iis commendat. Quid ab utroque promeritus fuerit, ſatis aperte hendecaſyllabis hiſce declarat pag. 533.

Ad Henricum Regem Galliæ.

Commendo tibi Rex meos labores,
Quos pro patre tuo libens ſubivi,
Et libentius obtuli, & ſacravi.
Dices, qui fuerint tui labores?
Et quid nam dederim tuo parenti?
Regi magnanimo, atque glorioſo,
Regi munifico, atque liberali,
Regi denique liberalitatis,
Qui donare ſolebat oppida, urbes
Expoſcentibus, indigentibuſque.
Miror, quod tibi denegarit unquam
Quicquam promerito, atque poſtulanti.

Certe nil dedit: ego dedi, & dicavi,
Illum unum Arnobium, & duos libellos,
Et me tergeminum ſuum Poetam,
Suum mancipium, ſuum hortulanum.
Sacra ob lilia, quæ rigo, excoloque,
Quis nam alter potuit dediſſe majus?
Quiſve alter potuit minus referre?

Inter Epigrammata, quæ Franciſco Regi inſcribit, valde argutum, quod legitur pag. 474. de imagine ipſius Regis.

De Imagine Franciſci Regis Galliæ.

Quam ſpectatores ignari cernitis, icon
Spiritu, & artifici nobilitata manu,
Illius eſt, qui cuncta ſuo moderamine regna
Allicit, & gentes ingenio, atque manu.
Quod taceat, non eſt mirum, indignatur imago,
Et pictam largas non habuiſſe manus.

Alio Epigrammate pag. 465. invectus in illos, qui Franciſcum ipſum fidei non ſervatæ accuſabant, poſt Romam ab excidio, & flammis ereptam, ſupremumque Sacerdotem, & alios verendos Patres carcere liberatos, eidem hanc clauſulam apponit:

Si turpe eſt iſtud, ſanctum eſt, ferroque, fameque
Excruciaſſe homines, & violaſſe Deos.

At Epigrammata ad Romanos Pontifices ea ſunt, quibus ita frequenter de ſua egeſtate conqueritur Sabæus, ut ad illos ſcribens, chorda eadem ſemper oberrare videatur. Aliqua ex illis hic exſcribam, poſtquam Lectorem monuero, Sabæum patriam ſuam notam facere pluribus locis, inter quæ in Epigrammate ad Brennum pag. 372 quod ita incipit:

Brenne reſurgentis patriæ pars inclyta noſtræ,
A quo magnificum Brixia nomen habet.

Quin

Quin in Epigrammate p. 404. quod incipit, *Quid reddam, o Clarium?* fidem facit, ſe Brixiano illi inſigni, & vere claro municipio natales, ſtudia, & mores debere.

Primus ex ſeptem illis Romanis Pontificibus, quibus in Vaticanæ Bibliothecæ cuſtodia ſervitium impendiſſe diximus Sabæum, Leo X. a quo præterea ad redimendos e tenebris libros, Muſaſque in Latium reducendas miſſum ſe fuiſſe ad Reges Aquilonis non uno in loco teſtatur, quemque immatura morte ſibi raptum conqueritur. Tria ad eum Pontificem Epigrammata exſtant pag. 402.

Ad Leonem X. Pont. Max.

Langueo, & eſurio, ſpes in te eſt tota ſalutis,
Quum mihi ſis Paſtor, maximus & Medicus.
Paſcere oportet oves, & ab illis pellere morbos,
Et facies Medico, & digna Leone Leo.

Ad eundem.

Præmia pro meritis, & munera, maxime Princeps,
Quum tribuas; caſus quid meruere mei?
Ipſe tuli pro te diſcrimina, damna, labores,
Et varios caſus barbarie in media.
Carcere ut eriperem, & vinclis, & funere libros,
Qui te conſpicerent, & patriam reduces.
Eripui; ante pedes acclamavere jacentes,
Vive, Leo, cujus vivimus auſpiciis.
Ergo mihi quid erit? pro te nam cuncta reliqui,
Memet, cognatos, & ſtudia, & patriam.
Das cuncta, & cunctis, uni mihi dextera avara eſt,
Me miſerum, plus eſt aere, & ore juvas.
Ipſe ego, promerui, ſpero, peto; quattuor iſta
Alcidæ clavam detraherent manibus.
Magna dedi minimus, majus, Leo maxime, reddas,
Vel quia das cunctis, vel quia promerui.

Ad eundem.

Quum dediſſet Julium Oratorem de Coſmographia.

Tot tibi quum dederim noſtri monimenta laboris,
Largus adhuc nequeo parcere muneribus.
Multa dedi, nunc plura fero tibi, ſcilicet orbis
Oppida cum populis, æquora cum fluviis.

Coſmographiam Julii Oratoris eam ipſam eſſe, quæ ſub nomine Æthici Iſtri, & Antonini Auguſti ſæpius edita fuit, quæque in quibuſdam codicibus Antonio Auguſtulo, vel Auguſtali tributa reperitur, in aliis vero Julio Honorio Oratori, ſub cujus nomine liber hujuſcemodi a Caſſiodoro lib. de Divin. Lection. cap. 25. laudatur, res eſt apud Eruditos ſatis comperta.

Ad Adrianum Pontificem, qui Leonem X. excepit, unicum Sabæi tetraſtichon mihi occurrit ſcilicet p. 741. cujus argumentum Vina Cretica *ad ipſum Adrianum* miſſa. Ab Adriano vexatum Sabæum, & in carcerem etiam detruſum, quo fundamento, ſeu quo teſte affirmetur, prorſus ignoro. Equidem Sabæum, qui adeo liberas, & crebras de ſua inopia, & ſorte mala querimonias effundit, ſi infortunium hoc præterea paſſus fuiſſet, vix credi poſſet, nec illud deflendi, nec Adriani memoriam vellicandi, locum ullum nanciſci valuiſſe.

Succeſſit Adriano Clemens VII. eique ſe, ſuamque ſortem Sabæus commendavit his hendecaſyllabis p. 430.

Ad Clementem VII. Pont. Max.

Commendo tibi me, meamque ſortem,
Et diſpendia, quæ tuli, & labores,
Romanæ ob ſtudium eruditionis,
Juſſu Principis inclyti Leonis,
Largi, magnanimi, undecunque docti,
Per tot oppida, regna, nationes,
Mul-

Multo tempore, ſumptibus meiſque.
Incaſſum hactenus, hactenus tot orbis
Diſiunctiſſima regna, barbaroſque
Mores, & populos truces, feroſque
Luſtrarim, peragraverim, ſine ullo
Unquam munere, & abſque præmio ullo,
Ecquis crederet, & quis hoc putaret?
Et tamen vacua manu receſſi
Poſt longas ego poſtulationes,
Poſt longam miſer eſuritionem,
Quamvis vincere liberalitatem
Dando ſit ſolitus Leo, o Leo mi,
Immaturior æſtimatione,
Hinc te proripis orbe derelicto,
Ut longis lacrymis meos ocellos
Damnares ſimul, & ſimul necares.
O mors invida, peſſimæ & ſorores!
Ter mors peſſima, & invidæ ſorores!
Hoc me perdidit, abſtulit, peremit.

Bibliothecæ Vaticanæ triſtiſſimas voces ad Clementem VII. poſt Urbis direptionem effert his Elegis. pag. 846.

Quæ verba poſſet dicere Bibliotheca Vaticana ad Clementem VII. Pont. Max. poſt direptam urbem.

Ne timeas, quamvis veniam vultu ipſa timenda,
Pauperie & gravior, turpior atque fame.
Theſiphone horridior, Tityo mutilatior, alga
Vilior, atque olido ſulphure pallidior.
Quid monſtrum miraris? adhuc miraris, & uſque,
Non ego ſum aſpectu digna, ſed auxilio.
Ne me forte putes Stygiis veniſſe tenebris,
Aut a Cimeriis, Antipodumque ſolo.
Non externa ego ſum, nec barbara, dicere nomen
Erubeo, & quo plus me petis, erubeo.
Sed poſtquam ipſa meo infandiſſima crimine non ſum,
Illa ego Pontificum Bibliotheca vocor.

Non

Non dicam illa tua, hoc ne te te exulceret, hoc ne
Ora verecundis ſint tua tincta roſis.
Dicere non poſſum, quod ſim tua, viſere quam non
Hactenus ipſe velis, Septime, nec pateris.
Hinc gemo, & illacrymor, quod ſim tibi vilior alga,
Sordidior cœno, Theſipbone horridior.
Hac ratione tuum petii ipſa coacta tribunal,
Quamvis erubeam tam miſera, & lacera.
Ne me ne extrudas, oculos ne averte, nec aures,
Se præſtare pium Principis officium eſt.
Ad te Paſtorem tanti gregis illa recurro
Una ovis, ad te illum Pontificem, & Medicum.
Quæ diſtenta habui ſpumanti jam ubera lacte,
Nec deerat cunctis lac mihi temporibus.
Quo innumeros pavi illa agnos, multumque premebant
Caſeon inde alii, poſt alii, atque alii.
Paſtores, ſervique etiam, tunc una vocabar,
Cedere cui poſſent & Latiæ, & Danaæ.
Atque aliæ pecudes, nec non & ovilia cuncta,
Et per me eſt celebris Tityrus, & Lycidas.
Per me formoſæ Galatea, Amaryllis habentur,
Paſtoreſque alii, Nymphæ aliæ, atque aliæ.
His ego præbebam mileſia vellera, lunam
Quis potuit captam pellicere Endymion?
Nunc miſera, infelix, nec lac, nec lana, nec agni
Sunt mihi; vix Gallus hic ſtrepit, aut Corydon.
Ubera nunc palmis fruſtra exſiccata premuntur,
Me nudam nuda hæc vix tegit oſſa cutis.
Oſſibus oſſa hærent vix, vulnera, & ulcera cribrum
Me fecere; mihi quod ſupereſt miſeræ,
Corroſit ſcabies, formicarum ut magis antrum
Heu videar, me me ut noſcere vix valeam.
Semianimis, moribunda, pudens te poſtulo, Clemens,
Te precor, o Paſtor, te medicumque peto.
Paſtor ovem miſeratus, opem, mitiſſime Clemens,
Porge machaoniam (concido) porge manum.
Depereo, ſuccurre, potes, debeſque, quid inde
Si affectam, Clemens, me mihi reſtituis?

Pa-

Paſtores tibi conſtituent ſolemnibus aris
Sacra, tuamque manum, & nomen ad aſtra ferent.
Gloria major erit, quam ſi deviceris Indos,
Hi ſunt, qui laudem dantque, adimuntque viris.
Quod ſi chara tibi curæ eſt Florentia, ſique
Eſt extructa tua Bibliotheca manu.
Ne tibi ſordeſcat mundi Regina, Tonantis
Æmula, quæ implevit æthera Cæſaribus.
Et quæ Pontifices tot miſit ad aſtra beatos
Roma, hominum, ac Superum, Pontificumque thronus.
Plura ego dixiſſem, cor & vox deſit, imago hæc
Tam miſeranda tibi, quæ taceo, referat.

A Paulo III. Clementis ſucceſſore ſua ſibi adaugeri ſtipendia magnopere cupiens Sabæus, Epigramma habet ad Echo pag. 543. in quo dua hæc Diſticha habentur inter alia:

Noſtra ne adaugeri expoſcam ſtipendia Paulum?
Paulum. Num lætus, dic, dabit illa? Dabit.
Ergo ego, tuque audax Dominum Dea adibimus? Imus.
Di faxint, compos ſim, præcor, æris. Eris.

Paulum laudat, quod Cenſores in Urbem evocaverit ad gregis vitia emendanda p. 748. & p. 844. confert Paulum Pontificem cum Paulo Apoſtolo hoc Epigrammate:

Ad Paulum III. Pont. Max.

Dicta mihi numeris ad te Converſio Pauli,
Paule, orbis columen, prodigioſa venit.
Convenit iſta dies tibi jam celebrata quotannis,
Aſt athleta magis, rhetor & alta tonans.
Nomine namque eſtis, patria, virtute, labore,
Officio, & gemini relligione pares.
Differtis, quod Paulus inops, tu dives abundans,
Ut paſcas paſtor jure teneris oves.
Diſſolvi optabat Paulus, tu vivere, quod ſis,
Utilis ad pacem Regibus, & populis.

Quam-

Quinque Epigrammata in Pauli Urnam titulo diu deſtitutam, quanti Sabæus faceret egregias hujus Pontificis, quem aliquando tamen ſugillavit, virtutes oſtendunt, nam ea omnia in eundem fere ſenſum recidunt, qui hujuſmodi eſt in ſecundo Epigrammate pag. 573.

Ad Hoſpitem, quum diu fuiſſet urna ſine titulo.

Quod rudis, & muta eſt urna hæc, miraberis, hoſpes,
Multorum lacrymis quam maduiſſe vides.
Non opus huic cultu eſt, picto nec nomine, nam pax
Italiæ, & virtus ornat, & hanc loquitur.

Poſtremum ex illis quinque ita ſe habet pag. 574.

Ad eundem.

Si neſcis tumulus quid contegat iſte, viator,
Luctus hic & tota dicat in Urbe dolor.
Si nequeunt luctu luctus, dolor atque dolore
Præ nimio in caſu labra aperire truci,
Saltem pax Latii referat, vulgentque ſepultum
Inſtauratæ Urbis mœnia, templa, viæ.

Delato ad Julium III. poſt Pauli mortem Pontificatu, ad eundem familiarem ſibi næniam iteratis vicibus detulit Sabæus, preces nimirum, & querimonias, quas tamen gratiarum actionibus aliquando alternavit. Subſequens Epigramma legitur pag. 513.

Ad Julium III. Pont. Max.

In te ſperavi, fac ne confundar in ævum,
Juli, & egeſtatis pondere me exonera.
Porge aurem, accelera, meque eripe ab hoſte ſequaci,
Libera ab ærumnis, retibus, inſidiis.
Eſto & apud te met Dominum mihi, maxime Juli,
Confugiique domus, præſidiumque meum.
Tuque meæ vires, portus, ſpes una, ſaluſque,
Dulce tuum ob nomen, numen & eſto meum.
Inque tuas commendo manus, Juli optime princeps,
Spiritum, & hos canos, plectra, lyram, calamum.

Ad

Ad eundem. pag. 515.

Sub tot Pontificum ſenui, nam quinque fuerunt
Servitio, irrepſit nix capiti ecce meo.
Semper inops, & nunc miſero mendicior Iro,
Inque dies pejor fit mea conditio.
Sperabam ſub, te Juli, diteſcere, honorem
Sortiri, & canis excutere ipſe nivem.
Pro ſpe deſpero, pro & honore inhonorus, & æger
Vivo ego, ſi vita eſt frigore membra mori
Nam mihi ligna negas inopique, ſenique, tuoque
Non dicam vati, ſed mage vaticulo.
Ante focum ſtudeo, comedo, bibo, carmina pango,
Lucem, animamque negas, ſi mihi ligna neges.

Ad eundem. pag. 516.

Donaſti, unde meam poſſum traducere vitam,
Laſſula, & ægra, & inops, quæ reparanda fuit.
Et quod debebant alii longo ordine nobis
Pontifices, ſolvis, maxime Pontificum.
Quid tibi retribuam, Juli, niſi carmina, & odas,
Hæc ſunt principibus gloria, ſplendor, bonos.
Aurea dona duces dent, Reges gemmea, utrique
Nec majora iſtis, nec meliora dabunt.

Ad eundem. pag. 780.

Ut te conſpicerem tuas petivi
Valvas, optime Juli, pulſo, & inſto
Admitti, ut venerer, tuoſque adorem
Vultus, oſculer & pedes beatos.
Cuſtodes aditum negant, repellunt,
Quod non ſit mibi abolla nuptialis.
Dico ſum Domini e domo, & Poeta
Notus Pontifici, negant, repellunt.
Si noſtro e numero fores, loquuntur,
Eſſes veſte nitente purpuriſmo,
Eſſes ſericea toga togatus,
Et non ſimplici veſte militari,
In vili ſagulo, velut viator.

Tunc reſpondeo, Julius negavit
Veſtem ſericeam, atque purpuriſmum,
Quamvis ſim ſuus, & ſuus Poeta.
Tunc illi, merito tibi negavit,
Quum tu ſis rudis, & malus Poeta;
Noſter ecce Triphon, nitet, renidet
Oloſericas, & beatus oſtro,
Quod Rhetor bonus, & bonus Poeta eſt.
Tunc ego tacitus pudore tinctus,
Confuſuſque recedo, murmuroque
In tuas (fateor) manus avaras
Mecum, verum aliis uſque liberales.
Qui, quod ſim lacer, & brevis lacerna,
Non ſum de numero beatiore,
Hinc dicor rudis, & malus Poeta.

Marcellum II. poſt obitum Julii Pontificatu paucis tantummodo diebus potitum, Sabæus extinctum multis verſibus decantavit, idque etiam præſtiterat, antequam ille Pontificatum iniret. Plura etiam ſunt Epigrammata, quæ Poetas a Marcello Cervino Cardinali, humanioribus literis excultiſſimo, in unum collectos, ac evulgatos gratulantur. Unum & alterum, quæ extant pag. 560. ex his recitabo:

In laudem Marcelli Cervini Card.

Unde novi, e & ſuaves Permeſſo e flumine cygni
Ad Tybrim veniunt? Najades urbis amant.
Quid recinunt? prædulce melos, variumque, novumque,
Quo nec Pympliades cultius ore canunt.
Quis nam jucundis cauſa ut concentibus iſtæ,
Tuſcus olor, Tuſcæ nobilitentur aquæ.
Phœbæas audite & aves, audite canoras,
Mirifice oblectant dulciter, atque juvant.

Pro eodem.

Vivite ſecuri vates, & ludite paſſim
Erepti tenebris, carcere, & interitu.

Et

Et canite Hetruſcum Alciden, qui eduxit ab orco,
Voſque urbi addixit, pavit, & excoluit.
Nil refert, ſi non æquatis carmine factum,
Virtuti ingenuæ eſt promeruiſſe ſatis.

Suam autem egeſtatem Marcello exponit Sabæus his hendecaſyllabis pag. 548.

Ad Marcellum Cervinum Card.

Quæris, quid faciat Sabæus ille
Infelix, miſerabilis, ſenexque,
Tam, Marcelle, tibi ſacratus uni,
Quam Muſis, & Apollini, & Minervæ.
Hoc iſtud facit, & nihil niſi iſtud,
Suſpirat, gemit, atque lacrymatur,
Incuſat genium ſuum, ſuamque
Sortem, tempora, Principes, Deoſque.
Quod ſub Pontificum jugo tot annis
Egentiſſimus Irus, Irus, inquam,
Vixit, vivere ſi poteſt vocari hoc.
Inter divitias egenus, inter
Tam magnos minimus cliens patronos,
Inter tot procereſque purpuratos
Pullatus ſenuit, lacer, jacenſque.
Hoc, Marcelle, potes pati Poetam,
Quamvis ſit malus, eſt ſenex, tuuſque,
Sic ſic ſtare, jacere, conquerique?

Adſunt tandem aliquot Epigrammata ad Paulum IIII. Marcelli ſucceſſorem, qui ſeptem Pontificum, penes quos officium geſſiſſe conſtat Sabæum Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodis, ſeriem concludit. Marcelli, & Pauli elogium Epigramma ſubſequens complectitur pag. 586.

Ad Paulum IIII. Pont. Max.

Quem vivum toto Marcellum pectore amaſti,
Illius oſſa & amas, optime Paule pater.

Virtutem cecini, & mores, luxique ſepultum,
Et raptum injuſto funere tam celeri.
Gentibus, & populis gratum, tum Regibus, & Dis,
Orbem quod dignus qui moderetur erat.
Ni ſucceſſiſſes ſancto ſanctiſſimus illi,
Doctior & docto, pervigil & vigili.
Et mage magnificus ſplendens generoſior illo,
Enſe, vel igne volens pro pietate mori.
Turbidus iret adhuc lacrymis Tiberinus amaris,
Rura, & ovile, & adhuc lacrymarentur oves.

Quid autem Bibliotheca Vaticana ſperare poſſet a Paulo, Sabæus hoc declarat tetraſticho, pag. 591.

Ad Paulum IIII. Pont. Max.

Sit tuus adventus, Pater optime maxime, felix,
Plaudat & aſpectu Bibliotheca tuo.
Quid non ſperandum ſancto ſub Principe, ſub quo
Juſtitia, & virtus militat, & pietas?

Poſt Romanos Pontifices, & Francorum Reges, de quibus dictum eſt uſque modo, non alios Sabæus noſter ſtudioſius excoluit, quam Gallos Cardinales; inter quos ea tempeſtate quum eminerent Joannes Bellajus, & Carolus Lotharingus, genere, & literis conſpicui, in horum præſertim clientelam Sabæus ſe dedit. Bellajum commendat Jovius in Elogiis, ſcilicet ad calcem, ubi de obtinendis viventium doctorum Virorum imaginibus ſollicitus, eoſque recenſens, quorum ope munus illud alienæ benignitatis expectaret, hæc habet de ipſo: *Aſpirabit utique nobili voto luculenter Joannes Bellajus, præclaro vetuſtæ familiæ, ac inſitæ virtutis nomine Pariſiorum Antiſtes, & bis merita purpura Senator ampliſſimus. Quid enim amico veteri, erudita præſertim, ideoque minimi ſumptus munera cupienti non tri-*

tribuet? Qui perenni ſtudio Græcis, atque Latinis Muſis ſacra facit, qui ingenia fovet, productaque in regiam eruditi Principis liberalitate, protinus exornanda in luce conſtituit.

Epigramma, quo de Bellaii ab Urbe diſceſſu Sabæus conqueritur, eximias ejus dotes extollit. Eſt autem hujuſmodi, pag. 452.

Ad Henricum Regem Galliæ.

In diſceſſu ab Urbe Jo. Belleii Card. Pariſini.

Magnanime o Princeps, ecquid peccavimus in te?
Supplicio inſontes plectimur ecce gravi.
Eripuiſti illum, quem dicere poſſumus urbis
Lætitiam, laudem, lumen, & illecebras.
Et deſolatæ, morientis Pallados & ſpem;
Hinc Muſæ hæc clamant, Romaque mœſta ſimul:
Quo tu, Mecœnas, properans te proripis? & tu
Quid rapis e noſtro, Rex, Phaetonta polo?
Belleum fuerat melius non noſcere nobis,
Quam ſperaſſe diu, poſt caruiſſe brevi.

Bellaii in pangendis carminibus felicitatem Sabæus in hunc modum commendat pag. 527.

Ad Joannem Belleum Card. Pariſinum.

Somnia ſint teſtes, belli & ſimulachra jocoſi,
Quam te Phœbus amat, Pierideſque favent.
Pangere non poteras per ſumma negotia carmen,
In ſomno, & luſu carmina culta facis.
Contigit Heſiodo per ſomnia ineſſe poetam,
Per ſomnum vates Amphiaraus erat.
Hi curis vacui fuerant, tu vinctus ahenis
Curarum nodis, retibus, & laqueis.

Ad eundem.

Jane cubans recinis, ludens & carmina ludis,
Ecquid quum ſtudeas, & vigilabis, erit?

At

At longe frequentius eſuritionem ſuam Bellajo aperit, quin libere etiam eidem improperat, ut ſubſequentia Epigrammata oſtendunt.

Ad Joannem Belleum Card. Pariſinum. pag. 475.

A te ſi nequeo verbum extorquere nec unum,
Num ſperare tuas poſſe licebit opes?
Tu mihi dicebas, non unius eſſe diei,
Quam tecum ſanxi fidus amicitiam.
Juraſſem æternam, colui quam pectore toto,
Tunc tuus, ut viſum eſt, mutuus ardor erat.
Intepuit, quia fictus erat, vel nullus, & erro,
Quem non cœpiſſent, frons tua, verba, domus?

Ad eundem. pag. 490.

Muſæ ibant triſtes, & ego tunc triſtior illis,
Dudum explorata Principum avaritia.
Quid faciam? nix alba caput jam tinxit, egeſtas
Me premit, o miſerum terque, quaterque ſenem.
Invalidus nequeo duros verſare ligones,
Marceſco, & vires conſenuere meæ.
Erubeo pulſare fores, & dicere, egenti
Porgite, mendicis non ego natus avis.
Quamvis ille meas & oves abſumpſit, & agnos
Pontificum vere maximus ore Leo.
Tu, Bellæe, inquam, flos fragrantiſſimus inter
Lilia cana nitens, purpureaſque roſas,
Spera, inquis, vos & ne deſperate Camœnæ,
Gallorum larga nobilitate Ducis.
Nam ſpes, & ratio ſtudiorum in Principe noſtro,
Qui decus eſt Phœbi, Pieridumque chori.
Spero equidem, dixi, inſpiciens quod lilia ubique
Cana, & apud Gallos aurea facta nitent.

Ad eundem. pag. 531.

Poſtquam infelicem mater me fudit in auras,
Uſque novercata eſt ſors mea dura mihi.
E patria ejecit puerum, puerilia colla
Subjecitque jugo continuata gravi.

Pau-

Pauper, egens, & inops ſemper, nunc fractus ab ævo
Sum mage, quam fuerim pauper, egens, & inops.
Purpurei Patres, Reges, ſummique Monarchæ,
Bis duo Pontifices verba dedere mihi.
Si Bellæe etiam, qui tot promiſſa dediſti,
Illudes & tu, Cæſarianus ero.
Succendam & libros, ſupra caput atque ſororum,
Et Phœbi infringam plectra, lyram, calamos.

Ad eundem. pag. 552.

Res non bella fuit, quod tu, Bellæe, negaſti
Vina ſeni; dices non mea culpa fuit.
Errarunt ſervi; quin tu, qui dicere ſervis
Debueras, vati fundite vina meo.
Non tantum bona vina ſeni, ſed larga, penumque,
Quæ mihi pica canit garrula dulce melos.
Reſpondes, cauſa eſt oblivio, pejus oberras,
Namque amor, atque fides immemor eſſe nequit.
Peccatum emenda majori fœnore, vatem
Nam jugulare ſenem eſt, vina negare ſeni.

Non deſunt tamen Epigrammata, quibus Sabæus a Bellajo munere aliquo affectus, eidem gratias agit:

Ad Joannem Belleum Card. Pariſinum. pag. 450.

Non debes, noſtræ tibi ſi placuere camœnæ;
Gratia ſumma mihi eſt, quod placuere tibi.
Ipſe minus debes, ſi diſplicuere; relatum
Nam tibi ſat damni, quum tibi diſpliceant.
Tu tamen his, atque his donas, ut munere diſcant,
Diſplicuiſſe minus, vel placuiſſe magis.

Ad eundem. pag. 509.

Tempore, quo Reges æterna in ſæcula Regi
Myſtica dona ferunt ex Oriente ſophi,
Tempore eodem aurum Fauſto, Bellæe, dediſti
Munus honorificum, convenienſque tibi.
Nam ſceptro es dignus, teſtantur plurima, ſed plus
Aurea dona tua hæc, regia & iſta dies.

Ad Carolum Cardinalem Lotharingum bina affe-ram Sabæi hendecaſyllaba, precibus, & quæſtubus de more referta, ſubdamque octaſtichon, in quo præter modum in eundem excandeſcit,

Ad Carolum Lotharin. Cardin. pag. 517.

Ad te, Carole, temporum, & ſenatus
Expectatio ſumma purpurati,
Lubentes veniunt mei labores,
Immo delitiæ meæ, & lepores,
Tanquam nuntia, & obſides meæ in te
Obſervantiæ, amoris intimique.
Ut te judice judicentur, an ſint
Digni accedere Regios penates,
Regiſque intuitu frui, oſculari
Invictaſque manus, pios pedeſque.
Quod ſi duxeris eſſe, mi Palemon,
Dignos Principe Principum, Ducumque,
Ut Bellajus undecunque doctus,
Summi & judicii elegans Poeta,
Virtutum & reſonans chelys tuarum
Sentit, judicat, approbatque, & inſtat.
Henrici auſpiciis, favore, juſſu
Ex hoc carcere, gentium in theatrum
Ibunt, ut referant ubique grates
Henrico, & tibi, militentque Regi.
Pulchrum cernere Principes, Tetrarchas,
Reges regia ſigna tot ſequentes,
Regi & plaudere Rhetores, Poetas,
Regi & cœlicolas favere noſtro.
Hæc ſunt quæ dico, dedico, atque ſacro
Henrico, minimus licet Poeta,
Tanto inquam minimus Poeta, quanto
Rex eſt maximus, optimuſque Regum.

Ad eundem pag. 525.

Jucundiſſime Principum meorum,
Qui meis retinent locum in medullis,

Bellæum excipio meum, tuumque,
Si quid promerui, velis libenter,
Si non promerui, rogo, obſecroque,
Communi Domino, tuoque Regi
Integerrimo, & optimo, atque dio
Commendare meæ dies ſenectæ,
Illos ut foveat favore, & ære,
Donec vixero, & interim precabor,
Felici auſpice vivat, & triumphet,
Victis hoſtibus improbis, ſuperbis.
Dices, non ſatis eſt, Deos precari.
Urgebo numeris potentibuſque,
Templa, altaria thure concremabo.
Num parvi, hæc tibi præmia æſtimantur
Pro victu ſenis unius minuti?
Hæc placant Superos, placentque eiſdem.
Si non extiterint Dei, Deæque,
Hæc ſunt, quæ faciunt Deos, Deaſque
Thura, & carmina, & obſecrationes.

Ad Deum de eodem. pag. 591.

Juſte hominum judex Deus aſpice, denique vindex
Reſpice, quam fruſtra pulſo, peto, & repeto.
Quos Carolus debet nummos, ſum pauper, egenſque,
Aes nequeo a magno Principe habere meum.
Neſcio quid faciam, fac tu, potes ipſe potentem
Flectere, ne dicam cogere, coge tamen.
Poſtquam, quem numeris cecini, & ſuper aſtra locavi,
Deturbare aſtris cogor, & a numeris.

Item ad Cardinales Matiſconenſem, Turnonium, Arminiacum exſtant Sabæi Epigrammata, quæ miſſa facientes, unum tantum, antequam e Galliis excedamus, hic ſubjungimus utique facetum, & terſum, p. 485.

Ad Gulielmum Pont. Megalonenſem.

Ante fores clauſas binis nec profuit horis,
Jejunus, menſam quum popularis, eram.

Alloquor hunc, illum; dixere, morare parumper,
Jam Gulielmus adeſt. Non venis, inde abii.
Neſcio quis noſtrum in culpa, expectare moleſtum.
Damnoſum Siculas deſeruiſſe dapes.
Dixero ſi verum, parcas, peccavimus ambo,
Attamen eſt venia dignus uterque ſua.
Ille ego diſcedens, tardans reus ipſe fuiſti,
Sed tuus utilior, quam meus error, erat.

Epigrammata Sabæi ad Italos Cardinales longe pauciora ſunt, quam ad Gallos, & ex illis quinque dumtaxat recitabo:

Epitaph. Card. Aleandri. pag. 424.

Cur tumulo non inſcripſi mea nomina quæris,
Ingratus quum ſit, mutus & iſte lapis?
Qualis eram dicent, & quis, pleno ore Quirites,
Si mage vis, dicent, Græcus, Arabs, Solymus.

Ad Alexand. Farneſ. Card. pag. 580.

Quum canerem Pauli Princeps te die nepotem,
Inter thermarum diruta ſaxa ſedens,
Sæpe mei rediens ad me ſermonis imago
Illuſit verbis per mea verba meis.
Dicebam quis tu? dixit, Tu, forſitan alter
Fauſtus, an alter ego? Vox referebat, Ego.
Dic ubi ſis? Ubi ſis, mihi reſpondebat imago,
Fac, ut te inveniam, rettulit hæc, Veniam.
Expecto, ſed fruſtra, iterum loquor, illa loquuta eſt
Quæque ego dicebam, reddidit illa eadem.
Antra intro, nullum vidi, deluſus ab Echo
Erubui, & riſi, ſed magis erubui.
Tunc magis accendor cantu te extollere, cernens,
Quod te cognoſcunt concava ſaxa, & amant.

Epitaph. Antonii Pucci Card. pag. 529.

Huc veniens hoſpes miraberis, unde ſepulchrum
Singultu hoc reſonet, luctibus & madeat.
Hic Pucci oſſa jacent Antoni condita, circum
Tybris, & Aonides flent, Chariteſque ſimul.

Vir-

Virtutem, ingenium excellens, moreſque benignos
Diſcito ab inſuetis queſtibus, & lachrymis.

Ad Petrum Bembum Card. p. 544.

Et tu, Bembe, veni virtute vocatus ad oſtrum,
Præmia & emeriti larga laboris habe.
Sudaſti, requieſce inter ſacra lilia, & illum
Hic cane, qui facit hæc otia tuta tibi.
Nam Paulo auratum debes plectrumque, lyramque,
Quod te inter mundi lumina tanta locat.
Fortunate ſenex, merito tibi contigit uni
Laurea pro numeris, purpura pro hiſtoriis.

Ad Muſas pro Bernardino Scotto Card. p. 590.

Muſæ inopes laceræ, & triſtes attollite vultum,
Sat vos pauperies conficit, atque jugum.
Illuxit mihi ſtella favens, nova, clara, futuræ
Promittens vitæ tempora læta meæ.
Si venient, eritis dites, ſin fata negabunt,
Parca brevi expellet pauperiem, atque ſitim.

Denique Epigramma ad Card. Campegium telæ judiciariæ moras, & ambages taxat pag. 491.

Ad Alexand. Card. Campegium.

Non niſi juſta velim; dices, petis ardua; quæ ſunt?
Judicii telam ſolvere poſſe brevi.
Cauſidici, & Scribæ, & Judex, & Curia, clamant,
Immo ipſe exclamo, differor, & ſpolior.
Ingeminabo etiam, excorior vivenſque, videnſque,
Sentiat ut tellus omnis, & Antipodes.
Telam hanc Penelope, telam hanc contexit Aragne,
Non eſt judicii tela, ſed exitii.

Hactenus de præcipuis Sabæi Mecœnatibus, Poetas ſui temporis, quos ipſe chariores habuit, plura Epigrammata indicant. Quatuor tantum afferemus.

Ad Angelum Claretum. pag. 407.

Inter amicitiæ dulciſſima vincula noſtræ,
Angele, ſtas princeps nobiliore loco.
Hoc tua vult virtus, & digni nomine mores,
Et tua inaurato pectine blanda chelys.
Dux mihi primus eras dulces Heliconis ad undas,
Quum me torqueret ambitioſa ſitis.
Sub Styge ſi idolum, circum oſſa errabit, & umbra,
Uſque inerunt memores illud, & illa, tui.

Ad Joannem Cottam. pag. 500.

Pars non parva meæ quondam, mi Cotta, ſalutis,
Cotta, ſodalitii primaque cura mei.
In ſtudia o quoties ego te, luſuſque vocavi,
Has ſcio jam nugas perplacuiſſe tibi.
Non tamen abſiſto, quin toto pectore amem te,
Tam tuus & nunc ſum, quam tuus ante fui.
Nec locus, aut tempus tanto me abjunget amore,
Quin & amem, & cupiam dimidium uſque mei.

De Romulo Amaſeo, & Fauſto Sabæo. pag. 513.

Romulus, & Fauſtus ſocii, Phœbique ſequaces
Junguntur nodis ex adamante ſimul.
Hoc antiquus amor, tum candida vita, novemque
Innectunt Muſæ vinculum amicitiæ.
Ambo ſenes, ambo nati infelicibus annis,
Principe ſub docto, & doctus uterque jacet.
Cogitur eſurie hic, hic ne laceretur, abire,
Fauſtulus e patria, Romulus urbe ſua.

Ad Jo. Franc. Stoam, & Peregr. Longulum. pag. 420.

Longum iter, & ſeries annorum longior, ingens
Pondus, & aſſidui bibliotheca jugi,
Eripiunt optata meæ ſolatia vitæ,
Chara ſodalitii ſtringere colla mei.
Te, Stoa, pars animi, ſed pars quam maxima noſtri,
Te, Peregrine, animæ portio ſumma meæ.
Vos equidem tantum cumulatis laudibus orno,
Quantum vos patriam moribus, & ſtudiis.

At

At quia non licuit, nec Di aſſenſere petenti,
Viſu horum, o numeri, me ſaturare ſatis,
Dicite vos ſaltem, nam me noviſtis, utrumque
Quam cupiam ardenter, quam reverenter amem.

Amicorum ſuorum, qui Romæ aderant, nomina colligit Sabæus in Epigrammate, quo illos ad diem natalis ſui celebrandum invitat p. 419.

Ad Amicos.

Cras meus, o chari, vitæ natalis ocelli,
Annuus adveniet, vos properate ſimul.
Gloria Vida Padi, tuque o ſcrutator olympi,
Davidicæ interpres Eugubianæ lyræ.
Tuque, Alfonſe, Deum cui cura eſt templa tueri,
Cæſar, & o Comi Paſtor amate novi.
Si potes, o Bloſi, ſecreta relinquere Pauli,
Pectore tuque, Niger, candidiore veni.
Tu quoque, Ferrari, & tu, Majorane, venite,
Portio uterque animi, tuque, Gulielme, mei.
Linguæ utriuſque, aderunt vina & facunda, diſertos,
Quæ vos invitant diſſeruiſſe viros.
Vos afferte ſales, dicteria, ſcommata, riſus,
Danda voluptati eſt craſtina tota dies.
Et quia præ foribus ſtat mors inopina, bibendum eſt,
Occupet impotos ne via longa necis.

Hujus Epigrammatis clauſula non unus eſt locus, qui Sabæo liberiores aliquando luſus, parumque religioſos ſales placuiſſe demonſtrat. Liber quartus, quem, ut dixi, de Amoribus inſcripſit, mollibus, obſcœniſque jocis redundat. Tres alios de Amoribus libros a ſe compoſitos memorat ipſe, & amiſſos deplorat his hendecaſyllabis pag. 840.

Deploratio trium librorum de Amoribus amiſſorum.

Num dulces patiar latere flammas,
Et noſtros penitus perire amores,
Quos luſi in tenera canens juventa,

Et

Et nunc in gelida fleo ſenecta,
Ereptos mihi fraude, furto, & arte?
Nam quum me Leo maximus Sacerdos
Vellet mittere nuntium rigentis
Ad Reges Aquilonis, & Tetrarchas,
Ut libros redimam ſitu, & tenebris,
Muſaſque in Latium exules reducam;
Tres libros Epigrammatum meorum,
Si minus lepidos, tamen facetos,
Aſperſos lacrymis, doloribuſque,
Verum dulcibus, immerentibuſque,
Non ſcriptos calamo, ſed & ſagittis,
Fuſo & ſanguine vulnerum meorum,
Commendans ſocio meo reliqui,
Tanquam delitias, meoſque ocellos.
Poſt longum ſpatium reverſus Urbem
Cum multis ſpoliis, velut triumphans,
Quos liqui ſocio libros requiro;
Tunc impalluit, & tacet poeta,
Admiraus repeto meos libellos,
Audacter negat, impudenſque jurat,
Non tres non habuiſſe, ſed nec unum.
Impugno magis, ille plus negabat,
Clamans clamito, rurſus, atque rurſum
Impugno, tono, redde mihi, latro,
Libros non modo, ſed meos ocellos.
Tunc me ſomnia ſomniaſſe dicit.
In jus meque vocare comminatur.
Infelix quid agam? ſinam ne flammas,
Et meos penitus perire amores?
Saltem reliquiæ furentis ignis,
Quæ duratis adhuc meis medullis,
Extra erumpite languidæ o favillæ.
Nil præter cinerem mihi relictum,
Sopitum cinerem, aridum, & ſepultum.
Conſultiſſime Apollo, conſulas mi.
Tu vero Arcitenens puer rapinam
Communem face vindica, & ſagittis.

Vos o Pierides piæ, & pudicæ,
Quod vos proſtituit malus poeta,
Redde, dicite, quos rapit libellos,
Furta non faciunt bonum poetam,
Nam rariſſimus eſt bonus poeta:
Quaque ex arbore non dolatur Hermes,
Nec ex floribus omnibus, vel herbis,
Mella nectareæ legunt meliſſæ.

Ea Sabæi in obſcœnis argumentis tractandis licentia clarius ſe prodit in iis Epigrammatis, quæ ſive ex Græcæ Anthologiæ, ſive ex Ovidianæ Metamorphoſeos turbidis fontibus in libros ſuos derivavit. Poeticarum ſiquidem fabularum theſaurus, Francofurti editus, pictaque Poeſis Ovidiana inſcriptus, magna ex parte conſtat Fauſti Sabæi Brixiani carminibus. Inter Græcæ vero Anthologiæ Interpretes Sabæus etiam connumeratur, quantaque cum laude vires ſuas expertus ſit in ea Sparta adornanda, ii facile cognoſcent, qui ad aliquot Græca Epigrammata interpretationem Sabæi cum aliorum doctorum Virorum interpretationibus comparabunt.

Fauſti facilitatem in ſcribendo, ſecundo plauſu, dum viveret, exceptam fuiſſe, teſtatur Scaliger Poetic. l. 6. at dum ſubdit, ſcholas tamen ſapere illam juniorum, id de Fauſto noſtro, non eſt, cur exiſtimemus, jure poſſe affirmari. Ut ea Fauſti facilitas Lectori magis, magiſque commendetur, placet ultimoloco afferre tetraſtichon, quod mihi hæc ſcribenti occurrit:

De M. Juventio Talpa. pag. 267.

Talpa ubi poſt victos Corſos perlegit honores,
Urbs ſibi quos dederat, lætitia occubuit.
Quid ſi viciſſet Pœnos, Galloſque, Scythaſque?
Credibile eſt, illum bis voluiſſe mori.

Sile-

Silere nolo, Sabæi interpretationem ad hederæ fabulam allegari, & recitari in Adnotationibus ad Opera Garciæ Laſſi, ejus inquam præſtantiſſimi Hiſpani Poetæ, qui teſte Jovio ad Elogiorum calcem, Horatiana ſuavitate Odas ſcribere ſolitus erat.

De Arnobii Diſputationibus, Fauſti Sabæi ſtudio, in lucem eductis, unde reliquæ omnes Editiones poſtea propagatæ ſunt, ejuſque impenſa impreſſis Romæ an. 1552. apud Franciſcum Priſcianenſem Florentinum, alibi redibit ſermo. Id ſolum hoc loco adnotamus, rem ſatis miram videri, hominem, cui nil frequentius in ore, quam *langueo*, & *eſurio*, ſumptus ad amplam eam, nitidamque Editionem ſuppeditare potuiſſe.

III. Jovitæ Rapicii Poeſis eo caſtior, ac ſanctior, quo liberior, ac procacior cenſenda eſt illa Fauſti Sabæi. Vidimus enim, dum in Oratoriis verſaremur, Jovitam noſtrum, præter libros de Oratorio numero, metricam Paraphraſin etiam in Davidicos Pſalmos elucubraſſe, ac Reginaldo Polo una cum libris illis nuncupaſſe. Sapientiſſimum hunc Cardinalem M. Antonio Flaminio auctorem fuiſſe, ut ad ſacrum illud argumentum eam, qua in pangendis carminibus excellebat, peritiam converteret, a Thuano Hiſtor. Tom. 1. l. 8. proditum reperimus; indeque conjectabit quiſpiam, & Rapicium eidem Cardinali addictiſſimum, ut ejus genio gratificaretur, illi ipſi Spartæ manus admoviſſe. Quæ res quam feliciter ei ceſſerit, Lector ipſe dijudicabit ex Paraphraſi in unum, & alterum Pſalmum, quam ejus oculis ſubjiciam; adjungamque in eos ipſos Pſalmos ta m

tam M. Antonii Flaminii, quam Georgii Buchanani Paraphraſes: qua ex comparatione ſi elegantiſſimis illis Interpretibus Jovita noſter palmam minime præripuiſſe cenſeatur, fatebitur tamen Lector, hujus Interpretationem dignam eſſe, quæ minime deliteſcat (quod illi, neſcio quo fato, contigit) ſed quæ una cum duabus illis jure, & merito ob ſtyli candorem celeberrimis doctorum Virorum amorem, laudeſque aſſequatur.

Pſalmus XXII. Dominus regit me *&c.*

Quo mibi curas toties inanes
Sumo? quid triſti metuens ſenectæ
Erro, & in caſſum meliora feſſus
Paſcua quæro?
Me meus paſcet Dominus, nec ultra
Deerit: aprico dabit ille campo
Ludere, intactas ubi vagus herbas
Irrigat amnis.
Nec greges tantum canis æſtuoſi
Carpere extenta potuere luce
Ros, brevi quantum tacitæ reponit
Noctis in umbra.
Me mihi reddet Dominus, nec ultra
Limitem rectum feret evagari,
Calle, ſed dextro per amœna ducet
Strata viarum.
Nocte ſi denſas nemorum per umbras
Valle in obſcura ſit iter, feræque, &
Monſtra præſentem mibi comminentur
Undique mortem,
Me tuo paſtor baculo tueris,
Virga me reddit tua cautiorem,
Ulla ne duri facies laboris
Mi nova ſurgat.

Quid, quod & menſam, atque epulas paraſti
Regum: ut unguentis bene delibutus,
Aureis ducam pateris falerni
Nectaris undam?
Spectet ut lætum malus: & retorto
Hoſtis avertens ſe oculo, dolores
Sentiat veros, nec inane vulnus
Pectoris ægri.
Tu manum ſemper bonus invocanti
Porriges: ut mox ſuper aſtra tecum
Des mihi clemens habitare olympi
Cærula templa.

M. Antonii Flaminii Paraph. in eundem Pſalmum.

Rex cœlitum eſt paſtor meus,
Nihil boni deerit mihi,
Uberrimis in paſcuis,
Amœna propter flumina
Me ſpiritus ſanctiſſimi
Aura beata recreat,
Dulcique mentem pabulo
Nutrit ſuæ ſcientiæ.
Miſerrimus animus meus
Dum longius abit a Deo,
Erraverat procul a via,
Quæ ducit ad cœleſtium
Oras beatas, at Deus
Meæ miſertus miſeriæ,
Benignitate maxima
Quæſivit illum ultro, & ſui
Reduxit ad caulas gregis.
Si ſola ſolus per loca
Inermis eam, ubi plurima
Imago mortis territat,
Interritus perrexero,
Cuſtode ſecurus Deo.
Me virga, paſtor optime,
Coercet errantem tua,

Ne gravius offendar cadens,
Tuo bacillo fulcior.
Me menſa roborat tua,
Me dulcis exhilarat calix
Tuus, oleo foveor tuo.
Nec me, pater dulciſſime,
Per has inexplicabiles
Vias euntem deſeres
Unquam, ſed ad tuam domum
Duces, ubi vita fruar,
Et ſempiterno gaudio.

Georgii Buchanani Paraph. in eundem Pſalmum.

Quid fruſtra rabidi me petitis canes?
Livor propoſitum cur premis improbum?
Sicut paſtor ovem, me Dominus regit:
Nil deerit penitus mihi.
Per campi viridis mitia pabula,
Quæ veris teneri pingit amœnitas,
Nunc paſcor placide, nunc ſaturum latus
Feſſus molliter explico.
Puræ rivus aquæ leniter adſtrepens
Membris reſtituit robora languidis,
Et blando recreat fomite ſpiritus
Solis ſub face torrida.
Saltus quum peteret mens vaga devios
Errorum teneras illecebras ſequens,
Retraxit miſerans denuo me bonus
Paſtor juſtitiæ in viam.
Nec ſi per trepidas luctifica manu
Intentet tenebras mors mihi vulnera,
Formidem duce te pergere: me pedo
Securum facies tuo.
Tu menſas epulis accumulas, merum
Tu plenis pateris ſufficis: & caput
Unguento exhilaras, conficit æmulos,
Dum ſpectant, dolor anxius.

Me nunquam bonitas deſtituet tua,
Profuſuſque bonis perpetuo favor:
Et non ſollicitæ longa domi tuæ
Vitæ tempora tranſigam.

Jovitæ Rapicii Paraph. in Pſal. CXXXVII.
Super flumina Babylonis *&c.*

Superba muris qua Babylon novis
Labentis inter murmura fluminis
Miratur, atque hortis amœna
Penſilibus reboare tecta,
Captiva pubes luximus: & genas
Corrupit inſtar fluminis exiens
Vis lacrymarum: te Sion, te
Patria, vos Solymi penates,
Dum flemus: eheu non cithara, aut lyræ,
Non nabla dulces ediderunt ſonos
Abjecta humi, aut ſuſpenſa paſſim
Arboribus, fide diſſoluta.
Ludebat hoſtis, quì a patrio lare
In ſervitutem traxerat aſperam, &
Mutare nos fletum ſuperbus
Pieriis fidibus jubebat:
Ceu fas ſit, inter fictilium deum
Tot monſtra, Oſirimve, aut Phariam bovem,
Aut Belon, aut latrantem Anubim
Carminibus celebrare ſacris.
Vigor rigentem deſtituat manum,
Et lingua ſiccis faucibus hæreat,
Si barbito tentem, aut canora
Voce deos ceciniſſe mutos.
Non terror atrox, non manus inſolens,
Non ulla vis e pectoris intimo
Avellet unquam altam Syona,
Atque Dei patrios honores.
Nos, ſive eoa lucifer e domo,
Nos, ſive Iberis heſperus e vadis

Sur-

Surget, nigrantes ſeu quadrigas
Nox trahet humida, te canemus.
Tu ſævam Idumen in Solymis malis,
Atque aſperantem vocibus impiis
Flendas vel hoſti ipſi ruinas,
Percuties memori flagello.
Heu quantus horror te Babylon manet:
Heu quot tuorum corpora civium
Euphrate inundans ſanguine, heu quot
Scuta virum, galeaſque volves?
Cum juſta victor ſupplicia exiget,
Longis prehenſas qui Aſſyrias comis
Matres, & infantes, ab ipſis
Uberibus ſine more raptos,
Allidet ad ſaxa, at rapidus domos
Et templa divum depopulabitur
Injectus ignis: & parentum
Ante oculos pavitans juventus,
Confoſſa duris vulneribus cadet:
Servata lævo ſydere in hæc mala
Flebit ſenectus: nec dolores
Alloquiis aliquis levabit.
Poſcet ſevera olim has Nemeſis vices,
Laudetur ut qui diruerit rogos,
Atque oſſa ludens diſſiparit,
Inſiliens cineri ſuperbo.

M. Antonii Flaminii Paraph. in eundem Pſalmum.

Dum nos ferarum gentium crudelitas
Deſideratæ patriæ dulci ſolo
Exterminatos detinet, juvat procul
A civitatis barbara frequentia
Sedere ſolos ſola propter littora
Euphratis. Hic comantium noſtras lyras
Suſpendimus ramis ſalicum, & uberrimam
Vim lacrymarum fundimus, tui Sion
Dulcis recordantes, tuamque maxime
Rex cœlitum orantes opem ore ſupplici.

At interim adiens paſtor errantis gregis,
Cantate nobis, ait, aliqua de canticis
Veſtris, quid iſtæ pendulæ tacent lyræ?
Qui nos queamus, obſecro, animum inducere,
Ut canticum ſanctiſſimum noſtri Dei
Cantemus iſtis exulantes in locis?
Si oblitus unquam fuero ſancta civitas
Tui, mea quoque oblita dextra pſallere
Amabiles nunquam lyra eliciat ſonos.
Adhæreat lingua mea faucibus meis,
Ne canere poſſim, niſi ego meminero tui,
Niſi cuncta acerba erunt mihi, & amariſſimo
Amariora felle, donec mœnia,
Tuumque templum reſtituta videro.
At tu, nefanda facta qui mortalium
Ultrice punis dextera, teterrimi
Idumeorum ſceleris uſque ſis memor,
Qui, dum periret civitas tua, impios
Hoſtes furentes vocibus nefariis
Sic incitabant, Pergite agedum, & omnia
Vaſtate, ferro, & igne cuncta evertite.
Babylon ſuperba, & omnium miſerrima.
Beatus is, qui talibus pro injuriis
Te digna ſolvet præmia, atque idem tibi
Large reponet, parvulos a pectore
Natos revellens matrum, & illos aſpera
Ad ſaxa frangens, teque funditus eruens.

Georgii Buchanani Paraph. in eundem Pſalmum.

Dum procul a patria mœſti Babylonis in oris,
Fluminis ad liquidas forte ſedemus aquas;
Illa animum ſubiit ſpecies miſeranda Sionis,
Et nunquam patrii tecta videnda ſoli.
Flevimus, & gemitus luctantia verba repreſſit;
Inque ſinus liquidæ decidit imber aquæ.
Muta ſuper virides pendebant nablia ramos,
Et ſalices tacitas ſuſtinuere lyras.

Ecce

Ecce ferox dominus Solymæ populator opimæ
Exigit in mediis carmina læta malis:
Qui patriam exilio nobis mutavit acerbo,
Nos jubet ad patrios verba referre modos.
Quale canebamus, ſteterat dum celſa Sionis
Regia, finitimis invidioſa locis.
Siccine divinos Babylon irrideat hymnos?
Audiat & ſanctos terra profana modos?
O Solyma, o adyta, & ſacri penetralia templi,
Ullane vos animo deleat hora meo?
Comprecor, ante meæ capiant me oblivia dextræ,
Nec memor argutæ ſit mea dextra lyræ:
Os mihi deſtituat vox, areſcente palato,
Hæreat ad fauces aſpera lingua meas:
Prima mihi veſtræ niſi ſint præconia laudis:
Hinc niſi lætitiæ ſurgat origo meæ.
At tu (quæ noſtræ inſultavit læta rapinæ)
Gentis Idumææ tu memor eſto, Pater.
Diripite, ex imis evertite fundamentis,
Æquaque (clamabant) reddite tecta ſolo.
Tu quoque crudeles Babylon dabis impia pœnas:
Et rerum inſtabiles experiere vices.
Felix, qui noſtris accedet cladibus ultor:
Reddet & ad templum qui tibi damna tuum.
Felix, qui tenero conſperget ſaxa cerebro,
Eripiens gremio pignora cara tuo.

Suam, ut diximus, Paraphraſin Rapicius Reginaldo Polo nuncupavit; at ſuam M. Antonius Flaminius Alexandro Cardinali Farneſio, huncque magna ex parte occaſionem dediſſe, ut ea a ſe efficeretur, ipſemet teſtatur in Epiſtola Opuſculo illi præmiſſa, ne verbum quidem in ea habens de Reginaldo Polo, cui tamen rem totam defert Thuanus. Flaminius enim ibi narrat, ſibi non ſemel in mentem veniſſe tentare, poſſent ne Davidis carmina Latinis verſibus illuſtrari; ſed nego-

negotii primum magnitudine, dein valetudinis imbecillitate, ac poſtea gravioribus ſtudiis vetitum ſe fuiſſe, ne cogitationem illam perficeret; demum quum ſuperioribus diebus Elegiam quandam ſcripſiſſet, & ad ipſum Cardinalem Farneſium, quem ſibi alieniorem factum verebatur, miſiſſet, Aloyſium Priulum, Virum ſumma ſibi neceſſitudine conjunctum, ea Elegia perlecta auctorem ſibi fuiſſe, ut eadem illa ſcribendi ratione Davidis hymnos exornaret. Subdit ibidem Flaminius, ſe triginta tantum Pſalmorum Paraphraſin confeciſſe, plurium certe confecturum, ſi per valetudinem ſibi licuiſſet: *Ut enim* (inquit ad Farneſium) *tecum pro tua ſingulari humanitate loquar familiariter, illud ſcire debes, ita rationem ingenii mei comparatam eſſe, ut nonniſi de nocte in tenebris verſus ego facere poſſim, ut mihi aut hac exercitatione penitus abſtinendum ſit, aut certe vigilandum. Ex qua quidem re etiam factum eſt, ut breviores quoque Pſalmos oratione illuſtrandos ſuſceperim, quippe qui longo uſu doctus exploratiſſimum haberem (quæ ingenii mei eſt intemperantia) quemcumque Pſalmum aggreſſus forem, non intermiſſurum, quoad illum ad finem uſque perducerem, id quod profecto ſine magno vitæ periculo in Pſalmis longioribus facere non potuiſſem; lux enim meditantem fere ſemper oppreſſiſſet.* Hæc a Flaminio in Epiſtola Nuncupatoria ſuæ Paraphraſis narrata Thuani dictum nulla ex parte confirmant, ſed ei potius refragantur; unde facile quis adduci poſſet ad credendum, Jovitam potius noſtrum, quam Flaminium a Reginaldo Polo monitum fuiſſe, ut divinam Davidicorum Pſalmorum majeſtatem Latinis verſibus exprimeret.

Ar-

Arctam tamen amicitiam, ut teſtatur Thuanus, cum Reginaldo Polo Flaminium coluiſſe, demonſtrant verſus lepidiſſimi, quibus Poli catellam querentem inducit Flaminius, ſe a domino deſertam, & Romam ſecum ire prohibitam, & alii etiam, qui leguntur in eo ipſo libello, qui Paraphraſin complectitur, Venetiis edito an. 1548. cui titulus, Quinque illuſtrium Poetarum carmina; eandemque multo magis teſtatur Cardinalis Reginaldi Poli Epiſtola ad Petrum Victorium inter illas Claror. Viror. an. 1568. Venetiis editas, in qua M. Antonii Flaminii nomen ſub Æmilii nomine deliteſcere, facile quivis dignoſcet ex ipſius Victorii ad Polum Epiſtola, quam attulit Jo. Michael Brutus in ſua Collectione Epiſt. Clar. Vir. an. 1561. Lugduni publicata.

Præter metricam illam Paraphraſin, ſoluta etiam oratione Pſalmos duos & triginta explanaſſe M. Antonium Flaminium, conſtat ex Veneta hujus explanationis Editione an. 1538. ſeque ad eam componendam hortatorem habuiſſe Matthæum Gibertum Epiſcopum Veronenſem, ad evulgandam vero Reginaldum Polum, dum ex Gallica legatione revertens Veronæ aliquantulum ſubſiſteret, docet ipſemet Flaminius in Epiſtola ad Paulum III. ei Paraphraſi præmiſſa. Proſaica hæc itaque publicam lucem debet Poli hortationibus; metrica vero (ſi ejus quoque conficiendæ hortator acceſſerit Polus) non alia utique fuerit, quam Rapicii noſtri illa, cujus occaſione de aliis etiam plura diximus. Pſalmorum numerus, quos verſibus expreſſit Jovita, minor eſt illo, quem præfert ſeu metrica, ſeu proſai-

ca Paraphraſis Flaminii; at ſuæ Jovita addidit præterea ſacros quoſdam Hymnos, primum videlicet in laudem Sancti Bernardini, ſex deinde in laudem S. Georgii, atque ultimo loco Juſtitiæ Encomion. Cur Pſalmos tantum breviores Flaminius verſibus expreſſerit, vidimus ſupra; non amplius autem, quam duos & triginta, proſa explanaſſe, in cauſa fuit Hieronymi Fracaſtorii excellentiſſimi Medici monitum, qui Flaminio, ſi longius ire perrexiſſet, vitæ periculum denuntiavit, ut fidem facit ipſe Flaminius in ea ad Paulum III. Epiſtola.

Tradit eodem loco Thuanus, Spinulam M. Antonii exemplo ad eandem laudem, condendæ ſcilicet Pſalmorum Paraphraſis, fuiſſe excitatum. Carmina Publii Franciſci Spinulæ Mediolanenſis edita an. 1563. Venetiis ad manus habeo, inter quæ Paraphraſis illa minime comparet, ſed plura aliorum afferuntur Epigrammata, quibus ea magnopere commendatur, ſcilicet a Paulo Mutio Brixiano, aliiſque, qui incœptum a Flaminio opus ad finem feliciter perductum a Spinula gratulantur. De Spinula, quem Brixianum aliqui faciunt, ſed omnino perperam, nova aderit dicendi inferius occaſio. Unum hic addimus, Flaminium Paraphraſin ſuam compoſuiſſe, dum Tridenti moraretur, ut fidem facit ejus Epiſtola ad Farneſium, eundemque ad Brixianas oras inde aliquando divertiſſe, docent ejus verſus ad Ludovicum Strozzam, quorum initium,

Strozzam Flaminius ſuus ſalutat
Benaci liquidam jacens ad undam
Sub myrto bene olente;

ſuam

ſuam vero Paraphraſin magna ex parte elucubraſſe Buchananum, puriſſimi quidem eloquii, ſed nequiſſimæ doctrinæ, ac vitæ hominem, in Monaſterio apud Luſitanos, in quod detruſus fuerat ipſius nequitiæ ſuæ cauſa.

Ad Jovitam noſtrum redeo, & Lectorem moneo, in Opuſculo ab eo conſcripto, quod de Grammatica re agentes memoravimus, ita puerilem inſtitutionem enucleari, ut plura in eo ad pueros etiam informandos ad Poeticam diſciplinam utilia contineantur. Moneo inſuper, Opuſculum illud editum an. 1551. Venetiis fuiſſe, omiſſo tamen Proœmio, quod ex libro manu exarato recitavimus. Typographus Franciſco Donato Venetiarum Principi illud dicavit, hunc pluribus de cauſis collaudans, & inter cæteras, quod S.C. Viro optimo, & Reip. amantiſſimo referente, faciendum curaverat, ut in ſingulis Urbis regionibus, quos ex numero Sexterios vocant, Viri bene literati cum ſuo quiſque hypodidaſcalo ita publice conducerentur, ut univerſa totius Civitatis adoleſcentia ſine ullo incommodo habere poſſit, unde bonis literis, & honeſtis diſciplinis fideliter imbuatur. Jovitam Rapicium ejus Opuſculi Auctorem laudat Typographus, & illud plenum bonæ frugis ad amicam ſibi civitatem magno ingenio, & arte ſingulari ſcriptum affirmat, at civitatem illam non nominat, quam codex MS. quo uſi ſumus, declaravit.

Rapicii non in Oratoria tantum, ſed in Poetica etiam diſciplina præſtantiam Thomas Junta Virgilii Maronis Opera ad veterum exemplarium fidem caſti-

gata ei dedicans an. 1552. his verbis teſtatus eſt: *Tu igitur, qui non hujus modo Poctæ elegantiam, ac doctrinam probe introſpexiſti, ſed quicquid, aut in Oratoribus, aut in Poetis reconditum eſt, unus omnium optime intelligis, & adeo copioſe explicas, ut nihil tibi non lectum, nihil non intellectum probes: nec Poetas ſolum, & Oratores ſumma cum laude enarres, illorumque virtutes, ac vitia unus omnium acerrimo judicio dignoſcas, & æquiſſima lance perpendas, ſed ipſe inter primores noſtri ævi Poetas ſis, & quod majus eſt, alios, Poetas, atque Oratores ſubinde facere nunquam deſiſtas; tu, inquam, qui illius jamdudum elegantiam, & doctrinam probe noſti, Virgilium, qualiſcumque eſt, egregiæ meæ erga te, tuoſque voluntatis argumentum accipies.*

IV. Jacobus Bonfadius, M. Antonii Flaminii, de quo modo dicebam, amiciſſimus, locum ſibi vindicat inter præſtantes Poetas. Patria ei fuit Gazanum, vicus amœniſſimus ad Benacum prope Salodium, nam Majores ſuos, ex Germania commigrantes, fixiſſe in eo ſedes, teſtatur ipſemet in Epiſtola Italica ad Hieronymum Segalam an. 1548. quæ exſtat inter Epiſtolas facetas clarorum ingeniorum a Franciſco Turcho collectas. Quare mirari ſubit, certiſſimo hoc, aliiſque documentis refragantibus, a quibuſdam Bonfadium confidenter Veronenſibus tribui, ab aliis vero rem in ancipiti adhuc loco poſitam cenſeri, num Brixianis potius ſit adjudicandus. Vicum illum, ac Benacenſem ipſam regionem quo amore dilexerit Bonfadius, conſtat ex pluribus Italicis ejus Epiſtolis, quæ in Manutiana, aliiſque Collectionibus leguntur. Diſertiſſimam pro-

profecto, atque elegantiſſimam quiſque judicet, quam dedit ex eo ipſo Gazani loco ad Plinium Tomacellum, ut nimirum cum ea ipſa loci amœnitate a Bonfadio deſcripta hujus ſtylus certare quodammodo videatur. Narrat, die Sancto Bartholomæo ſacra ſibi Salodium ad viſendos ludos, Arcadiis omnino pares, levi cymba advecto, ut primum Benaci lacus patuit, illico ex ejus animo curas omnes graves, quibus, ut norat Tomacellus, Patavii torquebatur, diffugiſſe, & in ejus præcordia momento eam ipſam tranquillitatem illapſam, qua beatæ mentes ex tenebroſo demum, turbatoque mortalis hujus vitæ pelago egreſſæ perfruuntur, nihil amplius exoptantes, ſed ſempiterna luce perfuſæ; haud propterea mirandum, ſi Catullus poſtquam & nobilem Rhodum, & Ægæi maris miracula omnia, Poetica libidiſſe ductus, phaſelo ſuo conſpexiſſet, redux ad Benacum, hujuſque captus aſpectu, vota de eo amplius non deferendo, Caſtori, atque Polluci nuncupaverit; lacum illum ex horarum, aurarumque diſcrimine novas ſubinde facies, eaſque intuentibus jucundiſſimas, effingere, quippe qui Adriatici, & Thyrreni maris furorem, & fremitum quandoque æmulatus aſſurgit, quandoque ſubſidit placidiſſimi ſtagni, & leniſſimi fluvii inſtar, Soleque oriente, atque occidente ita aliquando ſplendeſcit, ut velut alterum Cœlum planis porrectum ſpatiis videatur; ejus lacus ripas amœnis oppidis diſtinctas perpetui veris ſpeciem præſeferre, campoſque, & colles felicitatis domicilium videri, fructus omnes ibi, longe quam alibi ſuaviores, viridaria haudquaquam inferiora Heſperidum, Alci-

noi,

noi, & Adonidis deliciis; quoniam vero ita a natura comparatum eſt, ut jucundi alicujus ſpectaculi eo dulcior ſit ſenſus, quo horridior aliqua identidem in oculos incurrat imago, eam ipſam naturam Benacenſis regionis amœnitati conſuluiſſe, montibus prorſus terrificis eidem ad Aquilonare latus ſuperimpoſitis; demum adeo multam, & eximiam eſſe lacus illius, ſoli, & ætheris excellentiam, ut ea bona ſimul ſpectata ſyderibus æquiparari valeant octavæ Sphæræ, cujus ſcilicet imago eſt Benacenſis regio, ſi cœleſtia licet humanis componere. Hæc omnia habet Bonfadius in Italica illa ad Tomacellum Epiſtola, eumque & ſtudiorum ſuorum, & Romani domicilii ſocium, ad Benacenſes illas voluptates invitat, tanquam ad ſaluberrimam, qua & ipſe quoque parumper indigeret, animi medicinam.

Alia exſtat ejuſdem Bonfadii ad Comitem Fortunatum Martinengum Epiſtola, qua magno deſiderio incenſum ſe ſcribit, Academiam ſtatuendi ad Benaci ripas, ſive Salodii, ſive Materni, ſive Tuſculani, cujus ipſe princeps foret, & in qua Ariſtotelis Organo, Ethiciſque interpretandis, dein politioribus literis docendis operam locaret; unde regioni illi decus, ſibi vero & decus, & emolumentum accederet: cui ſcilicet fallaces Aulæ ſpes, nec non ampla palatia in tædium jam tranſierant.

Neque vero Italicis tantum Epiſtolis patriæ ſuæ amœnitatem collaudavit Bonfadius, ſed Latino inſuper Poemate, quod hic recitabo, tanquam ſpecimen egregiæ Bonfadii noſtri in Arte Poetica peritiæ, quamvis nullam ejus nominis (ſicuti nec etiam Jovitæ Rapicii) men-

mentionem fecerint inter Poetas, quos recenſent, neque Scaliger, neque Gyraldus.

Gazanum Vicum deſcribit.

Mœnia quum Saloi, & Benaci litora linquo,
Dextra iter ingreſſum per opaca, & florida rura
Me brevis, & facile acclivis via ducit apricum
In collem, Cereri placitum, patrique Lyæo,
Et placitum Altrici ſemper frondentis olivæ.
Planities jacet in ſummo cultiſſima. Primo
Hujus in ingreſſu oppidulum eſt. Salaminius olim
Fadius egreſſus patria, Patavique ſecutus
Fundatorem urbis, poſuiſſe in litore ſedem
Dicitur, atque plagæ mox acri incenſus amore
Hunc optaſſe locum Gazæ, quam dives avito
Theſauro ſecum extulerat, tum nomine ab illo
Gazanum dixiſſe; propinquis collibus arces,
Claraque magnanimum ſtabant monimenta virorum.
Sed rerum abſumtrix, retroque abſtruſa vetuſtas
Obruta in obſcuris ſecum omnia condidit umbris.
Hinc aciem procul in campos, terraſque jacentes,
Lataque Benaci protendere in æquora poſſum.
Vicini montes, Boreæ de parte, reducit
Et qua Sol radios, quaque altas abdit in undas,
Circumſtant, facies ſpectanti celſa theatri
Formam offert. Sæpe indigenæ videre ſedentem
Pana Deum Arcadiæ, calamos quum inflaret in altis
Rupibus, & Nymphas per ſibila læta vocaret,
Nymphas, quæ plexis redimitæ tempora ſertis
Paſtorum loca ſola petunt, ſilvaſque pererrant,
Omnia complentes luſu, dulcique cachinno,
Naiades quibus aſſultant de rupibus imis,
Solem ubi ad Heſperium præpingui e valle volutus
Flectit iter rapido, atque ſonanti flumine Cliſis,
Quem dulces aurarum animæ comitantur, & alis
Per placidum levibus volitantes aera circum,
Omnem divinis miſcent afflatibus oram.

Dile-

Dilecta ora mihi, Italiæ ridentis ocelle,
Naturæ lætantis opus, ſancta ora Deorum,
Quam lætus, gelidos fontes, flexuſque tuarum
Lympharum, Tempeque ſoli, cœlumque reviſo!
Quamque libens, vix ipſe mihi credo, æquoris undam
Tyrrheni, & Calabrum ſaltus liquiſſe nivales,
Inque tuo incolumis gremio reſidere virenti!
Salve, altrix antiqua, boni ſalvete receſſus,
Et gaudete, Genique loci tu candide fidi,
Voſque Lares, placidi veſtro cum numine amico
Eſſe mihi; & noſtrum tandem lenite laborem.
Te vero & moneo, &, quantum me diligis, Alcon,
Oro, care Alcon; quamquam tua rura reliqui
Invitus, partemque ſui mens ægra requirit;
Ne mihi commemores Atheſim, neu tecta venuſtæ
Alta Coloniolæ. Juvat hic conſumere totum
Sextilem, & dulces inviſere ſæpe ſodales:
Qui lateri noſtro ſe ſe agglomerare ſolebant
Olim, quum primis colludebamus in annis.
Horum in complexu vis priſci emergit amoris,
Ut ſatis æquo animo non me divellere poſſim.
Sed, quum ſe primum decreſcens fregerit æſtas,
Ridebit placido quum Villia Doris in antro,
Me feret auriſluo vaga gurgite cymba repoſtas
Flaminii ad ſedes, ripæ ulterioris in arvis.
Huc occurre mihi: ſimul ad tibi grata vireta
Formelii, & lætos Amathuntidis ibimus agros.
Rodulpho interea, qui ſe cœleſtibus æquans
Divis, purpureo, atque ardenti in murice fulget;
Quemque viam monſtrantem æqui, magnum inclyta patrem
Roma colit, ſtatuam patriis in montibus aras.

Flaminii ſedes, quas ſe inviſurum ſcribit Bonfadius, ſunt illæ ipſæ a Flaminio in ſuperius indicatis hendecaſyllabis ad Ludovicum Strozzam memoratæ, veluti donum Giberti Epiſcopi Veronenſis; nam de Giberto

ibi

ibi Flaminius:

. . . . me cithara bonum Gibertum
Juvat dicere, cujus hic agellus
Mihi munere partus, hunc agellum
Ille donat habere, quo nec alter
Baccho, & Palladi gratior, nec alter
Muſis otia, & abditos receſſus
Præbet commodius; modo hæc benigni
Faxint propria dona di, talenta
Cræſi deſpicio, Midæque acervos.

Quid de Bonfadii Poeſi ſenſerit Paulus Manutius, docent verſus ab ipſo de ejus morte conſcripti, inter quos hi leguntur:

Dulcibus & numeris, & molli doctus avena,
Quum caneret verſus Muſis, & Apolline dignos,
Aerio ſacras deſcendere monte Camœnas,
Atque habitare tuo, Benace, in littore juſſit.

Joannes quoque Matthæus Toſcanus in Peplo Italiæ lib. 3. Bonfadium hoc Epigrammate celebravit:

Non minus intumuit nuper Benacus alumni
Bonfadii, ac Muſis, docte Catulle, tuis.
Bis tamen infelix: rapuit nam Roma Catullum;
Bonfadium letho das, ſcelerate Ligur.
Hiſtoria æternum cujus, fera Genua, vivis,
Immeritum ſæva lege necare potes?
Mitius eſt, quod te ſpumanti vortice marmor
Tundit, & es ſcopulis durior ipſa tuis.

De Hiſtoria Jacobi Bonfadii agemus, dum Hiſtorica perſequemur.

V. Nicolaus Siccus Brixianus, cujus celebre nomen inter veteres Italicarum Comœdiarum Scriptores, Latinis quoque Poetis, de quibus modo agimus, merito accenſendus venit ob carmina ſatis culta, & elegantia,

quæ Taygeti (de qua ſæpe infra) Collectio complectitur. De eo magna cum laude mentionem feciſſe jam vidimus Joannem Marium Matium in Epiſtola ad Cæſarem Gambaram Epiſcopum Dertonenſem, ex qua præterea diſcimus Nicolaum Siccum Romæ obiiſſe, *fatis eo hominem vocantibus, ut Vir Clariſs. in Urbe Orbis clariſſima vitam finiret*. Eam fuiſſe in Aula Romana Nicolai Sicci exiſtimationem, ut niſi mors obſtitiſſet, quam primum rubro galero donandus foret, haud deſunt, qui ſcribant; nec etiam deerit fortaſſe, qui ſuſpicetur, turpe quoddam Epigramma, cujus invidia a quibuſdam noſtra hac ætate in Nicolaum Siccum derivatur, ac proinde parvulam ſalacem formicam (quum id ipſum de Joanne Caſa, auctore ejus Epigrammatis paſſim habito, in vulgus ſpargatur) Romanum ei oſtrum præripuiſſe.

Neque vero literis tantum, ſed militari etiam arte, publiciſque negotiis gerendis Siccus excelluit. Quare & Vercellenſem Urbem e Gallorum manibus fortiter recepit, & demandatam ſibi a Ferdinando Rege Conſtantinopolitanam legationem maxima obivit dexteritate, & Præfecturam Juſtitiæ Mediolani cum eximia integritate adminiſtravit. Hæc omnia ex ejus carminibus nobis innoteſcunt, quorum aliqua hic afferemus, tum ut ea Sicci geſta dignoſcantur, tum ut venæ ejus Poeticæ ſpecimen Lectori præbeatur. Chriſtophorum Madrucium Cardinalem, & Principem Tridentinum, nec non Antonium Perrenotum Epiſcopum Atrebatenſem in primis coluit Nicolaus, quare pleraque ejus carmina ad eoſdem ſcripta fuiſſe comperiuntur.

Ho-

Ex his primo loco occurrit Poema, De origine Pilæ majoris, & Cinguli militaris, quo flumina ſuperantur; mox ſubſequuntur verſus hexametri in Statuam æneam Philippi Regis mira arte per Leonem Aretinum conflatam; deinde Epitaphium Franciſci Olivæ. Reliqua omnia, exceptis quibuſdam diſtichis, De obſidione Senæ, poſtremo loco poſitis, ipſius Sicci geſta complectuntur, quæ ita ipſe deſcribit, ut honorum, publicorumque munerum jam valde pertæſus, nil magis quam animi quietem, ſuique apud Montem Clarium ruris ſeceſſum exoptaret. Recitabo primum ejus verſus aliquot ad Chriſtophorum Madrucium, quos ita exorditur:

Rideor a doctis, quod ſcribens tam rude carmen
Oſtendam id multis, nec me ullus jam pudor urat,
Sed jugulem incautos male compto carmine amicos,
Qui temere occurſant mihi, cum vitiata papyrus
Carnificem longo complectens ordine verſum
Sub tunica latet, auditorem quæ male perdat.
Decipimur ſtulti dulcedine carminis omnes,
Cuilibet eſt ingens proprii vis inſita amoris,
Quæ nos præſtigiis ludit fallacibus, & quæ
Errores ſpecie virtutis veſtit, & ambit:
Id facimus vates, quod turpis beſtia quondam.

Deinde uno, & altero apologo, quo ſuam illam in pangendis, monſtrandiſque carminibus libidinem excuſat, hæc ſubdit:

Sed nimis hæc longum præluſimus, ut citharœdus,
Qui dum diſcordes, ſumpta teſtudine, nervos
Indocto fruſtra concordat pectine nervos,
In cruce ſuſpenſas circum ſe detinet aures.
Jam poſitis redeo nugis ad ſeria, quæ me
Inſomnes cogunt longas producere noctes.

Namque urens poſtquam ſtimulus me impellit honoris
Linquere deriſum populo inſultante Tribunal,
Verſo animo aſſidue, quæ me urbs vicina, locuſve
Excipiat reducem, poſitis inſignibus, & quo
Noſtra ſinu cedat ſenſim inclinata ſenectus.
Ut navis vexata diu male flantibus Euris
Cæca nocte furens, neſcit quo vis ferat, & ſors,
Sic ego, quem venti invidiæ luctantis, & æſtus
Ambitionis agunt, in præceps indigus artis
A geminis trepide portum Pollucibus opto.
Vos mihi, vos eſtis fulgentia ſydera, quæ me
Per ſcopulos oris rapidi, per lurida linguæ
Murmura, & infames dominante libidine ventos,
In tutum vebitis portum virtutis amicæ,
Tuque, Atrebaſque meus, noſtri duo lumina mundi..
Dicite vos animæ illuſtres, quæ certa carinæ
Sit ſtatio, quam jam rodit carioſa ſenectus.
Non vos Inſubres inter laudabitis ut ſim,
Æmula ne occurrens gravium mihi turba virorum
Audeat, ut voti compos, illudere victo;
Neve ſeni ut fecere animalia bruta Leoni,
Certatim inſultet petulans, & prava juventus:
Urbe minus Venetum ſuadebitis ut teneam me,
Ne nive candidior, pura pice nigrior Idæ
Sit Veneto mea ſancta fides ſuſpecta Leoni,
Ampla mihi nec ſunt Romana palatia cordi,
Nam niſi mitra biceps ibi cingat tempora, vel me
Purpurei inſanum paſcat ſpes magna galeri,
Quid facerem ſine ſervitio, ſine honoribus, hoſpes
Parvo animo? neque enim fas eſt obrepere tantum
Stultitiæ, ut poſſim ſpe ſolum paſtus inani
Iſta diu verſare levi deliria mente.
Unde mihi hæc tantum ſupereſt ſpes certa ſalutis,
Ut tandem excuſſoque jugo, vincliſque ſolutis
Aut curru vehar, aut lumbos laſſante caballo,
Pomifero donec Benaci in margine ſiſtar,
Conductaque lacus nitidi lympham rate ſulcem,
Ad tua confugiens reduci pede limina, quæ me

Tran-

Tranquilli ſtatus cupidum, placidæque ſalutis
Excipiant, & amica meæ dent commoda vitæ.

Hos ad Madrucium hexametros alii illico ſubſequuntur ad Epiſcopum Atrebatenſem, quorum argumentum, quantum ipſi Sicco *ſint odio faſces, & inane tribunal, Juſtitiæque manu fruſtra qui ſtringitur enſis*, propterea quod ad tantum gradum evectus, ejus dignitatem proprio patrimonio tueri, quum promiſſa ſibi non adeſſent ſtipendia, cogeretur. Inter alia hæc habet:

Et quamvis nihil hic jam ſim niſi fabula vulgi,
Multus verna mihi tamen eſt paſcendus, & idem
Terve, quaterve procax renovandus veſtibus anno,
Aulæis ornanda domus mea, cum riget annus,
Cum calet, extremis quamvis quæſita Britannis
Sordent. nam melius paries ornatur Hibera
Pelle abeunte hieme, atque æſtas cum fervet in agris,
Temperat æſtivos pellis vitulina calores,
Aut auro pulchre, aut ferro ſignata calenti;
Cœnandum laute eſt, ne, ſi gravis adveniat vir,
Inviſum cupidi, & ſordentis nomen inurat;
Nam quamvis multus ſuperet patrimonia ſumptus,
Inque dies creſcat, quod me gravat, æs alienum,
Attamen (eſt ut opus, utque eſt res credula) vulgo
Credor habere ingens argenti pondus, & auri;
Unde nec hoſpitibus domus eſt claudenda ſuperbis,
Undique quos fallax invitat opinio, quæ me
Per bibulas populorum aures, per compita ubique
Ut bene felicem mendaci prædicat ore;
Stragulaque exornant thalamos, pictique tapetes,
Ne mea pauperies in lucem prodeat, & ne
Hoſpitibus nos accuſet carioſa ſupellex.
Nec minor hinc inopem ſtabuli ſubit altera cura,
Ut fœno paſcantur equi, nec deſit avena,
Et ſtrigile eniteant multa in præſepibus altis.
Acrius hæc miſerum pungunt diſpendia, quod non
Solvuntur promiſſa mihi ſtipendia, quæ tu

Mu-

Munificus mihi larga dari, Cæſarque jubetis;
Undecimus menſis, ni fallor, labitur, ex quo
Germanæ pubi, quæ me comitatur, & anteit,
Immitis nec dat Quæſtor lictoribus aurum;
Interea miſeris ne deſit lens, olus, aut ſal,
Aes præſto, moriens mihi quod pater ante reliquit,
Quæſitum magna virtute, & paupere menſa.

Affert deinde pumilionis apologum, qui in gigantem, quemadmodum ipſe petierat, converſus, mox, ubi ſe obſeſſum ſenſit incommodis, quæ major corporis moles afferebat, ut ea exueretur, popoſcit, eoque apologo allato, verſus illos Poeta ita concludit:

Tu, Perenote, mihi ille es, & pater optimus, & rex,
Qui obſequio victus dulci quondam, & prece blanda
Feciſti e parvo me pumilione gigantem,
Inſignem ventre, & damnoſum faucibus amplis
Servorum, qui me, & patriam ligurire queant rem;
Hanc mihi tu ingluviem famulorum, & inutile pondus
Præcide, & tenues iterum me transfer in artus,
Per genium, fratreſque tuos, perque oſſa parentis
Sancta precor, vitæ tandem me redde priori.
Iſta tibi & muſto, & ſatur autumnalibus uvis
Dictabam ruri Venuſino carmine, dum tu
In Gallos aditus numeroſo milite tentas.

Elegis, qui ſequuntur ad Madrucium, villæ ſuæ delicias deſcribit Nicolaus, & inter alia hæc leguntur:

Quale tamen rus ſit noſtrum prius accipe, quam me,
Madruci, immemorem nominis eſſe putes.
Atque utinam urbanos ipſe aſpernatus honores
Huc venias, rapidis vectus anhelus equis.
A ſtrepitu procul urbano, & diſcordibus armis
Conſpicua in pulchro ſtat mea Villa loco.
Camporum ad medium Claro cognomine Mons eſt
Inter Cenomani pinguia rura ſoli.
Undique planities longo circumvaga tractu,

Per-

Perſimilis placidis eſt maris æquoribus.
Paſcua magna bovum ſunt immetata; nec ullus
Terminat agreſtis grandia rura lapis.
Hinc de parte Euri muſcoſa Mintius urna
Quæ mage ſunt nobis proxima rura rigat.
Uberis inde agri glebas, de monte volutus
Alluit, alpina Mella ſuperbus aqua.
In medio amborum, multus niſi provocet hymber,
It Clyſis placido per mea rura pede.
Hic paribus ſpatiis denſo ordine conſita ſylva
Populeas creſcens explicat alta comas.
Ad latus occidui nemoris ſatis ampla recumbit
Ære mibi, & multo ſtructa labore, domus.
Ad centum cubitos altis directa columnis
Area quadrato clauditur ampla ſinu.
Ædis habet medium gibboſis aſpera ſaxis
Janua, turgenti grata ſupercilio.
Veſtibulum æquales hinc, atque hinc dividit alas,
Dextra mibi, hoſpitibus læva habitanda meis.
Tablini ad medium radiis rota lignea crebris
Volvitur, impulſu prætereuntis aquæ;
Hæc rotat inde aliam, quæ concita grandibus alis
Cit ventos, cum Sol terga Leonis adit.
Dum calet, & lectos hæc molliter afflat heriles,
Et quæ cum multa eſt menſa parata roſa.
Rivus aquæ ſtabulum lambit nugacibus undis,
Unde lutoſa meis crura lavantur equis.
Non deſunt intus thalami laquearibus altis,
Quos circum volitat Somnus, & alma Quies.
Suſtinet extremos curvati fornicis arcus
Aurata in nitido ducta corona loco.
Pulchra ſub aurata circum currente corona
Artificis docta eſt faſcia picta manu.

Idem fere argumentum elegorum aliorum ad eundem Madrucium, niſi quod & ſua erga Cæſarem promerita clarius explicat in diſtichis, quæ ſequuntur.

Un-

Undique turba frequens ſociorum convenit ad me,
Quos trahit ingenii vena benigna mei:
Et fert indigne titulis, & honore carentem
Poſt tria luſtra inopem me rediiſſe domum.
Et quod præſtantes juvenes, qui grandia tractant
Munera, & illuſtri regia lora manu;
Non aliquo inſigni meritum me munere donent,
Unde ſenectuti ſint alimenta meæ:
Conſcia ne noſtrorum operum gens Itala, Iberos
Servitii immemores indicet eſſe mei,
Turcarum qui regna adii pro Cæſare magno,
Nec timui inferni tecta ſubire Dei.
A feſſis & Vercellis velocior Euro,
Averti audaci Gallica caſtra manu.
Et volui, & ſi paſſa foret gens invida facti,
Audebam tacito nocte ſilente pede
Hoſtiles penetrare acies, & mœnibus arci
Obſeſſæ intrepidus ferre Caſalis opem.
At mea præſtantes juvenes, Regemque potentem
Excuſat miris lingua diſerta modis.
Hunc tibi ſilveſtrem per prata virentia verſum
Dictabat claudo naufraga Muſa pede.

Nec aliud argumentum elegorum, qui ſubduntur, ad Gonzalum Pyretium. Aliorum vero ad Joſippum Vidaſchum, Vallis Macræ, in qua tunc habitabat, quaque Ligures a Thuſcis dividuntur, amœnitatis deſcriptio. Adeſt tandem Epigramma ad Mercurium.

Cylleni interpres divum, velocior Euro,
Qui toties ſuperas, iſque, rediſque vias,
Poſt mille exactos varia regione labores,
Iſta juventutis ſint tibi dona meæ.
Undique cerati taurina ex pelle cothurni,
Sellaque, diſpoſitos quæ bene cingit equos,
Et ferula, & geminum calcar, parvumque galerum,
Et cornu, quod ter pendula zona ligat.
Curſor ego his adii ſpoliis fiorente juventa
Ter-

Terrarum quicquid cognitus orbis habet.
Nunc mea cum requiem poſcat vicina ſenectus,
Cumque riget vultus concava ruga meos,
Hæc veteris monumenta mei deſerta laboris
Pendebunt templo munus inane tuo.

Tribuitur paſſim Nicolao Sicco valde elegans de Benedicto Varchio Epigramma etiam in nupera Editione Batava Hiſtoriarum ejus Theſaur. Antiquit. & Hiſtor. Ital. T. 8. par. 2. inter Elogia, quæ iiſdem in ea præmittuntur; at illud Varchium de ſe ipſo confeciſſe, certa prorſus res eſt, quam ejuſdem Varchii Vita accurate compoſita a Sylvano Razzi, & Batavæ illi Editioni præfixa, in qua affirmatur, Varchium ſibimet Epitaphium confeciſſe, afferturque ex eo diſtichon, quo *ſinceri ſectator amoris* Varchius laudatur, æque ac in clauſula Epigrammatis Sicco tributi; & præterea rem extra omnem controverſiam ponit Brixiana, quam ſuperius indicavimus, Taygeti Collectio, Epigramma illud non quidem Sicci carminibus inſerens, ſed ipſimet Varchio adſcribens, & ſub ejus nomine recitans. Eſt autem hujuſmodi.

Benedicti Varchii de ſeipſo.

Si mihi, quæ dederant, neverunt ſtamina Parcæ,
Et Lacheſis jam jam rumpere fila parat,
O mihi dent ſaltem ſuperum pia numina Divum,
Feſulei ut ſumma condar in arce jugi,
Qua patet immenſus partes proſpectus ad omnes,
Et cœlum nullo ridet in orbe magis.
Illic perpetuo devictum lumina ſomno
His inſcripta notis quælibet urna tegat.
Varchius ingenui ſemper ſectator amoris
Conditur hic, totum, quod cupiebat, habet.

Unde acciderit, Epigrammatis hujus auctorem paſſim haberi Siccum noſtrum, haud licet divinare. A Varchio tamen magni habitum fuiſſe Siccum, certum reddunt vernaculi nonnulli ipſius Varchii verſus, in quibus eidem Inſubriæ regnum æqua lance, & ſalubribus conſiliis adminiſtranti, ea tribuitur tam in proſperis, quam in adverſis rebus, eloquentiæ, ac ſapientiæ laus, ut palma præ omnibus ipſi adjudicetur, ut habetur in libello Italica Varchii carmina complectente, Florentiæ edito an. 1555. Tandem ad ejuſdem Nicolai Sicci laudem magnopere faciunt, quæ de eo ſcribit Hieronymus Cardanus in Tractatu de libris propriis, eorumque ordine, & uſu, eundem in exordio ita alloquens: *Tu vero quum nobilitati generis animi quoque ſplendorem adjunxeris, tum ſtudium ſingulare, peritiamque maximam liberalium, ut vocant, Artium, merito de his judicium facere potes. Ego vero nomen tuum, & gloriam, quantum mihi fas eſt, ad poſteros traducam, ut quemadmodum fortitudine, & prudentia præſenti ſæculo notus es uſque ad Indos, ita humanitate, & ſtudiorum amore futuris ſæculis per me quoque innoteſcas.*

Antonius Cerrutus Novarienſis, cujus exſtant carminum libri quatuor an. 1550. Venetiis editi, in quadam Ode lib. 1. Siccum noſtrum invitat, ut ad ſecum celebrandum diem Natalem D. Martini accedat, comiteſque adhibeat Olivium, Martiranum, & Mirthium:

Sicce, ſacri chori
Fontiſque Aonii decus,
Præfecte atque potens Juſtitiæ, vices
Exercens bene Cæſaris,

Si

Si magnis vacuus forte negotiis
Convivam cuperem mihi
Te præstare bodie, namque dies monet
Vivamus genialiter,
Franciscus veniat cultus Olivius,
Nostri gloria seculi,
Seu græco ore loqui, seu latio velit,
Seu scribat veteres sales,
Mœstis seu fuerit præsidium reis.
Vitæ dimidium tuæ,
Et consors studii, tecum utinam sacer
Martiranus & afforet,
Vir summi ingenii, & judicii gravis,
Condens pulchra poemata.
Et posses pariter ducere Mirthium,
Tris putreis ni oleat Deas,
Urbis pernitiem.

VI. Bartholomæum Theanium, cujus sæpe mentionem fecimus, primum locum sibi vindicasse inter Poetas suæ ætatis, affirmavit, ut pariter vidimus p. 148. secund. Part. hujus Specim. Joannes Planerius Quintianus in illustrium Virorum Patriæ suæ enumeratione. Hic enim postquam retulisset, scripsisse Theanium Commentaria de Arte Rhetorica, Declamationes plurimas, nec non Orationem funebrem de Matthæo Avogaro clarissimo Jureconsulto, itemque Orationem de voluptate cognitionis, hæc subdit: *Habet & Poemata plurima, Virgilianam gravitatem, & Ovidianam facilitatem redolentia, nam Brixiam a Gallis captam heroicis carminibus conscriptam edidit.* Carmen hoc de clade, ac depopulatione Brixiana edidit Brixiæ an. 1561. Ludovicus a Sabio, dicavitque Theanius Camillo Capreolo Jurisconsl. & Comiti, eum alloquens hisce hendecasyllabis:

Cur tu verſibus addicare noſtris
Illuſtris Comes, ac benignus Heros,
Prudens, ingenuus, ſagax, facetus,
Si quiſquam penitus cupit notaſſe:
In cauſa potiora ſunt habenda,
Vultus gratior, & nitens venuſtas,
Acceſſus facilis, modeſta verba,
Frons lætiſſima, comitaſque rara,
Vera nobilitas, amanda virtus;
Quam fides, pietas ſequuntur, ornant,
Pallas ſtrenua lucido tridente,
Cryſtalloque fovet, meloque dulci,
Quæ paſſim populus frequenter ore
Extollit vario ſonore, & odis.
His ergo admonitus, timore pulſo,
Præſens hoc volui dicare munus.
Quod ſi, quam deceat, minus videtur,
Jam nec Romulus, Acca quam paravit,
Sprevit ſpiceam Is bonus coronam.
Hæc ſunt primitiæ feracis agri.
Olim proferet ampliora lætus,
Grata hæc ſi fuerint priora noſtra.
Quanquam nil metuo canum latratus,
Nec morſus rabidos, gregiſque inertis
Incultos calamos, notaſque fœdas.
Primus ſi patrios cano labores,
Et luſus refero dei furentis,
Patronum repeto velis adeſſe.
Tanto numine tutius meabo.
Leve eſt, carpere quicquid alter affert,
Sudabit quoties opus relinquens?

Ei Poemati ſubduntur in eodem libello heroici verſus primum ad Dominicum Bolanum Brixiæ Prætorem, deinde ad Hieronymum Confortum, Artium, & Medicinæ Doctorem celeberrimum, ut eum vocat, bonarumque literarum cultorem candidum. Clauditur libellus

bellus quodam Hendecaſyllabo, cujus aliquot verſus recitabo, ut ſuperioribus juncti pro ſpecimine Poeticæ venæ, quam in Theanio conterraneo ſuo, ſibique amiciſſimo laudavit Planerius, deſerviant.

Ad Nicol. Siccum, in Monte Claro Muſas colentem.

Dulces verſiculi mei labores,
Molles candiduli mei ſodales,
Magnæ delitiæ laborioſos
Inter qui mihi jam fuiſtis actus,
Nugarum quibus eſt ſatis, ſuperque,
Nullæ ſed Veneres, Cupidineſque;
Sicco dicite jam ſecunda verba:
Maxime Nicoleos viridis cui tempora laurus
Cingit, & æternum reparat per ſæcula nomen.
Sicco dicite, maxime o Poeta,
Dulces verſiculi mei ſodales,
Theanus tuus ille te ſalutat:
Obſervat qui te, & tua dulcia carmina adorat.
Tibi nunc propriam expetit quietem,
Adſint ocia pectori ſacrato:
Doctæ Caſtalides amœno in antro
Adſint, & tibi Lionora dulcis,
Pluſquam Lesbia jam Catulli amores,
Pluſquam Lydia flamma Horati, & ardor.
Ait, jam tibi floſculos ſuaves
Sumas lætius, herbulaſque olentes,
Quas nunc hortulus attulit colendo.

In Brixiana Taygeti Collectione ex carminibus, quæ leguntur in laudato libello, exitant dumtaxat illa ad Bolanum, at contra afferuntur in ea Collectione verſus ad Hieronymum Maurocenum Brixiæ Præfectum, alii ad Jacobum Aquaneum, alii ad Jo. Antonium Taygetum, qui omnes in prædicto libello deſiderantur.

VII. Cæſarem etiam Duchum ea ipſa Taygeti Collectio nobis exhibet inter Latinos Poetas, qui ad medietatem circiter Sæculi XVI. floruerunt. Hujus Poeſin plures ea ætate commendarunt, & in primis, magna cum eo amicitia junctus, Franciſcus Stoa Quintianus, qui aliquot ad eundem hendecaſyllabos ita exorditur in eadem Collectione.

Cæſar Caſtalidum decus ſororum,
Perlegi hendecaſyllabon politum
Procurrens numeris Catullianis,
Et par cultu elego Propertiano,
Dignum ponderibus Maronianis,
Socco grande magis Terentiano.

Hendecaſyllabon, quod laudat Quintianus, inter Duchi carmina in ea Collectione reperitur, illudque meritos a Quintiano plauſus retuliſſe, ſibi quiſque facile perſuadebit. Eſt autem hujuſmodi:

Ad Quintianum Stoam Poetam.

Pervenit vagus, impiuſque rumor,
Te vitam fragilem, & tuos amicos
Liquiſſe, ad ſuperoſque tranſvolaſſe;
Quæ res nos trepidos ſimul peremit,
Qui te diligimus, pioſque fletus
Fudimus, lacrymas piaſque multi,
(Fere te ſine inutiles futuri)
Cumque non facile ipſe curſitare
Poſſem continuo per urbis oras,
Præclarum, atque tuum, meumque amicum
Truſſum commonui cito, & rogavi, ut
Sciret ſollicitus, quid eſſet iſtud,
Unde hæc fama mala orta, quis ſepulchrum
Vidiſſet? querimonias tuorum
Audiſſet, ſatis, & ſatis docendas?

At demum populum referre dixit.
Nil certi tamen adfuit ſubinde;
Quod paulum pavidos refecit omnes.
Ob id quod ſi inamata Parca vere
Te nobis rapuiſſet; hoc fuiſſet
Crudeli, celerique nuntiatum
Et verbo, & calamo, a viriſque certis.
Sed dulces quoniam timent amici,
Nos rumor dubios, & hæſitantes
Multum detinuit malus; renatus
Donec redditus omnibus fuiſti.
Nos vero jam hilares, bono poeta
Servato, dabimus piis quotannis
Thura altaribus omnium deorum.
Vivas nunc, memorande Quintiane,
Muſis, & tibi, poſteris, amicis.
Dignus Neſtoreos habere & annos
Phœnicis Phariæ, vales quod unus
Omnes, ſeu teneris canis camœnis,
Amplis, ſeu celebras duces latinos.
Revertaris ego velim poeta,
Expectant reditum tuumqne amici,
Ut poſſint citius tuæ dolorem
Mortis deſtruere, & ſimul jocari.

Hendecaſyllabon hoc ſubſequuntur illico elegi in Mulieres veſtes caudatas ferentes, quorum priora afferam diſticha.

Scilicet hæc noſtris deerat quoque fabula damnis,
Cauſaque fœmineæ maxima nequitiæ.
Non erat implicitis ſat frontem ornare capillis,
Et faciem exhauſtis fingere pyxidibus?
Ipſum coccineis intexere veſtibus aurum?
Atque ipſum in vario flectere mille modos?
Pellibus & Scythicis hiemes vitare nivoſas?
Atque æſtus pennis pellere Niliacis?
Cingere ab extremo deductis orbe lapillis

Non

Non digitos ſolum, ac brachia, colla, caput?
Officiumque pedum curvis mandare quadrigis?
Magna ancillarum vos comitante manu?
Ni quoque cauda ſimul traheretur longior ipſo
Corpore, quæ cœnum perpetuo raperet?

In libello Brixiæ edito an. 1570. carmina Academicorum Occultorum complectente Cæſar noſter primus comparet, implentque ejus verſus, quod eorum major ibi ſit numerus, quam in Taygeti Collectione, paginas viginti. Primi deſcribunt laudes ruris, cui prope Sebinum lacum ſe dederat, *procul a rixis urbis, ſtrepituque forenſi*, ut ipſe loquitur in priore verſu. Ruris commoda itidem laudat in hendecaſyllabis ad Hieronymum Bornatum, quos placet recitare, quum Occultæ illius Academiæ Principes recenſeant.

Ad Hieronymum Bornatum Acad. Occultum.

Vates candide, cultior Catullo,
Et verſu melior modis Tibulli;
Cur me ſollicitas, ut hinc canoros
Mittam verſiculos, facetiaſque?
Cum ſcias tenuem eſſe me Poetam;
Cujus fama jacet ſepulta, Phœbo
Qui condit renuente, nec venuſtos,
Nec verſus faciles, nec arte cultos.
Nam diris libitina filiorum
Me (ut ſcis) funeribus, quiete pulſa,
Vexavit toties, necemque fratris
Adjunxit miſeram, feram, cruentam.
Tantis fata etiam addidere damnis
Bilem atram, & maciem, gravedinemque.
Unde carminibus miſer relictis,
Atque urbe, atque foro tumultuoſo,
Rus colo innocuum, & remotum agellum.
Et quamvis Helyconis alti alumnas

Et

Diligam; tamen impiæ immerentem
Me ſpernunt; quoniam viros jocoſos,
Et lætos animos beant beatæ.
Quare ſollicita tuis Camœnis
Julum Martigenum, decus potentum;
Alphonſumve choro novem ſororum
Carum Capreolum; vel elegantem
Lollium, eloquii parem parenti;
Soncinum aut celebrem canendo Amores,
Et Belgam domitum, & feri Sicambri
Conatus; numeriſve perpolitis,
Sanbonifatium, Catulli euntem
Per veſtigia ad Aonum receſſus;
Vel cultum Federicum adire diſce;
Clarum aut Taygetum aureo canentem
Plectro; vel Diomedis ora Salæ;
Quærengumve pete illum (ut ante noſti)
Quem cunctæ Aonides fovent; vel ipſum
Quæras Porcachium probum, & diſertum;
Riccbinum aut tabulis ſuis Apellem
Vincentem, atque modis modos Petrarchæ.
Magni ſunt etenim hi Poetæ, & horum
Labris Caſtalii fluunt lepores;
Occultæque Academiæ columnæ
Hi ſunt, atque tuos canent honores.
Interim aſſiduas preces ego Diis
Fundam, & vota pia, ut maligna pellant,
Et curas adimant, moleſtiaſque,
Ut tandem valeam tuas canendo
Laudes, ingenium meum excitare.

Ad manus habeo libellum Natalis Comitum de Venatione, Cardinali Julio Roboreo dicatum, & ab Hieronymo Ruſcello, cui eum legendum, & exſcribendum ipſe Natalis Januæ conceſſerat, typis Aldi filii Venetiis an. 1551. evulgatum, cui Editioni ſequentes verſus præmittuntur.

Cæſaris de Ducibus Civis Brixiani.

Tempora qui quondam pinxit variantia, fraudes
Et venantis equos concinit, arma, canes.
Atque refert vatem Smyrnæum carmine; ſed ſi
Calliope dictet prælia, regna, duces,
Quum leve par fuerit ſcribens, majoribus uſo
Cedet & Æneidos, Iliadoſque parens.
Ergo cane heroas, juvenum rariſſime, ſolus
Cum poſſis priſcis æquiparare ſonos.

VIII. In citata Taygeti Collectione poſt Cæſarem Duchum, & Nicolaum Siccum, de quibus modo dictum eſt, ſubſequitur illico Andreas Mutius Brixianus. Epigramma ad Dominicum Bollanum Brixiæ Epiſcopum verſibus Mutii in ea Collectione allatis initium præbet, mox legitur duplex Ode ad Marium Truſſum, deinde Hendecaſyllabon ad Blaſium Spongiam Presbyterum, ſequuntur poſtea aliquot Epigrammata, inter quæ bina adverſus P. Franciſcum Spinulam.

Ad P. Franciſcum Spinulam.

Naſutì quidam te dicunt eſſe poetam,
Derident te omnes, Spinula, qui hoc faciunt.
Tu tamen ut verum ſimplex admittis honorem,
Si factus non es, fabula vis fieri.

Ad eundem.

Spinula, Taygeti tu damnas carmina vatis,
Et ſi qua in lucem noſtra Minerva dedit.
Ad Phœbum & Muſas te cogimur appellare,
Nam ſine judicio, quod facis, ipſe facis:
Ni poſt judicium vivas in pace quietus,
Dicemus nimia te furere invidia.

Spinulæ hujus mentionem fecimus agentes de Rapicii in Pſalmos Paraphraſi, eamque a quibuſdam, & in primis a Paulo Mutio Brixiano laudatam diximus. At Andreas Mutius, Jo. Antonius Taygetus, aliique non pauci

pauci, tam eam Paraphraſin, quam univerſam Spinulæ verſificationem valde improbarunt. Adverſarios ſuos nominat, & carpit ipſe Spinula pluribus locis, præſertim in Ode ad Hieronymum Hugonium Juriſconſultum Brixianum, & in Satyra de Itinere ſuo. Prior ita incipit:

Mordear opprobriis falſis, me, candide compar,
Robertus amens vellicet,
Taygeta & laceret cimex, & Bulla Lumati
Conviva rodat perfidi,
Mutius obliquis oculis mea limet ineptus,
Morſu & venenet commoda:
Men' moveant iſti, plures aliique, cathedras
Plorare condiſcentium
Quos inter jubco, numerum, conſumere natos
Fruges, Lyæi & munera?

Initium vero Satyræ de Itinere ſuo hujuſmodi eſt:

Finibus egreſſum patriis me Brixia dives
Mœnibus excepit, Corraro præſide Paulo,
Tulli ubi nobilibus numeroſa volumina ad annum
Expoſui. Proſper ſapiens, Hieronymus Hugo,
Atque propinquus Eques Marius, Marcellus, & ipſe
Hugo, meæ vitæ patres, Divique fuerunt:
Sordidus obliquis oculis ubi Mutius, & me
Taygetus charta cimex læſere cacata.

Thuanum Spinulæ hujus in Pſalmos Paraphraſin quodammodo Flaminii illi æquiparaſſe, ipſum vero & alios indictam prorſus reliquiſſe Jovitæ Rapicii Paraphraſin, ſuperius mirati ſumus; modo Lectorem monemus, in Londinenſi Editione Hiſtoriarum Thuani an. 1733. inter Variantes lectiones adnotari, verba illa, *& Franciſcum Spinulam ſuo exemplo ad eandem poeticæ laudem invitavit*, in aliquibus Editionibus deſiderari.

IX. Auguſti Coccejani, Brixiani Poetæ, nomen non ex ſola nobis Taygeti Collectione innoteſcit, ſed aliunde etiam, ac præſertim ex Pauli Jovii Elogiorum volumine, quum in eorum cenſu referatur, qui ea Elogia elegantibus verſibus vel illuſtrarunt, vel ornarunt. Imo vero horum veluti princeps Coccejanus ea de cauſa dici poteſt, quod in Romulum, qui primus in Jovii Elogiis comparet, ejus carmen legatur.

Auguſti Coccejani Brixienſis.

Heroes, animæ illuſtres, atque inclyta Martis
Inſanientis pignora,
Æternis properat Jovius quæ tradere chartis,
Ut clara vivant poſteris:
Æquo ferte animo ſi primos carpſit honores,
Sedeſque primas Romulus:
Qui genus ætherio ducens e ſanguine, terris
Semen deorum ſparſerit:
Terrarum late dominam conſtruxerit Urbem
Superbi ad undas Tybridis:
Regnatorem Orbis populum formaverit armis;
Almæque pacis artibus:
Cumque omnes hominum meritis ſuperaſſet honores;
Migrarit in Cœlum Deus.

Carminibus aliis Coccejani, quæ ad Jovii Elogia leguntur, omiſſis, allatum in Taygeti Collectione recitabo; in quo duo funera illuſtris Chiſioliæ familiæ, patris ſcilicet, & filii Poeta deplorat.

Auguſti Coccejani Brixiani.

O Mellæ vaga flumina,
O fontes vitrei, qui tremulo pede
Altæ mœnia Brixiæ,
Agroſque alluitis, currite, currite
Exundantibus alveis

Per

Per lætas ſegetes, culta per æquora
Camporum, & lacrymabilem
Fortunam egregii ſanguinis, & domus
Antiquæ Cbiſioliæ
Undis, & lacrymis flete rigantibus.
Nunc quiſquis duo funera
Deplorans, miſeros iugeminet modos;
Patrem ſcilicet optimum,
Et pulchram ſobolem magnanimi viri,
Et dulci a patria procul
Florentem puerum, vaſta ſcientiæ
Dum juris maria impiger
Adverſis Zephyris nauta novus ſecat:
Qualis Veſuvii in jugis,
Aut in Pauſilipi vertice florido,
Liber magne, tibi ſacro,
Ardua vitis amans ſcandere populos,
Diffundit virides comas,
Gaudet tergeminos ſpargere palmites;
Sic ille ad patriæ, & patris
Nomen, nobilium ſic equitum ad decus
Eſt evectus, & aurea
Lucratus ſolidæ præmia gloriæ,
Dum legatus ad Adriæ
Patres, pro patria mittitur eloquens;
Et dum pro miſeris reis
Mollit dura nimis pectora Judicum.
Ex hoc ſtipite tam probus
Surgebat juvenis, dulcia pignora
Felicis patriæ, niſi
Obſtaſſet ſuperum firma neceſſitas,
Quæ cœli ut vacuas domos
Impleret, lepidum cum patre liberum,
Lugentis patriæ decus,
Hinc raptum merita ad ſydera tranſtulit.

Jacobus Bonfadius in Epiſtola ſuperius citata ad Fortunatum Martinengum, cui ſuum de Benacenſi Academia

demia inſtituenda deſiderium aperit, meminit Jacobi Chiſiolæ, de quo audiviſſe ſe ſcribit, præter animum generoſum, ſcientia quoque, & virtute mirum in modum excellere.

Quanti faceret M. Antonius Flaminius Coccejani noſtri in re Poetica judicium, palam fit ex hendecaſyllabis, qui leguntur in libello Flaminii carmina complectente, non illo quidem, cujus ſupra mentionem fecimus, Venetiis edito an. 1548. ſed alio ibidem edito an. 1558. ubi nimirum verſus aliquot Flaminii in priore minime impreſſi reperiuntur.

Ad Auguſtum Coccejanum.

Sic te, candide amice, nullus unquam
Cœleſti Sophiæ, patrique Phœbo
Poſſit carior eſſe, dic amabo,
Num vere mihi dixit Hadrianus,
Te deſcribere, quicquid ipſe ludo
Molli carmine per jocum, atque riſum.
Hoc tu ſi facis, O nimis beatam
Muſam Flaminii, graves, protervi,
Mordaces, critici venena dentis
Veſtri nil metuo, quod approbarit
Auguſtus meus, id probent, neceſſe eſt,
Et Phœbus pater, & novem Camœnæ.

X. Joannis Antonii Taygeti, veſtigiis, quod jam facere cœpimus, inſiſtentes, ad quinque Brixianos Vates deducimur, hiſque tantum nominatis ad ſextum, cui paululum immorandum, illico tranſibimus. Sunt autem Jo. Angelus Taygetus, Paulus Barattus, Ugolinus Palatius ſenior, Simon Angelus Suſpirius, Bigardus Cornelius. Qui eos excipit Calemerius Balneacattus, nec ipſe ob bina Epigrammata a Taygeto recitata peculiari

ri mentione dignus videretur, niſi aliunde etiam ipſe nobis innoteſceret. Elegans ejus Hendecaſyllabon Brixianæ, quam ad manus habeo, Marulli carminum Editioni adjunctum, reperitur, quo cultiſſimi illius Poetæ partes ſe ſuſcepiſſe demonſtrat adverſus aliorum in eundem maledicas obtrectationes. Michaeli Tarchaniotæ Marullo Conſtantinopolitano tantam cum Politiano interceſſiſſe inimicitiam, ut modeſtiæ fines omnes exceſſerit, ex utriuſque Scriptis palam conſtat. Carmina, quibus Politianus Mabilio inſultavit, & ea, quibus Marullus Ecnomum momordit, ad eas ſimultates ſpectare, valde probabile eſt, licet aliqui de hoc dubitent. De earum ſimultatum cauſis aliæ aliorum ſunt conjecturæ. Politianum ſtudio gentis ſuæ abreptum, univerſo gregi doctorum Græcorum, in Italia tunc hoſpitantium, exitiale bellum inferentem, calamum propterea in Marullum acuiſſe, haud ægre quis ſibi perſuadeat. Tantas iras Deum Amorem præterea inflammaſſe, nuperus Scriptor conjectavit. In Marullum acerrime etiam invectus eſt Jul. Cæſar Scaliger Poetic. lib. 6. eum hiſce coloribus pingens: *Marullus totus durus, moroſus, aliorum obtrectator, ſui admirator ſimul, & diffidens. Anxius enim quo dicat modo, hæret negotioſus, omnino invenuſtus.*

A partibus Marulli ſteterunt Bartholomæus Scala, Petrus Crinitus, Actius Sincerus Sannazarius, quos tamen, ſeu odio in Politianum, ſeu amori in Marullum nimis indulſiſſe, plures exiſtimant. Brixiana, de qua loquimur, Editio præter Georgium Anſelmum Parmenſem, Jovianum Pontanum, etiam Callemerium

rium Balneacattum Brixianum iiſdem adjungit, quem certe de partium ſtudio in iis rixis inter Marullum, & Politianum nemo accuſabit. En Balneacatti Hendecaſyllabon.

Callemerii Balneacatti Brixiani in Marullum Carmen.

Quid nunc Elyſiis agit Marullus,
Qui cygno ſene dulcius canebat
Permeſſi ad latices ſacros? canitne
Tecum, blande Tibulle? tecum, Alumne
Sulmonis gelidi? &, Catulle, tecum
Canit, ter lepidos jocoſque promit?
Una & puniceam roſam, albicanſque
Carpit lilium, amaracumque odoram?
Hunc & allicit, & moratur illum
Vultu lætifico? Ecquis in vireta
Illa gratior ivit a trecentis
Annis? hic erat omnium in labellis
Doctorum, o ſatis, & ſuper beata
Tam claro hoſpite, & inclyto vireta.

Ad calcem pariter Centuriæ Epiſtolic. Quæſt. Marini Becichemi affertur Calimerii noſtri carmen de ejuſdem reditu ad urbem Brixiæ, atque ita incipit:

Nunc nunc e Venetum Marinus oris
Claræ mœnia Brixiæ reviſit,
O lucem niveam, o diem beatum!
Doctæ conſpicio Patrem juventæ,
Et charam premo dexteram, fruorque
Gratis colloquiis, quibus dolores,
Menti quos dederat meæ ex receſſu,
Diſcedunt procul. I puer, ſonoram
Huc affer Cytharam, libet Marinum
His ad ſydera verſibus referre.

Ejuſdem Calimerii Epigramma præfigitur Operi P. Pauli Vergerii de ingenuis moribus edito Brixiæ per Ludo-

Ludovicum Britannicum an. 1528. una cum aliis S. Basilii, S. Hieronymi, Xenophontis, & Plutarchi ad idem argumentum pertinentibus Scriptis. Joannem Baptistam Benivolum, Brixianum, qui omnia in eo libello comprehensa recognovit, Balneacattus in hunc modum commendavit:

Calimerius Bagnacatus Jo. Baptistæ Benivolo.

Optarem bifidi tetigisse cacumina montis,
Et caput Aoniis immaduisse vadis.
Nunc te nunc canerem, nec me, Baptista, pigeret,
In decus, & laudes solvere vela tuas.
Quis mage cirratæ doctus discenda catervæ
Tradere? quis turpem pellere barbariem?
Informes veterum facies in lucida membra,
Et bene distinctam vertis in effigiem.
Castigas, auges, resecas, Latioque decori
Das, quæ judicio sint placitura virum.
Perge, precor, libros sic illustrare, supellex
Æterni causam nominis ista dabit.

Aliam eorundem Opusculorum Editionem Florentiæ per Franciscum Dinum emissam exornat ad calcem voluminis Epistola Joannis Calphurnii nostri ad Lectorem, cujus initium: *Habes, optime Lector (te enim appello, qui jam pater effectus) quemadmodum liberos tuos & diligenter educare, & præclaris disciplicinis, ac moribus instituere possis. Auctores autem, quibus hæc continentur, hujusmodi sunt, ut, quidquid dixerint, fere pro lege habendum sit.*

XI. Joannes Marius Matius, de quo non semel superius dictum est, ut Brixianis Poetis accenseatur, facit non solum ejus carmen ad Bologninum Bolognineum, quod in Taygeti Collectione recitatur, sed alio-

rum ejus carminum collectio, quam reperio in libello Alexandriæ edito an. 1578. Ex eo quosdam primum hendecasyllabos, dein heroicos versus recitabo, qui & Poeticam Matii venam, & una simul aliquid ad Vitæ ejus historiam pertinens, nos doceant.

Ad Sodales.

Nassini, veteres mei patroni,
Alenæ, veteres mei sodales,
Pars vitæ altera, Martinenge, nostræ.
Et Sicce, Ausoniæ decus Camœnæ,
Vosque, o Pieridum sacræ coronæ,
Corneli, Caphaneu, Metelle, Paulle,
Muti, Albine, Roberte, tuque Porci, &
Bolognine, mei sacri sodales,
Prædulces animæ, mei lepores,
Cuncti una Hendecasyllabi salute
Et salvete diu, & diu valete.
Ecquid de patria meo doletis
Discessu? atque alias eunti in oras
Mente estis comites, & arcto amore?
Me certe validi premunt dolores,
Atque implent calidis sinus ocelli
Flentes lacrymulis, quod hinc in urbes
A vobis alias procul recedam,
Et dulcis patriæ lacus relinquam,
Glebas Cœnomanum affatim rigantes.
Nec vestras valeo sodalitates,
Tuo, o Cecropi, melle dulciores,
Complexusque tuos, laresque amatos,
Mater Brixia, linquere, absque mole
Multa tristitiæ. Scio, doletis
Et vos, & graviter mei feretis
Vos desiderium; attamen levabunt
Curam, mœstitiamque commeantes
Citro, ultroque frequentium tabellæ
Musarum. Marium novæ salutes

A vobis, Marii novæ ſalutes,
Vos eſſe in nimio (ab negare in ullo
Mi notus nequeo) haud ſinent dolore.
In primis animique, mutuique
Cordis certa fides abeſſe longe
Omnes mœſtitias jubebit, atque
Securo citharam ferire plectro
Cantantem patrii Olii Napæas.
Hinnitus ſed enim vocant equorum,
Pilenta ad januam morantur. Ergo
Prædulces animæ, mei lepores,
Prædulces animæ, mei ſodales,
Cuncti una Hendecaſyllabi ſalute
Et ſalvete diu, & diu valete.

Monachis Bobii.

Nulla uſquam extremæ tanta eſt injuria terræ,
Aut tanta eſt uſquam cœli inclementia, mores
Quæ queat immutare bonos, hominumque proborum
Deterat ingenium, rectoque a limite flectat.
Non illaudatum fecit Nilotica tellus
Buſirim, nec te menſis apponere divum
Humanas pepulere dapes Euxina, Lycaon,
Littora, quo nati fierent fera buſta perempti
Numina, & urſarum ſtimularet terga Bootes.
Natura, & mores bruti fecere ſceleſtos.
Ecce inter ſilvas, inter deſerta ferarum,
Atque inter gelidi prærupta juga Apennini
Quam blandos hominum mores, & dulcia quantum
Hoſpitia experti ſumus? hic me cœlibe vita
Inſignes Monachi, ſtudiiſque, & moribus almis
Florentes, vultu ſic excepere ſereno
Hoſpitem, ut Arſacides melius tractarier uſquam
Non queat, aut vani Cæſar dominator Iberi.
Si veſtra Ogygias premerent veſtigia terras,
Aut Anthropopbagum ſi calcaretis arenas,
Hic ſubito fœdos hominum miteſcere mores
Conſpiciam, ſubitoque feram vaneſcere vitam,

Naturamque hominum penitus, penituſque locorum
Mutari, & ſanctos extemplo exſurgere cultus.
O, niſi me implicitum teneat chariſſima conjux
Noſtra domi, & vigiles curæ, ſoboleſque tuenda,
Et ſtudiis ornanda decentibus, omnia noſtræ
Tempora percuperem tecum traducere vitæ,
Grex ſancte, & ſceleris pure, & vitæ integer, ipſo
Vobiſcum toto lætus conſumerer ævo.
Huc ego Pierias docto de vertice muſas
Parnaſi, Pindique, & ſacro fonte vocarem
Pegaſeo, hic caſtas agitarent uſque choreas
Mecum, hic arguto mulcerent æthera cantu.
Hic canerem egregias dulci modulamine laudes,
Chriſte, tuas, quamvis longo tua geſta Poetæ
Exſuperent vires, atque ingenium intervallo.
Tum cauſſas rerum occultas ſcrutarer abunde
Vobiſcum, dulces animæ. Hic ego dicere poſſem,
Omnia purpureis vernent cur floribus arva
Vere novo: rigeant rurſus cur illa pruinis
Cedente ab noſtris tunc Phœbo longius oris,
Ad modo compertos Hiſpanis claſſibus orbes
Audaci Genuate auctore: procacibus Auſtris
Quæ ſit materies: celſis quid nubibus imbres
Exprimat: aut tandem lapideſcat in aere grando
Qua ratione: quibus Titan ſua lumina cauſſis
Occulat, oppoſitæ denſo cum corpore Lunæ
Deficit, & media horreſcunt in luce tenebræ.
Depictum modico tam vaſtum in pariete mundum
Proferrem; quantum Phaſis, Tanaiſque nivalis
Prolifici, canerem, diſtent ab origine Nili.
Pervigil at me cura domus, ſoboliſque tenellæ
Hic probibet placitam, ut cuperem, deducere vitam.
Cœnomanum & revocer quamvis ad mœnia rurſus,
Nunc ubi nos pubem Latiis, Graiiſque Camœnis
Excolimus, vobiſcum animo tamen uſque morabor.
Semper ero hic totus, ſemper meminiſſe juvabit
Tam dulce hoſpitium, venient oblivia veſtri
Nulla mihi, ſemper menti bene fixa manebit

Frons

Frons læta, & vultus lætus, quis aera triſtem,
Quiſque ſerenatis Liguris ſaxa invia Bobi.
Vivite felices animæ, æternumque valete.

Libellus, ex quo hæc deſupſimus, una ſimul compactos habet duos alios ejuſdem Matii libellos, priorem Italica lingua conſcriptum, quo Matius, Academiæ ſuæ nomine uſus, maledicæ cuidam Epiſtolæ adverſus ſe ob Symbola quædam Aſtenſia, quæ carpſerat, evulgatæ reſpondet; poſteriorem vero Latine exaratum, quo Artium liberalium dignitatem propugnat contra quoſdam temere auſos affirmare, ſordidam eſſe profeſſionem diſciplinarum, quas ipſe Matius docebat, ac proinde Ludovicum Aretæum ejus filium in Collegium Medicorum Alexandriæ recipi debere, vehementer negabant, etſi de eo admittendo fidem Cardinali Paravicino illius civitatis Epiſcopo dediſſent. Adverſariorum ſuorum verba hæc fuiſſe Matius refert: *Fidem Cardinali dedimus; mutare ſententiam in manu eſt noſtra. Matius pater, & filius bene meriti ſunt. At prior, potiorque ratio Collegii eſt, & ſtudium ejus legum. Deſtituitur Matius multis partibus neceſſariis. Earum gratiam vel millies rogati, & polliciti, nec facimus, nec facturi ſumus. Neque commendatio Cardinalis vim voluntati, quæ etiam in equo Phalaridis libera eſt, & cogi non poteſt, debet adferre.*

Eam Apologiam, ſeu Propugnationem Matius inſcribit Philippo Hiſpaniarum Regi, & Mediolanenſium Duci, & ſub initium gloriatur, ſe in nobiliſſimis urbibus, Brixiæ primum in patria ſua, deinde Aſtæ Pompejæ, Ticini, & demum Alexandriæ publice do-

docuiſſe, & ex diſciplinæ ſuæ officina, ubicumque docuit, doctiſſimos, & præſtantiſſimos Viros prodiiſſe, eos quoque, qui filio ſuo tunc adverſabantur, quique a ſe, ſuoque filio tam in Collegii petitione, quam omni honoris, & illecebrarum genere culti, ab ipſo didicerant, quidquid haberent literarum.

XII. Diomedes Sala, Brixianus, illico in Taygeti Collectione ſubjungitur Jo. Mario Matio, ejuſque affertur primo loco diſtichon, dein tetraſtichon, ac poſtremum octaſtichon. Publium Franciſcum Spinulam, de quo ſuperius dictum eſt, tam diſtichon, quam octaſtichon mordent, nam ita ſe habent:

De Torquato, cui Spinula Epith. inſcripſit.

Torquati jacet hic corpus, nomenque ſepultum,
Horum unum extinxit Spinula, mors aliud.
Tu ne igitur credis laqueos fore vincula Amoris,
Ornite, quos cytharæ nectit Hyella tuæ?
Falleris, illa tibi prædicunt improbe lethum,
Tale tuum nexo gutture funus erit.

Ad Hippolytum Corſinum.

Ver quot habet flores, piſces mare, ſidera cœlum,
Tot ſimul, atque aliis dotibus ipſe nites.
Sed quia non dextro meditatur Apolline carmen
Spinula, virtutes non capit ille tuas.
Ut tamen ingenui det munera Mecœnatis,
Ille tibi tumulum condidit ante diem.
Ille tibi tumulum vivo? procul omen abeſto,
Nunc, Corſine, tibi Spinula, ait, morere.

Hæc ipſa argumenta a Diomede Sala tractata, Taygetus quoque non ſolum tractavit, ſed, quod ad Spinulam ſpectat, in Epitaphium ab hoc conditum de

Au-

Aufidio ita luſit, ut Diomedem Salam exſcripſiſſe videatur. Scribit ſiquidem, Aufidium, quod ejus tumulo titulum inſcripſerit Spinula, *bis periiſſe*, & alio Epigrammate eundem hortatur, ut muſis vale dicens ſe penitus nihil ſcire fateatur, nam hac ratione evadet *Hiſtoricus cunctis verior Hiſtoricis*. Quod vero ſpectat ad Hippolytum Corſinum, Sacerdotem, Juris Pontificii Conſultum, Epitaphium eidem conſcripſit ipſe Taygetus, & præterea fuſius præclariſſimi illius Viri laudes perſecutus eſt in Ecloga, quam inſcripſit *Corſinus* ad Paulum Soncinum J. U. Conſ. Patritium Brixianum. Ea ita incipit:

Ad Patrii Mellæ ripas, dum Sirius agros
Findit, & infauſto mortales ſidere torret,
Corſinus nemorum decus, & ſolatia ruris,
Clauſerat in cœcam morientia lumina noctem.
Ergo omnis cineri facturus juſta ſepulto
Paſtorum de more pius convenerat ordo;
Quos inter Daphnis, Latii quem carminis uſum
Phœbus, & argutæ docuit modulamina cannæ,
Ante omnes ſocii letho concuſſus adempti,
(Prob dolor) incubuit buſto, crineſque cupreſſu
Incinctus, tales effudit pectore queſtus.
Huc ades, & Muſam non dedignatus agreſtem,
Juſtitiæ columen, Phœbique, & Martis alumne,
Soncine, extincti ſortem miſeratus acerbam
Da lacrymas, nec enim (credo) tibi gratior alter,
Quam nuper Corſinus erat, meminique, ſolebas
Præſtantes laudare artes paſtoris, & acre
Ingenium, ac dulcem ſæpe es miratus avenam.

At præ omnibus Taygeti carminibus hic locum habere debet Epigramma, quo Salæ noſtri Poeſis magnopere commendatur.

Ad

Ad Diomedem Salam Acad. Occultum.

Te, Sala, Hetruſco ferientem carmina plectro,
Laudat in indigenis corniger Arnus aquis.
Te, Sala, Auſonii ducentem robora Muſis,
Miratur flavo Tybris ab amne pater.
Tu Sala, & Latiæ decus es, Thuſcæque camœnæ,
Ergo quid ceſſas? eja age, ſume lyram.

XIII. Ad exhauriendam Jo. Antonii Taygeti, quam ad manus habeo, Collectionem, unus mihi ſupereſt Taygetus ipſe, reliquos enim omnes Brixianos Poetas in ea comprehenſos, aut ſuo jam ordine recenſui, ducto exordio a Cæſare Duccho, aut illis præpoſui, videlicet Stoam, Bonfadium, Theanium, & Siccum, quorum famam ſatis illuſtrem Taygeti Collectio potius invenit, quam fecit. Danielem vero Ceretum, cujus Poema *Salix* inſcriptus, nec non Elegia ad Beatam Virginem, in Taygeti Collectione comparent, jam pluries memoravimus, dum occaſio ſe obtulit verſus ejus ex libello manuſcripto de laudibus Brixiæ recitandi. Quamvis autem Poeticam Jo. Antonii Taygeti venam nonnulla ejus carmina ſuperius allata jam nobis oſtenderint, nova tamen hoc loco afferemus, vel ex ea Collectione, vel ex alia Academicorum Occultorum jam pariter laudata, quæ ſcilicet Brixianæ literaturæ illuſtrandæ opportuniora videbuntur.

Quinam fuerint Academiæ Occultorum Primates, Taygeti ad Alphonſum Capreolum, & ad P. Antonium Soncinum, ſubſequentes verſus nos edocebunt.

Ad Alphonſum Capreolum Comitem, Acad. Occult.

Te te Mœonio juvenis digniſſime plectro,
Quem mille Hetruſca celebrant teſtudine Vates;

Ipſe

Ipſe etiam numeris laudarem, Alphonſe, Latinis;
Sed me magna nimis conantem exterrita linquit,
Pondere ne laudum procumbat Muſa tuarum.
Nam ſi priſca domus, Majorumque inclyta virtus,
Illuſtrat ſeros ventura in ſæcla nepotes,
Quis te nobilior, quis prole illuſtrior alta,
Alphonſe, heroum genus, & Diis æqua propago?
Clarus Avis, Ataviſque nites, atque hinc tua late
Atria priſcorum decorantur imagine Patrum.
Floruit hic Phœbo, & Muſis; hic moribus aureis;
Ille fuit patrii quondam pars magna Senatus;
Hic bello inſignis Venetum victricibus armis
Præfuit, & lata populos ditione ſubegit. &c.
Nil igitur mirum, ſi noſter flagrat Apollo
Te canere, & doctis tua nomina texere chartis.
Sors tamen ipſa aliquos mittet placidiſſima Vates,
Qui Latia freti cithara tibi carmina condant
Dignius, atque ſuis cœlo te vocibus æquent.
Et te Bornati teſtudo, vel aurea Ducchi
Cæſaris ora canent, Quærenghi aut Muſa diſerti.
Quod ſi forte tuas, Alphonſe, attingere laudes
Humanæ nequeant vires, te Delius ipſe,
Delius ipſe, lyra meritum celebrabit eburna,
Divinum miſcens carmen, quo ſæpe ſolebat
Dicere terribiles Jovis, Enceladique tumultus.
Sic tua perpetuis mandabit nomina faſtis.

Ad P. Ant. Soncinum Corvinum Jureconſ. Acad. Occul.

Dum cultum cythara condebas carmen Hetruſca,
Soncine, in Sylvis edite Pieriis,
Mirabar dulci ſiſtentem flumina cantu,
Ducentem & blando ſaxa, feraſque ſono.
Quin te laudabant Muſæ, laurique coronam
Nectebat capiti Delius ipſe tuo.
Publica ſed poſtquam vigilante negotia cura
Suſcipis, atque tibi ſumpta ſevera toga eſt,
Non ſecus abſentem mater gemit anxia natum,

Te metuunt ſacrum deſeruiſſe Chorum.
Ah ne crebra fori ſectaris jurgia, ne ſis
Æternus Phœbi, Theſpiadumque dolor.

Exſtat utrumque hoc carmen in poſteriore Collectione, ſcilicet Academicorum Occultorum carmina complectente. In priore autem, quæ ipſius Taygeti ſtudio carmina Præſtantium Poetarum comprehendit, adeſt Epigramma, ex quo occaſionem ſumemus, aliqua proferendi ſcitu utique digna, & ad Brixianæ literaturæ decus magnopere conducentia.

Ad Ludovicum Callinum Jur. U. Conſ. Patritium Brix.

Quam debet tumidis pelagi ſervatus ab undis
Tyndaridum fauſtis Navita ſideribus,
Tam tibi Taygetus, qui ſe, Calline, fatetur
Quicquid is eſt, totum muneris eſſe tui.
Ille etenim quoties ingenti fluctuat æſtu
Curarum, ac vaſto mergitur Oceano,
Ipſe venis, clavumque tenes, navemque gubernas,
Incolumemque cito trans maria alta vehis.
Hinc felix, quæque ipſe facis, grata otia adeptus,
Pieriis optat te celebrare modis.
Ingens ſed laudum pondus, Vir ſumme, tuarum
Languida non hujus ferre Thalia poteſt.
Nunc ſume hæc, minimos ut thuris ſumit acervos
Omnipotens hominum, cœlicolumque pater.

Inter Epiſtolas Italicas M. Antonii Flaminii in Collectione Manutiana, & aliis, una adeſt ad Ludov. Calinum plena utique bonæ frugis, quæ fuſius perſequitur ea ingenii, ac doctrinæ præſidia, quibus inſtructos eſſe decet politiorum literarum Doctores, quæque, ſi in illis deſiderentur, quod plerumque accidit, in cauſa ſunt, ut pueri tempus in Scholis fruſtra terentes,

inde

inde exeant literarum, omniſque omnino eruditionis expertes, abſoluto etiam ſtudiorum curriculo. Monet propterea Flaminius, nihil utilius a pleriſque Profeſſoribus effici poſſe, quam ſi, longius amandatis Scriptis proprio Marte compoſitis, non alia diſcipulis themata exhibeant, quam ex Cicerone deprompta, quæque ab iis in Latinum ſermonem converſa, teneras eorundem mentes ingenuo, ac nitido illo dicendi genere, quo divinus Orator maxime excellit, informent; cavendumque, ne imitandum illis proponant, ſeu Eraſmi, ſeu Melanchtonis, ſeu nonnullorum Italorum ſtylum, qui Latinæ linguæ pulchritudinem, proprietatem, elegantiam, puritatem, ac copiam prorſus ignorant. Hæc Flaminii Epiſtola ad Calinum noſtrum, mirum quam valde arriſerit Bartholomæo Riccio Lugienſi, nam ad ipſum Flaminium ſcribens Epiſtolar. lib. 5. teſtatur nihil ſibi jucundius accidere potuiſſe, quam ut editæ ſint Flaminii literæ illæ, quibus a Calino qua ratione filius ſuus in politioribus literis inſtitui debeat, pereleganter demonſtrat, nam eam ipſam viam ſe in ſuo Ferrarienſi Principe inſtituendo ſequi profitetur, multis licet irridentibus, frontem contrahentibus, ac palam etiam damnantibus, quos nimirum pudet a pervulgata via, longiſſima utique, & barbara abduci.

Scripta eſt ad Ludovicum Calinum Epiſtola illa a Flaminio ea quidem de cauſa, ut Mutius ejus filius egregii ingenii adoleſcens, bene, ac ſapienter erudiretur. Mutii Calini nomen, & eruditionem celebrant Pauli Manutii Epiſtolæ, nam ad Franciſcum Luiſinum

ſcribens Manutius Epiſtolar. lib. 1. de Calino hæc habet: *Calinum, puto non noſti, qui clariſſimum juvenem Aloyſium Cornelium, ſingularis viri Joannis Cornelii filium, in Cyprum inſulam ſecutus, tertium jam annum abeſt; ſed mihi hoc, velim, credas affirmanti, ea bona, quæ magiſter tuus Ariſtoteles laudabilia eſſe dicit, omnia fere in illo adoleſcente aut eſſe jam, aut brevi, ut ego auguror, futura;* rogatque eundem, ut & ipſe in conſortium recipiatur cum Calino, & Amaltheo, *eloquentiam* (inquit) *tres optimi adoleſcentes, ætate fere pares, concordi ſtudio, ſicuti pulcherrimam virginem, diligite; quod ſi me etiam ſocium recipitis, & rivalem in hoc amore fertis, erit præclara conſenſio, & Latinæ linguæ formam, quam ſuperioribus temporibus turpi barbarie vitiatam, nunc cognoſcere vix poſſumus, poſt hac, ut opinio mea fert, intactam, illibatamque tuebimur.* Joannem Baptiſtam Amaltheum, & Franciſcum Luiſinum, utrumque Forojulienſem, adhuc juvenes Lilius Cregorius Gyraldus de Poet. noſtr. temp. Dial. 2. & ipſe commendat, ac bene de iis ſperandum ſcribit, aitque Amaltheum Venetiis apud Lipomanos juventutis inſtitutorem agere, itidem Luiſinum adoleſcentum Corneliorum, huncque inter cætera carmina ſcripſiſſe Epodicum de ſuo ipſius die natali Horatianis numeris ad Calinum. Trium Amaltheorum carmina recitantur in Collectione Joannis Matthæi Toſcani.

Mutius hic Calinus, de quo Manutius, ad Archiepiſcopatum Jaderenſem aſcendit, quem poſtea cum Interamnæ Epiſcopatu commutavit. Eam migrationem Calino gratulatur Paulus Manutius Epiſtolar. lib. 7. ei-

que

que reſpondet Calinus Epiſtola, quæ reperitur inter illas Clarorum Virorum ſæpius citatas, faſſus, quod prudenter, & amanter ſcripſerat Manutius, ſe ipſum magnopere gaudere, quod quum vix bidui intervallo ab Urbe abeſſet amicos ſuos aliquando viſendi, ſibi minime defutura foret opportunitas, *ſi* (inquit) *cum hac iter facere contigerit, ad hoſpitem maluerint, quam ad cauponem divertere*. In ea Calini noſtri Epiſtola legitur vere aurea ſententia Chriſtiano homine, & ſacro Antiſtite admodum digna, quæ hujuſmodi eſt: *Opes, dignitatem, amplitudinem, & reliqua hujus generis commoda, equidem haud tanti facio, quin illis carere facile poſſim; ſæpiuſque mihi venit in mentem, me ejuſmodi perſonam a Domino impoſitam ſuſtinere, ut penitus perſuaſum mihi eſſe debeat, ſi cui hæc deſint, magno cum officii onere levatum eſſe: ſiquidem laborandum ſit, ut quæ ipſa bona videantur, nobis etiam bene eveniant. Quo in genere quoniam paucissimos reperias, qui graviter non offendant, & quæ ad beneficentiam, & ſublevandos, ornandoſque homines parata habent inſtrumenta, iis recte utantur; qui ſibi polliceri audeat, fore, ut, cum harum rerum copia circumfluat, tam difficili, & lubrica via, ſine caſu, aut prolapſione aliqua ingrediatur, næ ille amens potius, quam arrogans, ſi, quod ſentio, velim dicere, habendus ſit.*

De Mutio Calino, ejuſque Scriptis fuſius diſſerendum erit in poſtrema hujus Operis Parte, cui ſacra reſervavimus. Joannis Antonii Taygeti carmina allegandi, & recitandi opportunitas ſe inferius etiam exhibebit.

XIV. Hie-

XIV. Hieronymus Bornatus, quem plures, ut superius vidimus, Brixianæ Occultorum Academiæ principes celebrarunt, & ipse collegis suis vices rependens, eosdem, præsertim Cæsarem Duchum, Petrum Antonium Soncinum, Jo. Antonium Taygetum venustis versibus ornare non prætermisit. Exstant in libello Academicorum eorum carmina complectente, atque hujusmodi sunt.

Ad Cæsarem Ducchum Jurecons. Acad. Occul.

Cæsar candide, qui meis ocellis
Longe carior es mihi; tuæ nunc,
Quæso, carmina quæ canunt Camœnæ,
Ut solent medio legi Theatro
Digna, scribere te tuo sodali
Caro ne pigeat, rogo, obsecroque,
Ut curas abigant, molestiasque,
Quas fert igneus æstus; ipse vero
Gratus (cum caream lepore Musæ)
Mittam mille tibi, ferax tulit quæ
Hortus, aurea mala, roscidosque
Flores, si libet, hinc tibi rependam.

Ad Petrum Ant. Soncinum Jurecons. Acad. Occultum.

Frustra versiculis parum venustis,
Leporis pater, elegantiæque,
Adumbrate, petis, meis ut ipse
Canam sollicitos tuos Amores,
Virtutesque tuas; mihi Camœnæ
Negant nam gelidos suos recessus,
Et libare vetant meos labellos
Fontis pellucidi sui liquores.
Quod si perpetuis cupis libellis
Æternus fieri; optimi Poetæ
Quærengi hoc lepidas roges Camœnas
Ut præstent tibi; nam perennius tunc

No.

Nomen ære tuum inter alta tollent
Sidera (ut decet) & tuos Amores.

Ad Jo. Antonium Taygetum Acad. Occultum.

Nocturne, Aonidum decus ſororum,
Atque delitiæ, ſuos lepores
Phœbus cui ipſe dat, elegantiaſque,
Cum junctо pede ſeu tui Tibulli
Condis carmina, ſeu modis Catulli
Mellitos oculos canis puellæ;
Abſtruſus tuus, ille, cui Camœnæ
Negant verſiculos, facetiaſque,
Multum te rogat, Urbe ut hac relicta
Ad ſuum properes, Amice, agellum,
Dignum Corytio, & tuis ocellis.
Cæſar huc veniet tuus ſodalis,
Cæſar æque meus, Provetium qui
Lætus nunc colit, ac beat Camœnis.
Hic Ver perpetuum ſuos tepores
Servat, & varios benigna tellus
Fructus protulit; invidere poſſint
Quos mihi Heſperides; tuos Amores
Canes dulcius hic modis venuſtis.
Quare (ſi ſapies) viam vorabis,
Nocturne, Aonidum decus Sororum.

Alium Sodalem ſuum, nimirum Albertum Lollium, ejuſque Muſeum Bornatus tribus Epigrammatis laudavit, quorum primum ita ſe habet:

De Muſeo Alberti Lollii Acad. Occulti.

Parnaſſi quondam, excelſique in vertice Pindi
Clara domus Phœbi, Pieridumque fuit.
His ſpretis, gratam dum quærunt ponere ſedem
Cynthius, Aonideſque, hanc coluere domum.
Felix, o nimium felix, liberrime Lolli,
Nam tibi Muſæo cuncta lepore vigent.

Al-

Alberti Lollii Ferrarienſis de vitando otio Orationem Italicam ad Academicos Occultos typis edendam curavit an. 1567. Bartholomæus Arnigius Brixianus, ejus Academiæ & ipſe ſodalis, qui in Epiſtola ad Alphonſum Capreolum, Cœtus ejuſdem Præſidem, ei Orationi præpoſita, & plura habet in ipſius Academiæ laudem, quemadmodum & Lollius in Oratione, & illius originem anno 1563. aſſignat. De Lollio, ejuſque Muſeo, nec non de aliis Academiis, quæ annis illis proximis in aliquot Italiæ urbibus conſtitutæ erant, hæc leguntur apud Gyraldum Dial. 2. de Poet. noſtr. temp. *Illæ quidem multum ſplendoris, ac lucis præferre videbantur, ſed paulo poſt in fumum, & nebulas evanuerunt. Verum & eorum cognomina, quales eſſent futuræ, ſignificabant. Quare de his nolo verba faciamus; nam quædam vix inchoatæ, eſſe deſierunt: ut quam erigere hic, Albertus Lollius enixe ſtudebat, de qua exſtat, & legitur Oratio Ferrini noſtri, & item altera ipſius Lollii.* Noſtræ Occultorum Academiæ brevem fuiſſe ætatem aperte conſtat ex nova Academia Brixiæ inſtituta, & Aſſiduorum dicta, cujus Apparatum literarium pro adventu Præſulis nuper electi Jo. Franciſci Mauroceni celebrando Brixienſibus typis an. 1586. evulgatum ad manus habeo, dicavitque illum Gabrieli Cornelio Brixiæ Præfecto unus ex novis illis Academicis, in Epiſtola Nuncupatoria affirmans, Aſſiduorum Academiam erectam fuiſſe, *ut nobiliſſimæ Occultorum Academiæ, quæ temporum injuria pene jam deleta eſt, memoriam renovaret*. Ea, ut vidimus, anno 1563. cœpit, oportet itaque per viginti ad ſummum annos floruiſſe. Poſtea

tamen

tamen quadantenus revixit, quo ipso tempore Errantium Academia jam fuerat exorta.

Sat prolixa Elegia (centum scilicet, & amplius versibus constat) Albertum Lollium, ejusque Museum laudavit Jo. Antonius Taygetus, afferturque inter Carmina Academicorum Occultorum. Vincentii quoque Metelli, Viri eruditissimi, tumulum honoravit Hieronymus Bornatus hoc Epigrammate.

Vinc. Metelli, Viri eruditissimi, Tumulus.

Funde precor lacrymas, mecum suspiria funde,
Quisquis ades, sacris addeque thura focis.
Delitiæ Phœbi Vincentius ille Metellus,
Brixia quem genuit, marmore clausus inest.

Latinas etiam Musas excoluisse Metellum, dignoscimus ex ejus versibus sparsim vulgatis, comparetque ejus nomen inter Poetas Latinos, quos Joannam Aragoniam celebrantes in unum collegit anno 1555. Hieronymus Ruscellus, quibusque coronidem imponit Andreæ Mutii nostri Hendecasyllabon, cujus initium:

Ingens Pieridum decus sororum,
Ruscelle, & pater elegantiarum,
Mitto dona tibi meæ Camœnæ,
Quæ Templum referantur in tuum illud,
Soli Aragoniæ Deæ dicatum,
Et Templi Dominæ tuo, meoque
Tandem nomine consecrentur alta
Ad donaria, maximosque honores &c.

XV. Inter Academicorum Occultorum carmina in citato sæpius libello, ea etiam leguntur, quæ Ludovicus Federicus, unus ex illis Academicis, composuit. Hexametri versus primo loco comparent, quibus acri-

ter queritur, severius in suam, suorumque Majorum conditionem ex Brixiani Senatus decreto inquiri, ut in Curiæ ordinem recipi valeret.

Ad Jo. Antonium Zanettum Jureconsul.

Nollem forte tuas lassas, dum publica reddis
Judicia, & rerum vexaris turbine longo,
Illepido sermone meo frustarier aures.
Sed tibi cum nullo aula domus sit plena cliente,
Si dulcis sortem es unquam miseratus amici,
Queis frangar curis, & quos sufferre labores,
Nunc cogar, paucis, Antoni, si vacat, audi.
Plurima contorquent animum mihi, sed magis illud,
Quod liber natus, similisque parentibus, atque
Non diri imperio solitus parere tyranni,
Vilior efficiar nunc servo compede vincto.
Est mihi nam primum præscriptum tempus agendi,
Monstrandique Domus Federicæ antiqua fuisse
Stemmata, nec quod opus manibus fecisse parentes;
Ut ne prætereat mensis, sit perspiciendum.
Quid faciam? senibus paucis, quos invida præbet
Vivere mors memores, expono, quid sit agendum,
Quid respondendum recte, & sine crimine falsi.
Urbe etiam quod sim natus monstrare necesse est,
Insuper & fuerit quæ nutrix, quisve Sacerdos,
Baptismi ad fontem qui me sacraverit olim.
Deinde simul Patres, quos sedula cura Senatus
Tres dedit, invenio, meque ad sua commoda promptum
Ostendo, & testes tunc respondere paratos.
Conveniunt tandem, claudus deest impiger ille
Scriba; cito veniet, referunt, quos mitto vocatum.
Expectant domini, apparet nusquam tamen ille.
Jam clamant, timidi nos expallescimus, ardet
Intus bile jecur, lapsa tandem advenit hora.
Consurgunt, statim nos inde recedimus, ipsis
Linquimus at testes veluti cribro excutiendos.
Hoc quoque nec satis est, annalia publica lustro,

Nobi-

Nobilitas veterum patrum queis ſcribitur omnis.
Inde etiam tineis corroſas promo tabellas,
Atque ſitu multo conſumptas, quæ mea firmant
Nobilis, antiqua, & quam longa trabatur origo.
Cuncta ego perfeci; reſtat quid? nil modo reſtat,
Nec tamen expedior; quid cauſæ eſt? Maximus ille
Ordo vult etiam melius producta probari.
Herbannum ire parant Proceres, quod forte viri illi,
Quæ ſit conditio majorum, noſtraque quæ res,
Planius exponent; ceſſant tamen illa, latenter
Sunt etenim facienda; mihi denique menſes
Labuntur ſeptem, nec me tamen expedit ullus.
Cuncta ego quid referam? mea ſtat dulciſſima Mater
Exanimis, tandem expectans ſi forte beatos
Curia nos faciat, tanto, & dignetur honore.
Hæc tibi, dum vigiles cogunt me ducere noctes
Inſomnes curæ, querula deſcripta Camœna
Carmina nunc dicto; paſſus quoque tu graviora,
Sed jam læta, vale, ſortem nec deſpice noſtram.

Sequuntur Elegi, & poſt ipſos Epigramma, ac deinde Hendecaſyllabon, quod hujuſmodi eſt.

Pro adventu Bernardi Georgii Prætoris.

Molles Pieridum joci, & lepores,
Et luſus teneri, & ſales venuſti,
Et gratæ Charites, Apollo tuque,
Et vos, qui numeros novem ſororum
Vates, & colitis ſacros receſſus,
Huc huc unanimes venite cuncti;
Et dives veniat, probuſque pauper,
Atque omnes celebrent virum diſertum,
Bernardum, Veneti jubar Senatus,
Cunctis qui tribuit ſuum, Soloni
Virtute æquiparandus, & Lycurgo,
Quem lumen Latiæ, Atticæque linguæ
Dicimus merito, elegantiorem
Illo, quem Auſonii colunt, vel illo,

Cujus obſtupuere lingua Athenæ,
Quem Muſæ Aonio abluere fonte;
Quare carminibus canant Georgi
Virtutes gravibus ſenes verendi,
Maturique viri, & puellæ honeſtæ;
Atque illi celebrent virum prudentem,
Et pro hujus voveant ſalute multa;
Hæ ducant lepidas ſimul choreas,
Et ſpargant Violas, Roſaſque paſſim.
Demum omnes faciant, ut omnis ordo
Illum ſuſcipiat probe, & decenter.

In libello an. 1572. edito Venetiis Poemata varia ſtudio Petri Gherardii ad Cardinalem Sirletum in Fœdus, & Victoriam contra Turcas ad Cycladas parta complectente, adeſt pag. 173. Jo. Antonii Taygeti Brixiani Ecloga nautica, *Idmon* inſcripta, ad Ludovicum Federicum Jureconſ. Patritium Brixianum, quem Taygetus ita affatur:

At tu, quem dulces venientem in luminis oras
Aſtræa, Autumni portas, chelaſque relinquens,
Ipſa ſuas docuit leges, cuique innuba Pallas
Diverſos cœli motus, ſtellaſque micantes,
Et dedit occultas rerum cognoſcere cauſas,
Mactæ tuis, Federice, actis, & ſanguine avito;
Huc ades, & noſtris faveas, precor, optime, votis;
Non injuſta peto, Tu nam perſæpe receſſus
Aonios luſtras, & dum felicia condis
Ipſe tua intentus miratur carmina Phœbus.

Hæc ipſa Taygeti Ecloga ſeparatim edita fuerat Brixiæ an. 1571. per Vincentium Sabium, curante Simone Angelo Suſpirio, Academico Occulto, cujus exſtat ad libelli calcem Epiſtola ad Federicum noſtrum, & in ejuſdem fronte exſtat Coſmi Lauri, Academici pari-

pariter Occulti, Epigramma in laudem ipſius Taygeti.

Antequam Academiam Occultorum dimittamus, aliquid de ejus Mecœnate dicendum, afferendi nimirum verſus, quibus labores ſuos Academici eidem obtulerunt, quique in fronte libelli ſæpius citati leguntur.

Ad Jo. Franciſcum Commendonum Card. Ampliſſimum, Academici Occulti.

Quod miras animi, ingenique dotes,
Ut tu, poſſideat peræque nemo,
Quod es ſidere clarior micante,
Factis magnanimis tuis, & ipſis
Quod ſumma es pietate Diis propinquus;
Geſtamus te animis, & ore ſemper,
Atque in interioribus medullis,
Vir ampliſſime, ob idque noſtrum habere
Hunc damus tibi muneri libellum;
Quem quidem vocitare nec venuſtum
Audemus, neque dicere elegantem,
Tuo ni prius ore comprobetur.
Illo ſcilicet ore, quo nec ullum
Eſt diſertius, eruditiuſve,
Nec ſciens magis elegantiarum.
Qui ſi contigerit tibi placere,
Si videbitur eſſe amore dignus,
Commendone, tuo, & tuo favore,
O tunc nos ter, & amplius beatos,
O tunc auſpiciis bonis profectum
Mellitum, lepidum, aureum libellum,
Quem jam peſſima fama non laceſſet,
Nec lœdent Critici ſuis venenis
Tanti judicio viri approbatum.

In eo ipſo libello carmina Caroli ex Comitibus S. Bonifacii, Academici Occulti, incipiunt a quibuſdam hendeca-

decaſyllabis in laudem ejuſdem Cardinalis, eique Hexaſtichon pariter Carolus inſcripſit. Commendonum Cardinalem verſibus etiam condendis excelluiſſe, quin hos primam fuiſſe ipſius ad Julium III. Pontificem commendationem, prodit in ejuſdem Vitæ lib. 1. c. 8. Antonius Maria Gratianus, narrans Julium hortis extra Portam Flaminiam a ſe ædificatis, verſus a Commendono compoſitos inſculpi juſſiſſe, quos nimirum reliquis omnibus, quotquot non Romæ ſolum, ſed per Italiam quoque, decora ingenia, ea arrepta materia, certatim ediderant, præferendos exiſtimavit.

XVI. Inter Brixianos Poetas ut locus aliquis, nec is quidem poſtremus, Comiti Brunorio Gambaræ aſſignetur, facit P. Franciſcus Spinula, de quo ſuperius pluribus locis. Hic enim non ſolum verſibus ſuis magnopere *excoluit eundem Brunorium*, *laudavitque* ob poeticæ venæ felicitatem, ſed præterea plura Brunorii carmina ſuiſmet Poematis inſerenda curavit. Iis itaque conjuncta viſitur ſubſequens Elegia Poemat. lib. 2.

Ad P. Franciſcum Spinulam Mediol. Jo. Brunorius Gambara Brixianus, Comes.

Vix tandem patrio retinet te Brixia vultu,
Dives opum, & Veneto læta ſub imperio,
Iſtic ingenuas exerces Palladis artes,
Atque inter Muſas ora diſerta moves.
Id nempe ad noſtras rumor quidam attulit aures,
Tu tamen huc primum ſcribere debueras;
Ne tantum non nota eſſent tua commoda nobis,
Qui te præ cunctis, Spinula, diligimus.
Sed cur iſta magis cœpere oblivia, miror,
Te, quod ab officio tam cito deſiteris.

Nec

Nec tua jam pridem, quorum lætabar honore,
Venere ad noſtras carmina docta manus.
Hinc reor adverſas nobis aſtare ſorores,
Quæ nemus Aonium, quæque Helicona colunt.
Vena ingrata fluit ſine te Permeſſidos undæ,
Quare cum doctis nil mihi virginibus.
At te, cui vatum tutela aſpirat Apollo,
Scribere facta decet fortia Cenomanum,
Et ſacros cineres, Divorumque aurea dona,
Atque urbem gelidis fontibus irriguam,
Thracius ut celſas qui primus condidit arces,
Gallica Trojanas duxit in arva manus,
Fertilibuſque novam poſuit ſub collibus urbem,
Quam celeri Melo turbidus amne ſecat.
Aucta opibus crevit, Romana antiquior urbe,
Quamvis & Phrygios utraque jactet avos.
Sic quodcunque tibi veniet de pectore carmen,
Te, precor, omne meæ ſerviat hoc patriæ.
Culta fave, jam ſurgit opus, nunc Brixia vati,
Quale ſonat dulci Cynthius ipſe lyra.
Non ingrata fuit divino Roma poetæ,
Cum caneret fractas Laomedontis opes:
Illi & Parthenope largita eſt munera vivo,
Quin etiam extincto buſta ſuperba dedit.
Et qui Peligni vates eſt natus aquoſis,
Extremum Scythica clauſit in urbe diem,
Illic nec tumuli caruit combuſtus honore,
Nec lacrymas duri continuere Getæ:
Qui, quanquam rigidum fuerat projectus in orbem,
Publica virtutis præmia ab hoſte tulit.
Et caput illius ſacra cinxere corona,
Laudibus ornarunt, & monumenta viri.
Hoc vere eſt, patrios ſine cæde extendere fines,
Atque homines ſemper demeruiſſe bonos.

In libro autem Hendecaſyllab. leguntur ejuſdem Brunorii hendecaſyllabi, quorum initium:

Fran-

Franciſce Aonidum ſacer Dearum,
Et Phœbi comes, iſte namque dulcem
Donavit citharam tibi &c.

In fine autem eorundem Brunorius concinnatam a Spinula Pſalmorum Paraphraſin, ſuppletamque Flaminii Camœnam, *maturo minime elevatam partu*, his verbis extollit:

O ſi de facie, te amice, noſſem,
Qui deſiderio tui videndi
Peruror, cupida ut puella amantis,
In te paſco animum, tuiſque chartis,
Nam vatem redolent pium, & beatum.
Lætor præterea, quod ipſe vivat
In te, Flaminius, quem acerba nobis
Ab fata eripuere, ſed benigni
Cœlites ſtatuere, ne periret
Poetæ interitu illius camœna
Maturo minime elevata partu,
Quam ſubinde ſinu excipis tenellam,
Atque illam reficis beato amore,
Quo Divorum animi fruuntur uſque
Inter agmina cœlitum beata.
Ut jam ſit ſpecie magis venuſta, &
Prodeat ſolito ampliore cultu.
Quare, cum nequeam tibi decenter,
Quas jam debeo, gratias referre,
Nec quot ſunt homines, eruntque poſthac,
Habere, aut agere, aut referre poſſunt,
Multa Jeſſiades tibi rependat
Merenti bona, laureamque frondem,
Expreſſa ob ſua tam laborioſa
Sacra carmina, myſticos & hymnos,
Dis chariſſimus, optimuſque vates.

Inter Spinulæ Poemata, omnis prorſus generis, edita typis, quæ mihi in manibus ſunt, jam dixi ſuperius,

rius, eam Paraphraſin minime comparere. Lucem utique vidit Baſileæ primum anno 1548. & de ea Editione, ut puto, in Carmine, quo Spinula modo recitatis Brunorii hendecaſyllabis reſpondet, queritur ipſe; dum Germaniam, ſe ſatis ſuperque reclamante, ſuum Poema jejunum prorſus, & impolitum edidiſſe, ſcribit, ſubditque:

Tamen, ſi ſuperi mihi faventes
Otio dederint frui cupito,
Expendam omnia, diligenſque, lima
Et mordacius utar, ut latinum,
Quod abſolvere molior, Poema
Flamini videatur eſſe totum.

De Davidis Pſalmis a Spinula paraphraſtice & ſcriptis, & ſcribendis, exſtat M. Antonii Majoragii teſtimonium ad Joannem Baptiſtam Porrum in hendecaſyllabis, qui in Spinulæ ipſius Hendecaſyllab. libro leguntur pag. 47. Ita enim in eorum fine Majoragius ad Porrum,

Triginta hos cape nunc venuſtiori
Florentes ſerie, & lepore cantus,
Confectos tibi Spinulæ labore:
Mox totum accipies bene expolitum,
Confectum tibi Spinulæ labore,
Romana Davidem lyra canentem.

Rainutii etiam Gambaræ, Brunorii Comitis filii, amicitiam coluiſſe Franciſcum Spinulam teſtantur plures hujus verſus eidem inſcripti, inter quos adeſt Epigramma de Joanne Franciſco Raynutii fratre, ad Cardinalatus apicem evecto.

XVII. Vincentius Zinus, Brixianis propemodum ignotus, tres carminum libros elucubravit, quos in exiguæ molis volumine Veneti typi an. 1560. publicarunt. In his patriam, & conditionem ſuam Zinus declarat ſubſequente ad Herculem Ferrariæ Ducem Epigrammate:

Non ego ſum Romæ, mediis nec natus Athenis,
Sed me progenuit Balneolenſe ſolum.
Nec Phœbo vates genitus, genituſve Sibylla,
Meloniſque bibi, non Heliconis, aquas.
Zinaque gens noſtra eſt, Vincenti nomine dicor,
Si patriam quæris, Brixia mi patria.
Cum mihi plus ævi dabitur, majora dabuntur,
Hæc tibi ſunt nuper quæ mea Muſa dedit.

Eundem Herculem Ducem, alioſque ejus familiæ Principes Zinus majori ex parte carminibus ſuis decantavit, & in Elegia adverſus Invidos eum ipſum Ducem, tanquam ſuum Alcidem, jactat, ſub cujus clava tutus foret. Hinc eſt, in iis Zini carminibus frequenter Viros illos doctos celebrari, quibus ea tempeſtate Herculis, & Renatæ ejus conjugis Aula abundabat, nimirum Portum, Antimachum, Baldum, Pignum, Calcagninum, Arioſtum, Strozzas, Gyraldos, Guarinum, Madium, Muſam, & Manardum.

In Nuncupatoria autem ſuorum carminum Epiſtola ad Nobiliſs. adoleſcentulum Philippum Contarenum, Petri Franciſci Zini, doctiſſimi illius, editiſque Operibus, præſerrim ex Græca lingua verſionibus, admodum celebris, Archipresbyteri Lonati, oppidi in Brixiano agro, ac Veronenſis poſtea Canonici, conſanguineum ſe teſtatur Vincentius his verbis: *His ego te do-*

tibus

tibus illuſtrem cernens, cum me Lonatum ſuperioribus annis ſæpe conferrem, ut Petrum Franciſcum Zinum conſanguineum meum, apud quem tu optimis diſciplinis operam dabas, bonoris gratia viſerem, facere non potui, quin te mihi ſemper amandum, obſervandumque proponerem. P. Franciſcus Zinus docuit Patavii moralem Philoſophiam, exſtatque typis edita an. 1574. Venetiis ejus de Philoſophiæ laudibus Oratio, quam habuit in Gymnaſio Patavino, quum publicum illius interpretandæ munus aggreſſus eſt.

In fronte carminum Vincentii Zini viſitur tetraſtichon a Marco Contareno, Philippi fratre, compoſitum, quod eſt hujuſmodi:

Cur deſiderio ſcriptorum, Zine, tuorum
Nos crucias? nimium ſupprimis illa diu.
In lucem deprome novem jam dona ſororum,
Divina ingenii da monumenta tui.

XVIII. Æque ac Vincentius Zinus, omittitur a Brixianæ Bibliothecæ Scriptore Joſephus Milius Voltolina. Hujus Poema, de Hortorum Cultura, tribus libris diſtinctum, & Vincentii Sabii typis an. 1574. Brixiæ editum, qua commemoratione, qua laude ſit dignum, declarat Euphraſti elogium in Epiſtola ad Bonianum Gratarolum Poemati illi præfixa: *Non defuerunt* (inquit) *Viri doctrinis præſtantiſſimi, qui de Hortorum Cultura præcepta doctiſſime, & elegantiſſime literis mandaverunt quamplurima: inter quos Columella Poeticis numeris ea præcepta tradidit diligentiſſime, ut jam nihil amplius addi poſſe videretur. Ætate tamen noſtra Joſephus Milius Saloenſis excellentiore quadam muſa*

tribus libris de Hortorum Cultura ita feliciter cecinit, ut quotquot ante ipſum ſcripſerunt, omnes unus ipſe facile ſuperaverit.

Quum Poema hoc Voltolinæ Brixiani ipſi, ut dictum eſt, propemodum ignoraverint, nil mirum, ejus nullam mentionem fieri a Nicolao Rapino in Præfat. ad quatuor libros Hortor. in qua totus eſt in tractandi a ſe argumenti difficultate exageranda, aitque inter cætera: *Quæ vero temeritas tentare rem, quam partim propter difficultatem eorum, quæ prætermiſerat Virgilius, partim propter eorum, quæ cœperat, excellentiam, perſequi nullus poſterorum auſus ſit?* Auſus id fuerat carmine Epico *non infelici*, ut aliqui loquuntur, L. Junius Moderatus Columella; & quam feliciter illud ipſum tentaverit Saloenſis noſter Poeta, ſpeciminis loco ſint verſus, quos modo recitabo. *Hi primo loco* Iſabellam Sociam, cui Poema inſcribitur, ad diſcendam hortorum culturam invitant; deinde Bonfadii invocant Muſam, ac poſtea argumenti partes omnes declarant.

De Hortorum cultura Liber primus, Joſephi Milii Voltolinæ ad Iſabellam Sociam.

Huc teneræ, huc huc ferte pedem, mea flamma, puellæ,
Eſt quibus Hortorum cordi cura, huc, precor, omnes
Currite; Tuque adeo Sociæ pulcherrima gentis,
Virginei decus una chori, Iſabella, venito.
Hortorum hic cultus diſces; quid ſcilicet Hortos
Perpetuo lætos faciat bene olentibus herbis;
Ni gravibus renuis terram ſubvertere raſtris,
Et brevibus verſam pala diſtinguere ſulcis.
Non labor, Heſperides fœlices quo minus Hortos
Excolerent, ullus fecit; labor ullus, amatos
Negligere Hortorum cultus, induxit Adonin;

Alci-

Alcinoum nunquid, cui jam Phœacia tellus
Paruit, & populo dixit qui jura ſuperbo,
Sub pingui puduit lactucam condere terra?
Aut vacuis digito betas infigere glebis?
Ille haud erubuit, duro ſola frangere raſtro,
Et ſuper immundum cinerem conſpergere, & herbas
Extirpare manu nocituras pinguibus Hortis.
Dulce illi hoc ſtudium, grata illi hæc una voluptas:
Felix ille Hortos non aſpernatus, opacis
Conſenuit, vitamque ſenex finivit in Hortis.
Ergo age, tu mea cura veni, Iſabella, tibi ipſos
Dicimus, Hortorum (ne quæſo, deſpice) cultus.
Bonfadi pia Muſa, colis quæ hæc frigida Tempe,
Antraque opaca, ſonans rapido qua flumine Cliſis
Gazano vicina tuo prata irrigat, umbras
Inter, ubi nemorumque comas zephiritides auras
Perpetuo tecum, comites tibi ludere fama eſt;
Si tibi de viridi Benaci in littore muſco
Conſtitui, quæ circum aras, nova ſerta quotannis
Appendam, ſacriſque ſuper redolentia flammis
Thura adolem, precor, huc niveis allabere pennis;
Hicque mihi, teneras mecum miſerata puellas,
Da canere Hortorum cultus, faveaſque canenti.
Quam velit Hortus humum; quæ illius cura colendæ;
Ponere quo ſepes deceat; quoque ordine vites;
Nobilis hic optet quas ſedes quælibet arbor;
Et quæ, quotque modis, hinc condimenta parentur;
Semina delectu cultæ quo credere terræ;
Quique herbis locus edulibu', qui floribus aptus:
Naſcentis quæ cura oleris, qui cultus alendo;
Quo tranſplantandæ ſint tempore quælibet herbæ;
Sint veſpertinis ut fontibus exhilarandæ;
Milleque delicias hic vos formare docebo,
Smilace, vel mirto, aut hederis, buxove virenti;
Tandem divitias Hortorum poma legemus;
Si modo promiſſum dabitur deducere carmen.

Vix, quam Milius noſter ingrederetur, difficultatem,

tem, & ſalebras, ne uno quidem verbo ipſe, ut appa-ret, indicavit. Contra vero qua ratione eas Lectoribus inculcaverit, atque jactaverit in Præfatione ad ſuum Poema Rapinus, jam vidimus; idemque quos ſibi canenti plauſus ſylvas, & quercus Galliarum excitaverint, his verſibus in fronte libri 2. expreſſit:

Vos grandes luci, & ſylvæ, aſpirate canenti:
Is mihi contingat, veſtro de munere, ramus,
Unde, ſacri quando velant ſua tempora vates,
Ipſe & amem meritam capiti impoſuiſſe coronam.
Jam ſe cantanti, frondoſa cacumina, quercus
Inclinant, plauduntque comis nemora alta coruſcis.
Ipſa mihi lætu fremitu, aſſenſuque ſecundo,
Et totis plauſum reſponſat Gallia ſilvis,

Quanto rectior, & modeſtior Milii Saloenſis Invocatio:

Bonfadi pia Muſa, colis quæ hæc frigida Tempe,
Antraque opaca, ſonans rapido qua flumine Clyſis,
Gazano vicina tuo prata irrigat &c.
Huc niveis allabere pennis,
Hicque mihi, teneras mecum miſerata puellas,
Da canere Hortorum cultus, faveaſque canenti.

Equidem Milio Voltolinæ potius, quam Rapino eam ipſam laudem deberi quis cenſeat, qua Horatius in Art. Poet. dignum putavit Poetam ita incipientem, *Dic mihi, Muſa, virum*, potius quam Poetam, cujus Poematis initium, *Fortunam Priami cantabo.*

Opus ſuum Joſephus Milius Voltolina Joachino Scaino Juris perito præſtantiſſimo dicavit, tanquam primos Unanimis Academiæ fœtus, quam prope intermortuam ejuſdem patrocinio commendat. De Scaini autem laudibus, & de Æthereorum Academia, in qua

ipſe

ipſe Scainus primas tenebat, hæc habet Voltolina: *Ea enim natus es patria, ex qua, tanquam e ſeminario, Viri in omnibus artibus peritiſſimi alio transferuntur; ex ea familia ortus, quæ Saloi, quaſi aliquod lumen, ſola videatur, Scaina familia, prudentia, ſanctitate, pietate, religione, ac liberalitate lucere. Tu præterea in celeberrimis literarum ludis, Muſis Græcis, Latinis, Hetruſcis, tanta aſſiduitate, atque diligentia ſtuduiſti; ut æqualibus tuis omnibus longe præſtiteris. In Patavino etiam Gymnaſio, tam ardenti animo, in præceptis Philoſophiæ verſatus es, ut quicquid Plato, quicquid Ariſtoteles docuerit, optime teneas; itaque ibidem in nobiliſſima Æthercorum Academia maxima Scholaſticorum, ac Philoſophorum corona, ſummo illorum plauſu, lectionem de tempore in duos dies conſumptam ita expoſuiſti, ut nullus eſſet auctor, neque Græcus, neque Latinus, neque Hetruſcus, qui de ea re verba fecerit, quin illorum ſententias in tuam expoſitionem collegeris. Quid dicam de legum peritia? in quibus tantum profeciſti, ut id omnibus, qui te de Juſtitia publice diſſerentem audiere, admirationi maximæ fuerit.*

Nomina illuſtriorum ſua ætate Saloenſium, Milius verſibus his, qui in lib. 2. leguntur, indicavit,

Numve ſinum Saloi? ſimilis cui nullus ubique eſt,
Qui gentem bello egregiam, ſtudiiſque Minervæ,
Calſonum tulit, Ugonem, Clarumque Paternum,
Cathaneoſque duos, & te, Ludovice, fores qui
Gentis Cerutæ nobis, ni id fata negaſſent,
Et patriæ decus æternum, lumenque perenne;
Teque, Peregrine, & te, Gratarola; ſed hic te
Quod tulit, o Iſabella, ſinus facile omnibus anteit.

His

His utique maximo jure accenſendus Milius ipſe, de cujus Opere, præter verba ſuperius allegata, hæc etiam habet Euphraſtus in eadem ad Gratarolum Epiſtola: *Quare habet lector hortorum perfectam, & abſolutam doctrinam mira verſuum elegantia conſcriptam. Sunt enim verſus omnino elegantes, candidi, & cum admirabili ſuavitate graves, & magnifici. Mirus eſt auctor in rerum deſcriptionibus, mirus in fabellis ſuaviſſimis confingendis; excitat undique delectationem, ac animi quandam jucundiſſimam titillationem. Habes judicium meum, Boniane Gratarole, honeſtum quidem, ac ſincerum de hortenſibus libellis noſtri Milii.*

Milii Voltolinæ Poema occaſionem nobis præbet de Auguſtini Galli Brixiani Opere ad Agriculturam pariter ſpectante, Italica lingua conſcripto, aliquid hoc loco dicendi. Opus illud in viginri libros dividitur, ſeu in viginti dies, per quos, Brixianis aliquibus Civibus ad colloquendum inductis, res omnis ruſtica enucleatim explanatur. Exſtant ad calcem Operis plures Auguſtini Galli ad amicos literæ, & amicorum ad ipſum, datæ ab anno 1558. uſque ad annum 1568. In iis & plura ad ejus Operis ſcopum, vitæque ruſticæ commendationem ſpectantia attinguntur, & quibus auctoribus, quibuſve de cauſis Gallus fuerit excitatus, ut eam provinciam aggrederetur, edocemur. Legitur inter alias Epiſtola Joannis Baptiſtæ de Romano Venetiis ſcripta an. 1560. quæ Gallum hortatur, ut quoniam Joannis Tatti Agricultura, quæ paulo ante prodierat, recenſque evulgatæ Palladii, & Creſcentii Operum in Italicam linguam verſiones rei ruſticæ cupidis

haud

haud omnino ſatisfacerent, eam ipſe accurate, & copioſe illuſtrandam ſuſciperet, unde Itali quoque ad gloriam illam pervenirent, quam Gallos, & Hiſpanos ea tempeſtate aſſecutos fuiſſe, eorundem lucubrationes teſtabantur, & præſertim liber de Agricultura, ex Hiſpano in Italicum idioma nuper converſum, editumque Venetiis a Michaele Tramezino, Typographo. Suis hiſce hortationibus Epiſtolæ Scriptor deſiderium Veneti Typographi, Andreæ Arrivabene, adjunxit, cui nimirum ſpes inerat, ornato, & utiliſſimo de agrorum cultu volumine eam ſuæ officinæ laudem parari poſſe, qua Jolitorum illa ex commendatiſſima Cavalchanti Rhetorica in lucem edita gloriabatur. Subdit demum, novam hanc reparatæ Agriculturæ famam Brixiæ in primis deberi, quum in illa Urbe præclara floreant ingenia, diſciplinis omnibus exculta, & ea ſit Brixiani agri fertilitas, & cultio, ut parem in tota Italia non habeat.

Quam libenter Gallus hujuſcemodi provinciam ſuſceperit, patet ex literis, quibus Joanni Baptiſtæ de Romano reſpondit, faſſus ſe ab octo jam annis plura ad id operis collegiſſe, & ſcriptis conſignaſſe. In alia autem ad Albertum Lollium Epiſtola data anno 1565. gratias Deo agit, quod poſt aſſiduum duodecim annorum ſtudium, ſexaginta ſex annos jam natus, Opus de Agricultura in lucem proferre valuiſſet. Dies tantummodo decem prior Editio complectebatur, quibus tres poſtea ſunt additi, ac demum alii ſeptem, ſicque ad viginti excreverunt, cujuſcemodi præfert Veneta Editio an. 1573. quæ mihi in manibus eſt.

Quo plauſu exceptæ fuerint Galli noſtri lucubrationes, teſtantur Carmina Quærengii, & Taygeti, quæ ſubdimus.

Ant. Quærengii in Auguſt. Gallum Acad. Occul.

Semideum ſoboles, gens fortunata, coloni
Qui colitis ſylvas, & dulcia finditis arva,
Quæ Pater effuſo percurrit flumine Mella,
O manibus date thura piis, date munera Divis,
Agricolæ, Cereri ſpicas, laticemque Lyæo
Purpureum, ſua dona Pales, ſua ſerta Napææ
Accipiant nymphæ calathis, violaſque, roſaſque,
Soſpes ut Adriacis Gallus referatur ab oris,
Maxima cura deum Gallus, quem rupe ſub alta
Olim florentem ſtudio, & puerilibus annis
Agrorum varios cultus, & ſidera cœli
Erudiit Pan montivagus, cui Mœnala curæ,
Cui nemora Arcadiæ parent. Vos ille recluſis
Theſauris, quos ima tenet per viſcera tellus,
Spernere divitias Arabum, Syrioſque liquores
Juſſit, & inventis opibus ditavit agreſteis.
Nam docuit quæ cura boum, quæ pabula læto
Sufficiant pecori, quid prata virentibus herbis
Veſtiat, & pingui glebas fœcundet ariſta,
Nec non arboribus quæ ſit natura creandis,
Quidve ferant Platani ſteriles, humileſque Geniſtæ,
Sponte ſua aerias tendunt quæ in luminis oras.
Tum ſuper hæc, apibus melior qui cultus habendis,
Unde prius liquido manarunt Nectare cellæ,
Ambroſiæque dapes hominum venere ſub auras.
Nil adeo intactum liquit. Stupuere docentem
Sylvanique ſenes, & capripedes Satyriſci.
Jamque illum Heſperiæ populi venerantur, & omnis
Gens colit, ut prima Superos ætate ſolebant,
Cum patrias nondum victor remeaſſet ad arceis
Liber, & incurvi juvenis monſtrator aratri
Chaoniam toto glandem depelleret orbe.
O fortunati nimium, quibus otia longa
Inſontes peperere artes, monituſque verendi,

Vos

Vos manibus date thura piis, date munera Divis
Agricolæ, in patriam ut liqvidis referatur ab undis
Gallus, & æterni linquat monimenta laboris.

Jo. Ant. Taygeti ad Auguſt. Gallum Acad. Occul.

Galle, decus patriæ, Muſarum gloria, Galle,
Atque idem Phœbi delitiæ, & Charitum.
Qui ſcriptis terræ mandas præcepta colendæ,
Quæque gregi, atque apibus cura adhibenda doces.
Tum canis heſperidum felicibus æmulus hortis,
Ut tollat virides Cytria Sylva comas.
Terra Mari potius miſcebitur, & mare cœlo,
Quam pereat nomen, Galle diſerte, tuum.
Ecce tibi choreas ducunt, ridentque Napææ,
Floridaque in pictis munera dant calathis.
Grataque ſollicitus perſolvens vota colonus,
Primitias ruris donat habere tibi.
Paſtorumque manus magnorum e ſemine Divum
Jactat, & Arcadiis læta canit calamis.
Parva loquor. te fama ſonat, te noſcit Eous,
Te Scytha, te Lybicus laudat, & Heſperius.

Itaque non in Italia tantum magna fuit Operis hujus exiſtimatio; diſcimuſque ex Hercule Cato, qui Caroli Stephani Agriculturam ex Gallica Italicam reddidit, Auguſtini Galli Agriculturam in Gallicum ſermonem fuiſſe converſam, ſuoque labore Herculem Catum ei nationi vices quodammodo reddere voluiſſe. Opus ſuum Auguſtinus Gallus Emmanueli Sabaudiæ Duci dicavit, & ad calcem Epiſtolæ datæ an. 1569. memorat Gallus Civem ſuum Petrum Comitem Advocatum, qui id temporis a Principe illo ad graviora quæque negotia tum belli, tum pacis adhibebatur.

Tandem Lectorem monemus, de præſtantiſſima,

& maxime utili Agriculturæ diſciplina Brixianos ea etiam de cauſa magnopere meritos fuiſſe, quod Petri Creſcentii Tractatum, adeo multis typographicis mendis vitiatum, ut vix legi poſſet, Comes Jo. Franciſcus Gambara, ſtudiis omnibus literarum, ac proinde Agriculturæ etiam addictiſſimus, ſumma diligentia in otio Prati Alboini expurgaverit, ut fidem facit Auguſtinus Gallus in lib. ſeu die 19. Præivit itaque, aut ſaltem comitem ſe addidit Jo. Franciſcus noſter Franciſco Sanſovino, qui eo ipſo tempore in eadem expurgatione operam ſuam collocavit, quibus, aliiſque coronidem impoſuit Sebaſtianus de Rubeis, Academicus Florentinus, nova edita ejuſdem Operis emendatione Florentiæ an. 1605. typis Coſimi Juntæ.

Ad Saloenſem noſtrum Poetam rediens, cujus occaſione de *Auguſtini Galli Agricultura* ſermonem feci, moneo, ſcriptum ab eo fuiſſe Poema aliud, cui titulus, *Hercules Benacenſis*, quodque Brixienſes Vincentii Sabii typi an. 1575. publicarunt; ad calcem autem Poematis de Hortorum cultura eundem Eclogam, & Hendecaſyllabon adjeciſſe.

XIX. Laurentius Gambara, de quo modo dicendum, Brixianus ille eſt Vates, quem Poeticam rem aggreſſi indicavimus a M. Antonio Mureto ſat celebri, eoque ſordido dicterio perſtrictum perhiberi. Tam gravi injuriæ refellendæ, ecquiſnam erit, qui ſatis eſſe non putet Pauli Manutii, eum ipſum Varem eximiis præconiis exornantis, auctoritatem? En hujus verba in Epiſtola ad ipſum Laurentium Epiſtolar. lib. 4. *Patavii dum eras, habebas in manibus egregium*

gium illud Poema de novis Insulis a Columbo detectis: cujus ego cum exordium multis præsentibus legissem, admiratus gravitatem, & elegantiam carminis, exclamavi, Cedite Romani, *in quo adhuc, qui a me dissentiret, inveni neminem. Quo magis te hortor, quanquam, ut spero, currentem, ut approperes, habeasque rationem non expectationis modo nostræ, verum etiam gloriæ tuæ, cujus habes a natura præclarum seminarium, quod etiam studio excolis, ingenium tuum.* Idem in alia ad eundem item lib. 4. Epistolar. de Basilii Zanchi miserabili interitu scripta, hujus amicitiam cum Gambara, & parem utriusque in Poetica facultate peritiam in hunc modum extollit: *Vixistis una semper conjunctissime, alter alteri egregie carus, & fuit uterque vestrum ad Poeticam facultatem natura propensus, ac mire factus, ingenio vero ita pares, ut cum nemo tam bonus Poeta sit, quin vobis primas in componendis versibus partes tribuat, (quam confessionem etiam ab invitis exprimit Poematum comparatio) uter tamen utri præstet, nondum satis judicare quisquam possit.* Hæc, inquam, Pauli Manutii verba, vel sola satis evincunt falso in vulgus spargi, adeo dissentaneo ab iisdem judicio Laurentii Gambaræ versus a M. Antonio Mureto notari potuisse. Dum enim Muretum dico, hominem dico sua Scripta, carmina etiam, Pauli Manutii censuræ frequenter submittentem, elegantissimum hujus ingenium, Atticasque prorsus aures semper admirantem, & in Italia longe unum Manutium, qui cæteris omnibus literarum gloria antecelleret, prædicantem. Hæc omnia ex Mureti ad Manutium Epistolis constant, quæ proinde de-

mon-

monſtrant, M. Antonio Mureto neminem minus idoneum fuiſſe, qui a Manutio diſſentiret, idque in probanda Laurentii Gambaræ Poeſi, qua in re Manutius ipſe affirmavit, neminem adhuc inveniſſe, qui id faceret. Quid? quod Juſtus Lipſius, exquiſiti utique judicii cenſor, adeo Laurentium Gambaram ob Poeticæ venæ felicitatem ſuſpexit, ut rumore de ejus morte in Belgium perlato, actum quodammodo de Italæ Poeſis gloria cenſuerit. Ita enim ſcribit ad Fulvium Urſinum Epiſtolar. lib. 2. *Verus ne ad me nuncius accidit, Laurentium Gambaram obiiſſe? Non verus, ſpero, nec Muſæ permittant. Si tamen eſt, doleo; primum utriuſque noſtrum cauſa, qui amicum, deinde Italiæ veſtræ, quæ Poetam amiſit, & amiſit eo tempore, quo opus minime foret. Vides enim illa regio veſtra, quam nunc hoc genere ornamenti non abundet.* Inſuper Lylius Gregorius Gyraldus, etſi in Brixianos Poetas, ut vidimus, non omnino bene animatus, Laurentium Gambaram, cujus Poemata Romæ excuſa legerat, & numeris poeticis, ac figuris, & varia eruditione inſignem haberi, teſtatur de Poet. noſtr. temp. Dial. 2.

Laurentii Gambaræ carminum ad manus habeo duplicem Editionem Romanam, nimirum an. 1581. & an. 1586. nec non Baſileenſem an. 1555. per Joannem Oporinum, in qua Laurentii carmina Baſilii Zanchii carminibus ſubjunguntur, utique ex arcta, quam inter ſe colebant, amicitia. Poemata minora Laurentii pleraque omnia ſacram tractant materiam; majora vero ſunt ſex, quorum argumenta, Columbus, Venetiæ, Caprarola, Expoſiii, Gigantomachia, Anguis.

Ex

Ex Columbo verſus complures poſtea recitabo. Poema, Venetiæ, Jo. Franciſco Gambaræ Cardinali, Brunori filio, inſcripſit Poeta, atque ita incipit:

Quæ cauſa impulerit non nota in regna ferocem
Hunnorum regem Scythiæ traducere gentes,
Adventus quorum in Carnos, partemque patentem
Italiæ, primum Venetæ fuit urbis origo,
Franciſce, expediam. Non hic tu prælia cantu
Mœonio vulgata leges, non aurea Phrixi
Vellera, ſed Veneti primordia prima Senatus.
Non mihi Calliopes opus eſt, nec Apollinis aura,
Si vati de more tuo, Franciſce, favebis,
Et valeant rupes Heliconis, & unda Aganippes.

Caprarolæ deſcriptio ad Alexandrum Farneſium Cardinalem his verſibus inchoatur:

Dum nos te canimus, præclaraque facta tuorum,
Et poſitam Cimini latis in collibus arcem,
Farneſiæ gentis ſidus, columenque, meumque
Præſidium, & ſemper ſummis exercite rebus,
Maxime Alexander, tu vati aſſiſte canenti,
Hic inter gelidos fontes, platanumque comantem,
Gratior æſtivos qua temperat aura calores,
Et nemorum placidis percurrit flatibus umbras.

Poema, cui titulus, Expoſiti, ad Antonium Perenottum Cardinalem Granvellanum, & in Neapolitano Regno Pro-Regem, de Leuce, & Daphnide in Lesbo inſula expoſitis agit. Illud metaphraſin eſſe Longi Paſtoralium de Daphnide, & Chloe, multaque ſe addidiſſe de ſuo, ut imitatorem, non ut interpretem, monet ipſe Gambara in Præfat. ad Lector. quare non erat, cur Voſſius de Hiſtoric. Græc. ſcriberet, Longum in Gambara vix agnoſci, huncque propterea meliorem

Poe-

Poetam, quam Græce intelligentiorem. Gigantomachia ad Nicolaum Madrucium desideratur in utraque Editione Romana, & solum comparet in Basileensi. Anguis autem in omnibus illis deest, & seorsim Venetiis editus fuit, defletque in eo Poeta Jo. Francisci Gambaræ, & Maphæi ejus filii funera.

Columbeidis in quatuor libros divisæ, quibus argumenta præmittuntur ab Aurelio Urso Romano confecta, initium hujusmodi est:

Perenotte, virum referam, qui littora primus
Ingentis tetigit Cubæ, non cognita nautis
Hactenus, oppositumque polum, novaque astra retexit
Nuper, & inventas cancri sub sidere terras.
Accipe, quæ quondam jussisti carmina, ab Afris
Cum domitis Cæsar dulcem, claramque redisset
Parthenopen victor, qui forti milite densas
Tot Turcarum acies validis superaverat armis,
Et pulsum Regem regnis induxit avitis.
Non sine te maris immensos invadere fluctus
Tentassem ratibus, nec vasto in gurgite vela
Tendere, sed Mellæ tenuissem parva fluenta,
Hic ubi Chinæas arces, atque arma, virosque,
Et fines latos canerem, terramque feracem
Tot frugum, & ferri venas: urbs condita ab alto
Sanguine Cenomanum ducit genus, aspera bello
Quæ fuit, & lætis Italos successibus auxit.
Te Carolus semper magno est dignatus honore:
Namque tibi curam soli commiserat omnem
Regnorum, Imperiique simul, bellique, togæque
Tempore, nunc breviter tibi dicam, quæ genitori
Rettulit ipse tuo longe admiranda Columbus.
Jam cœlum, & terras tenebrosa involuerat umbra
Humida nox, pelagique sinus, unoque favebant
Ore omnes, & erant mensis sublata secundis

Posi-

Pocula jam, ſolitoque pius de more ſacerdos
Egerat ingentes ſubmiſſo vertice grates
Æterno cœli, & terræ, rerumque parenti.
Cum primus Granuela inquit, nova gloria gentis,
Chriſtophore, Auſonidum, dic nunc ex ordine portus,
Inventos a te, dic regna, tuoſque labores,
Et toties ſileant Vates jactare Pelaſgi
Innumeros terræ tractus luſtraſſe, viaſque
Alcidem, Bacchumque etiam vidiſſe orientem
Auroram toties, bello dum territat Indos.
Hæ vatum ſunt ambages, longeque ſuperſtes
Illorum fama eſt major, quam vivida virtus,
Et totum implerunt variis erroribus orbem.
Felix Auſoniæ tellus, cui contigit uni
Totius mundi Imperium, nunc & quoque felix,
Quæ talem te læta tulit ſub luminis oras,
Cui Deus omnipotens alto dignatus Olympo eſt,
Tot pelagi monſtrare vias, tot regna, tot urbes
Egregias, quas majorum non viderat ætas.
Per te namque illæ Cancri ſub ſidere gentes
Unumque, trinumque Deum agnovere, repulſis
Numinibus, veri quæ gens ignara colebat:
Quos omnes noſtri tinxere ſalubribus undis.

Hoc Poema Laurentius Gambara in Epiſtola, quæ præmittitur, ad Cardinalem Perenottum, teſtatur ſe ſcribendum ſuſcepiſſe ipſius Perenotti auctoritate, qui ſcilicet Neapoli ſæpe ſibi memoraverat Columbi navigationem, cujus hiſtoriam Nicolaus ejus pater ab ipſomet Columbo acceperat, quum eſſet Barcinone, & aliquot poſt annos Carolo V. ſumma cum ejus voluptate narraverat. Inter Epiſtolas Bartholomæi Riccii Lugienſis, ſcilicet in parvo volumine quatuor earundem libros complectente, edito Ferrariæ an. 1562. una adeſt, & eſt prima lib. ſecundi ad Laurentium Gambaram

elegans, & faceta, qua Riccius, quod ad ſeptuaginta jam annos perveniſſet, ſe minime idoneum dicit ad ſuſcipiendam navigationem ad Indos, quo Gambara una cum ſuis Heroibus illum tranſvehere cogitabat, ac propterea ſatis futurum, ſi ad ignem cum Columbo totum illud iter legendo ſibi conficeret.

Complura Laurentii Gambaræ Poemata Baſilius Zanchius indicavit duobus Epigrammatis, quæ ſequuntur.

Ad Laurentium Gambaram.

Laurenti, vita ipſa, oculis mihi charior ipſis,
Cui ſacer ipſe chorus laurea ſerta dedit.
Nunc tu, ſive canis Phrygii paſtoris amores,
Sive tuo Boreas carmine Pityn amat,
Cymothoenque vagus ſequitur per cærula Triton,
Orionque aliis concidit æquoribus,
Sive feros magno ore ſonas in bella Gigantes,
Horridaque invicto fulmina miſſa Jove;
Linque, precor, glaciale ſolum, qua turbidus Iſter
Horret, & incanis Barbara terra jugis.
Jam tibi Laurentes concordi numine Nymphæ,
Et Tybris Vati maxima dona parant.

Ad eundem.

Laurenti, pomoſa colis dum Tiburis arva,
Scribis Apollinea carmina digna lyra,
Dum canis & nautas, Xantippi & triſtia fata,
Dum Mopſum abſentem dulcia ad arva vocas;
Venator dum lina docet diſponere Theron,
Sectari & celeres per juga longa feras,
Leucothoæ divina Venus dum lumina reddit,
Pierias vena divite fundis opes,
Dumque Elegis fontem celebras, quem magnus Julus
Edidit, & rarum ſurgere juſſit opus,
Hic ubi læta capit ſomnos Laurentia Leuce,
Hic ubi virgineus temperat ora liquor.

Et

Et cum principibus verſaris culte Latini
Carminis, & dulci paſceris ambroſia,
Dum ſilvas, dum rura legis, dum Martia bella,
Dum Nemeſis, & dum Delia in ore ſonat:
Felix, cui viridem lauru, myrtoque coronam
Pierides texunt, Pieridumque pater.

Pariter in Eclogis, quas præſtantiſſimis Poetis, ſcilicet Pontano, Navagerio, Caſtalioni Baſilius inſcripſit, Laurentium eodem honore donavit; nam quarta *Alcon*, ſive *Laurentius Gambara* inſcribitur. Gambara viciſſim & ſecundam ex ſuis Eclogis nuticis Baſilio Zanchio inſcripſit, & in Poemate, Caprarola, de eodem hos habet verſus:

Hic ubi ſæpe canit choreas, & gaudia Divum
Zanchius, aut campos ſpatiantem narrat Alethem,
Mirantem cœli tractus, atque ætheris oras,
Et mundi verum auctorem, rerumque parentem;
Dumque canit, Siculus Sampſon percurrit eburno
Pectine fila lyræ, quem circum Æneia pubes
Exultat, ſpargitque locum fragrantibus herbis,
Et vatum chorus aſſurgit, plauditque canenti.

Prius illud Zanchii Epigramma profectionem indicat Laurentii Gambaræ ad gelidas Germaniæ oras, quam etiam attingit ſubſequens de eodem M. Antonii Flaminii Hendecaſyllabon.

Ad Laurentium Gammarum.

Quod numen male amicum, amice care,
Hanc mentem tibi miſit, ut relicta
Roma, frigore ſæviente, adires
Ad gentem horribilem, trucemque? tu ne,
Vates candide, cui Marone digna
Phœbus ſcribere donat, efferata
Iſta in Barbaria morare? quis jam

Neget ſidera celſa poſſe Olympo
Labi tartara in ima? at inſcientem
Ne malus male perdat error, audi,
Quid Phœbus pater, & novem Camœnæ
Prædicant tibi, ſi manere pergis
Iſtic, ex lepido, & bono poeta
Fies Meuius, & tuos libellos
Vitabit lue pejus, & veneno
Quicquid eſt hominum elegantiorum.

Laurentii Gambaræ Poeſis tot elogiis præſtantium Poetarum ſui temporis exornata, eo majorem commendationem meretur, quo magis inſigne Chriſtianis Poetis exemplum præbuit, igni traditis Poematis integris, ſatis multis uſque ad decem verſuum millia, quod turpia, & falſorum Deorum fabulas continerent. Id ipſemet teſtatur in quodam libello, in quo tum de perfectæ Poeſis ratione tractat, tum oſtendit, cur abſtinendum ſit a ſcribendis Poematis turpibus, & falſorum Deorum fabulas continentibus, ac quam late pateat campus ad pulcherrima alia Poemata edenda. Hunc libellum eſſe eam ipſam Tractationem, quam Antonius Poſſevinus in lib. de Poeſi affirmat ſe Laurentii Gambaræ nomine, ita ab eo rogatum, ſcripſiſſe, non adeo certa res eſt, ut patebit laudatum Gambaræ libellum comparanti cum iis, quæ ex Tractatione illa ſua adtexuit ipſemet Poſſevinus Bibliothecæ Selectæ lib. 1. cap. 25. præter quam quod credi quidem poteſt, Laurentium Gambaram textus quoſdam ex Sanctorum Patrum Operibus ſibi a Viro ſacrarum literarum perito excerpi curaſſe, non autem libellum integrum ab eo efformari, eumque rerum ipſius Gambaræ

baræ narrationem magna ex parte continentem, cui poſtea nomen ſuum præfigere, quodammodo ambiret. Poſſevinum Opuſcula quædam ſub aliorum nomine aliquando evulgaſſe, Auctores Biblioth. PP. Soc. Jeſu nos monent, & tria hujuſcemodi allegant, inter quæ minime adeſt Tractatio, de qua locuti ſumus.

Haud ſilebo, aliud de Columbi navigatione Poema editum fuiſſe ea ipſa tempeſtate a Julio Cæſare Stella, nobili Romano, aut ſaltem ejus Poematis libros duos priores, nam eos tantum exhibet libellus Romæ an. 1589. evulgatus, qui mihi in manibus eſt, præfertque Franciſci Bencii Epiſtolam ad Lectorem, qua duo illi libri tanquam fœtus excellentis ingenii, & in Arte Poetica ſupra ſuam ætatem, & admirationem omnium exercitati adoleſcentis, collaudantur, iiſdemque ſuffragia M. Antonii Mureti, Petri Victorii, Angelii Bargæi, Fulvii Urſini, Joannis Tonſi, Antonii Quærengi, Marii Curtii, ac demum Garſiæ Loaiſæ, quibus omnibus Opus ſuum inſpiciendum dederat Jul. Cæſar Stella, acceſſiſſe perhibentur. Mirum in ea Bencii Præfatione nullam prorſus mentionem fieri Poematis de eodem argumento compoſiti a Gambara Brixiano, cujus certe laus eſt, principem veſtigia poſuiſſe, & maximam a Manutio commendationem reportaſſe. Jul. Cæſar Stella, licet Romana nobilitate fulgeret, haud tamen ægre ferebat (ut patet ex ejus Epiſtola Italica ad Octavium Rubeum, quæ legitur inter Epiſtolas ejuſdem Rubei a Bartholomæo Fontana collectas) famiſiam ſuam pro Brixiana etiam haberi, quod in ea

Urbe

Urbe nonnulli ejuſdem nominis Cives jam diu floruiſſent, atque florerent.

Equidem Vincentium Stellam Juris Conſultum Brixianum, ejuſque filium Joannem Baptiſtam pluribus carminibus Laurentius Gambara celebravit. Ad Vincentium illum binæ exſtant Pauli Manutii literæ Epiſtolar. *lib.* 2. qui, dum Aſulæ eſſet, ad viſendam Brixiam humaniter ab eodem invitatus, eo deſiderio ſe flagrare reſpondet, quod audiſſet, eam eſſe Urbem pulcherrimam, quodque in ædibus ipſius Stellæ ea jucunditate, & lætitia ſe potiri poſſe ſperaret, quæ omnem illi mœrorem ex quotidiana, qua tentabatur, febricula contractum abſtergeret. Binæ itidem ejuſdem Manutii in eodem libro ad Fabium Vincentii filium Epiſtolæ, in quibus & Vincentius pater, tanquam magni nominis Vir, ſummiſque virtutibus ornatus commendatur, Fabius vero filius, tanquam excellentis ingenii adoleſcens, optime ad virtutem animatus; quæ omnia ſe perſpexiſſe Manutius affirmat, quo tempore diverſatus Brixiæ fuerat in eorum ædibus. Utriuſque pietatem in primis extollit Manutius, patris quidem, qui otii quidquid haberet a foro, publiciſque muneribus, totum id in Theologia libentiſſime conſumeret; filii vero, qui abhorrens a luſu, venatione, curſu, alea, & literis deditus eſſet, & ea frequenter meditaretur, atque curaret diligenter, quibus vitæ æternæ ſalus comparatur. Hæc habentur in ſecunda ad Fabium Epiſtola, plena utique ſapientiſſimis monitis, inter quæ illud quam maxime egregium: *Omnino, velim te, quum de divinis rebus cogitas, minuere opinionem ſcientiæ, demitte-*

mittere animum, ac mentem, unamque putare certiſſimam doctrinam, pietatem in Deum, aut benevolentiam, & ſtudium erga illos, qui nobis a Deo commendantur. Ad Honorium Stellam, alium ejuſdem Vincentii filium exſtat Epiſtola Bartholomæi Riccii Epiſtolar. lib. 4. in parvo illo quatuor librorum volumine, de quo ſupra, ſcribitque in ea Riccius, ex paraphraſi Ciceronis Orationis pro Marcello ab Honorio confecta, ſumma admiratione ſe ſuſpexiſſe, eorum annorum adoleſcentem, ac pene puerum, tam prudenter, tam compoſite, tam eleganter ſcribere. In hac ipſa Stellarum familia emicuit, non multo ante hos modo recenſitos, Bartholomæus, de Apoſtolica Sede multifariam benemeritus, & Cardinalis Reginaldi Poli in Anglicana Legatione fidus comes, cujus tumulo hoc inſcripſit Sabæus noſter Epigramma.

Dic Romæ, & Patriæ, ſic me vidiſſe ſepultum,
Hoſpes, ſi Romam veneris, & patriam.
Extra cognatos perii, verum inter amicos,
Inter & amplexus, & Domini lacrymas.
Non doleo mortem, ſed non potuiſſe reverſum,
Pole, triumphantem cernere te in patria,
Ut cujus dolui exilium, ſortemque malignam,
Gauderem tantis plauſibus, & reditu.

Tandem de Laurentio Gambara obſervo, ejus carmina in fronte præferre nuperas, eaſque ornatiſſimas tam Michaelis Mercati Metallothecæ, quam Hieronymi Mercurialis de Arte Gymnaſtica Editiones.

XX. Quod a Laurentio Gambara proditum vidimus, Chriſtianis Poetis, qui turpia, & Deorum fabulas rejecerint, late patere campum ad pulcherrima alia Poemata

mata conſcribenda, id re ipſa præſtiterunt Monachi duo Brixiani, quos jam jam in medium adducam, ac primo loco Theophilum, cujus verſus exhibet mihi libellus, hac nota concluſus: *Impreſſit Brixiæ Bernardinus Miſinta Papienſis Calchographorum caſtigatiſſimus, Hieronymo Donato Prætore eminentiſſimo, anno Theogoniæ MCCCCXCVI.* Præmittitur huic notæ Heliæ Capreoli ad Auguſtinum Æmilium Epiſtola, qua docemur Dialogum, quem de Vita Monaſtica, & Politica inſcripſerat Theophilus, ipſius Capreoli hortationibus a Theophilo typis conſignatum fuiſſe, poſtquam tamen illum Guidoni Ubaldo Urbini Duci, & dedicaſſet, & obtuliſſet.

En ipſa Capreoli Epiſtola.

Helias Capreolus Auguſtino Æmilio. S. P. D.

BRixianam gloriam quanti ſemper feceris, quanta ope Cives noſtros quacunque virtute præfulgentes, ſis amanter, obnixeque proſecutus, Auguſtine lepidiſſime, palam eſt omnibus ſtudioſis. Nam (ut cætera miſſa faciam) continuæ illæ adhortationes tuæ, quaſi acres ſtimuli, quibus me, ut Reip. noſtræ ab uſque prima origine præclara geſta conſcriberem, in dies ſollicitaſti, nobis vel certiſſimum rei afferunt teſtimonium. Quum itaque mihi anno ſuperiore Theophilus nobiliſſimus Civis noſter, egregiuſque poeticæ venuſtatis excultor, Dialogum, quem de vita monaſtica, & politica inſcripſerat, & jucunde, & familiariter lectitaret, hortari illum cœpi, ut libellum populo ederet, quum & amicis maximæ voluptati foret, & patriæ noſtræ non dedecori. At ille ſeſe id effecturum pollicebatur; ſed non priuſquam ipſum tutiſſimo litteratorum confugio Guidoni Ubaldo, Urbini Duci, & dedicaſſet, & obtuliſſet. Nuper autem, poſtquam ſapientiſſimus Princeps, & opus ſimul, & auctorem ipſum humaniſſime excepit, non mediocrique officio, & meritis

lauda-

laudibus honeſtavit, Theophilus promiſſæ publicationis non immemor, nobis exigentibus morem geſturus, opuſculum impreſſoribus tradendum credidit. Cujus ad te idcirco exemplum dono miſimus, ut tu, qui es omnium virtutum ſpecimen, & patrii decoris ſtudioſiſſimus, quaſi utriuſque vitæ juſtus arbiter (id quod Theophilus deciſum noluit) tuum aliquando nobis judicium afferas, & pro amiciſſimo homine clypeum adverſus Zoilos una mecum ſumere fidenter cures, quum intellexeris, feſtinatæ huic, ſed non abortivæ editioni me ſimul cum ipſo auctore fuiſſe obnoxium. Vale. Pridie Kal. Octobris MCCCCXCVI.

Adeſt in fronte libelli Carmen, quo Theophilus Calliopen exorat, ut ejus ope Dialogus ille ad Feltrium Ducem perlatus, humaniter ab eodem excipereturr. Verſus aliquos inde excerpam, Theophili aſſiduum in re Poetica ſtudium teſtantes.

Tu mihi conſpicuæ primo ſub flore juventæ
Electa es ſtudiis unica cura meis.
Non me ſomnus iners, non me labor improbus unquam
Terruit, aut dubio ſemita calle rigens.
Forma, voluptates, fervor juvenilis, opeſque
Non mihi te blando ſurripuere ſinu.
Me pia cura tui juvenilibus impulit annis
Per freta, perque truces plurima ferre vias.
Viſere Pannonium juſſiſti interrita regem,
Et mea belligero carmina ferre ſeni.
Sed neque me rabidis vulgi expoſuiſſe negabis
Morſibus, ipſa meæ conſcia mentis ades.
Hæc & plura tibi dedimus, juvet eruta tandem
Præmia militiæ perſoluiſſe meæ.

Recitandi præterea priores ejuſdem Dialogi verſus, qui ita ſe habent.

Theophili Brixiani, de vita ſolitaria, & civili, ad invictiſſimum Principem Guidonem Ubaldum Monferetrium Urbini Ducem. Dialogus. Maurus Eremita, & Pyrrhus Eques.

Pyrrhe ſub ardenti quis te jubet impetus æſtu
Ire per abruptos ſilices, atque invia luſtra?
Siſte gradum, & molli mecum requieſce ſub umbra,
Donec ſera dies Phœbæos temperet ignes,
Aptaque frugalis referantur tempora cœnæ.
Ecce ſub algentem propior ſpelunca receſſum
Nos ciet, & læto arridet ſpectantibus ore.
Hinc Daphnæa virens baccato vertice laurus
(Cerne) Cleonæis aditum fervoribus abdit.
Inde papillatis hederæ junctura corymbis
Pumiceam reptans ambit denſiſſima cautem.
Ingredere, & viridi mecum diſcumbe ſub antro.
Panis, & heſterni ſervata coagula lactis
Sunt mihi, nec deerunt viridantia gramina nobis,
Quæ lentos acuant guſtus, naſturtia, mentam,
Aſparagos, crithymum, marathron, bulboſque ſalaces,
Intuba, & andrachnen, cepas, hilaremque meliſſam,
Lactucaſque brevi reſides conſevimus horto.
Ingredere, & viridi mecum diſcumbe ſub antro.
Hic ſcatet illimi fons irradiatus arena,
Qui tribuat junctis Acheloum in pocula palmis.
Hic gelidus tenui ludit ſpiramine caurus,
Hic viduus turtur, progne, philomela, meropſque
Alternas miſcent operoſo gutture voces,
Atque Therapnæos modulis imitantur olores.
Ingredere, & viridi mecum diſcumbe ſub antro.

Sequuntur in eodem libello Elegi plures Encomiaſtici de Vita, & Moribus Divi Bernardi, quibus inſeritur Elegia, cui titulus, *Divi Benedicti pro inſtauratione Monaſticæ Religionis prolata ſupplicatio, & accepta a Deo promiſſio*. Elegos iſtos Theophilus Ludovico Mar-

Martinengo nuncupavit brevi hac Epiſtola.

Theophilus Brix. Magnifico Ludovico Martinengo ſuo.

EN quam petieras libelli mei, immo tui, correctionem examuſſim peregimus. Utri autem noſtrum magis debeat neſcio, tibi ne, cujus juſſu denſiſſimis librariorum mendis eſt erutus, an mihi, qui ſecundam ei limam, quamvis tardius, efflagitanti non negarim. Non enim incongruum duxi, ut qui maturum partum Semeles utero expectare fuerat prohibitus, Jovis ſaltem femori fovendus inſueretur. Vale, Brixianæ nobilitatis decus, & nos, ut facis, ama.

Libellum claudunt Hymni novem, quorum priores verſus, binos ſcilicet ſingulorum, afferam, at prius recitanda, quæ iiſdem præponitur, brevis Præfatio.

Theophilus, Brixianus, Rever. Patri D. Simoni Ticinenſi, Juſtinianæ Congregationis Ord. S. Benedicti Præſidenti digniſs.

HAbes, Pater humaniſſime, hymnos (ut mihi injunxeras) ſapphico metro concluſos, venia (ut arbitror) digniores, quam laude. Tibi enim non tam fucatæ eloquentiæ pompam, quam hiſtoricæ veritatis puritatem exhibendam cenſui. Vulgatum eſt enim, Deos ipſos, non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia, & ſanctitate lætari, gratioremque exiſtimari, qui delubris eorum puram, caſtamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit. Vale.

In ſolemnitate Beatiſſimi Patris Benedicti.

Ad Veſperas. Hymnus.

Laudibus cœli reſonent canoris,
Templa ſolemnes modulentur hymnos, &c.

Ad Nocturnum.

Quidquid antiqui cecinere vates,
Quidquid æternæ monumenta legis, &c.

Ad Laudes.

Ruſticum ſolo, Benedicte, nutu
Traxeras vinclo miſerum tenaci &c.

In ſolemnitate Divi Lucæ Evangeliſtæ.

Ad Veſperas. Hymnus.

Plauſibus turbæ reſonent fideles,
Atque concentus alacres frequentent, &c.

Ad Nocturnum.

Hic Dei gratum meruit levamen,
Scripta quum legis referans vetuſtæ, &c.

Ad Laudem.

Jamque poſt caſus varios laborum
Nec tamen carnis temeratus unquam, &c.

In ſolemnitate Beatæ Juſtinæ.

Ad Veſperas. Hymnus.

Virginis ſacræ redeunt honores,
Et dies mundo celebris refulget, &c.

Ad Nocturnum.

Virginem dirus rapuit ſatelles
Ante crudelis ſolium tyranni &c.

Ad Laudes.

Jam dies longo revoluta curſu
Conſcios ſacri tulerat ſepulchri, &c.

XXI. Titus Proſper Martinengus, Monachus Benedictinus, quam pie, quam feliciter & ipſe ad ſacra argumenta Poeticam venam converterit, ut ob id etiam Theophili, de quo ſupra, Sodalis jure ac merito dici poſſit, haud opus eſt pluribus hoc loco explicare, quum ejus Elogium lato calamo perſequatur nuperus Bibliothecæ Benedictino-Caſinenſis Auctor, ad quem propterea Lectorem remittimus, ut facile inde percipiat, eas a doctis Viris laudes Proſperum noſtrum aſſecutum fuiſſe, quæ aperte comprobant ſummam ea tempeſtate fuiſſe ejus nominis exiſtimationem. Excellebat

lebat ſiquidem trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ notitia, & adeo excelſum in Græca Poeſi verticem aſcendiſſe viſus eſt, ut Pindarus alter, alterque Homerus paſſim audiret. Tres Tomi Romæ editi apud Franciſcum Zanettum an. 1589. & an. 1590. quos ad manus habeo, ejus Poemata complectuntur. Bini quidem Latina, & tertius Græca. Theotocodia, ſive Parthenodia, Opus eximium in laudem Deiparæ Virginis; Theophanea, ideſt divini luminis manifeſtatio; & Hymnorum, ac Carminum varii generis magna copia, binos illos componunt; tertius vero Græca complectens, in fronte habet Epiſtolam Corteſii cujuſdam Græci, quo eadem magnopere commendantur, & ipſe Proſper api æquiparatur dulciſſimum mel ex Pindaro, Muſæo, Heſiodo, Orpheo, Callimacho, Lycophrone depaſcenti. Aliorum in Proſperum Elogia tam Græca, quam Latina omnibus patent in tribus illis Voluminibus. Nos contenti erimus hic adtexere non ita utique obvium P. Spinulæ Carmen jambis conſtans.

Ad T. Proſperum Martinengum, Brixianum, ſuum.

Mirare, quod te, Paſtor, ornatiſſimum
Sapientiaque præditum ipſe dixerim?
Quid ſi addidiſſem hic, & alias dotes tuas?
Nam ſanctitas in te, atque liberalitas,
Genuſque nobile, omnium & mortalium
Contemptus, atque religio conjuncta ſunt
Cum temperantia, atque probitate, & fide.
Scientiam linguarum omitto enim trium,
Animique puritatem, & æquum, cognita
Quæ ſunt mihi, atque Brixianis omnibus.
Tu Martinengorum ergo lumen, & decus,

Ut

Ut neſciens puella formoſiſſima
Suum decorem, pulchritudinem tuam
Modeſtia iſtiuſmodi auges maximam.
Dulces ad umbras Gambaræ hæc ſub umbra ego
Tibi canebam, cum bonus Vates mihi
Brunorius, cui dixeram, me Brixiam
Redire velle, frenum equi dixit mei
Non inveniri: quid ſtruis fallaciæ
Sodalis? inquam, Proſpero doctiſſimo
Promiſi enim hodie me regreſſurum hercule.
At ille, Proſper dixit in ſomnis mihi
Caſtris roganti, ſe mea cauſa, & prece
Muſam tuam promiſſione ſolvere;
Tecum ſit, uſque dum libet. Reſpondeo,
Logi, eſt opus me in civitatem regredi.
Pergitque dicere ipſe, Amicorum omnia
Communia, ægre Proſper ergo non feret:
Te utì ſuis, abibis illo ex Idibus,
Deditque plures verba ſic luces mihi.
Demum dies poſt quattuor, cum nec daret
Mi frenum adhuc, & pertinacem me utier
Pro freno alumnus Martis, atque Cynthii
Zona videret, id mihi juſſit dari.
Fidei igitur Brunorium fractæ reum,
O Proſper integerrime, haud me, dicito,
Sero tibì caballus hic ſi redditur,
Nam qui impedit volentem, is in culpa eſt. Vale.

Præter Poeſin, ſeveriores etiam literas T. Proſperum Martinengum excoluiſſe, diſcimus ex Manutiana Operum S. Hieronymi Editione, nec non ex D. Chryſoſtomi, & Theophylacti, quin ipſorum Græcorum Bibliorum libris, egregie ejus opera Romæ emendatis, de quibus in quarta parte hujus Speciminis dicendum erit.

XXII. Ubertinus Poſculus, Brixianus, plura compo-

posuit Poemata, quorum ne unum quidem typis editum reperitur. Præ cæteris celebre illud, cui titulum fecit, Constantinopolis. Ipso initio Musam se hortantem inducit, ut quoniam jamdiu per mille pericula conatus fuerat, ea comite, virentem Laurum carpere, & fontibus Castaliis ora intingere, tandem sisteret gressum;

Et nostros, inquit, modulare modos, jam tempore longo
Præludens tremulas plectro perstringere chordas
Te docui. Veros cantus nunc tempora poscunt.
Non antiqua canas, jubeo; nam vidimus ipsi,
Excindi magnam imperio, belloque potentem,
Sublatamque urbem insignem, manibusque cadentem
Teucrorum, quos ipsa prius subjecerat armis.

Opus dividitur in quatuor libros. Primus narrat, ut legitur in ejus fronte, *Causam excidii, fraudesque Pelasgum*. In secundo agitur de morte Joannis Imperatoris Constantinopolitani, Eugenii IV. Romani Pontificis, atque Amurathi Turcarum Tyranni, nec non de singulorum successoribus, scilicet Constantino, Nicolao, & Mahumete. In tertio, *Pax facta in terra narratur, bellaque cœpta*. In quarto, Constantinopolis direptio. Clauditur Opus hoc tetrasticho.

Brixia me civem, Ubertinum Poscula honesta
Gens tulit, hæc ausus talia qui cecini.
Me Constantini studiis urbs dulcis habebat,
Cum cecidit bello, Teucrum ego præda fui.

Mentionem Ubertini Poscoli fieri reperio inter doctos Brixianos in Panegyrico sæpius citato Danielis Cereti hoc disticho.

Aut te Puscoleæ decus indelebile gentis,
Cui palmas duplices utraque lingua dedit.

XXIII. Poetarum Brixianorum ſeriem concludent Bonifacius Bembus, Joannes Calphurnius, & Pylades Buccardus, qui eandem exordiri debuiſſent, ſi in ea texenda, propoſitum nobis fuiſſet vetuſtæ, aut recentioris ætatis rigidam rationem habere. Contra vero ad illam dumtaxat ætatem, quam Operis titulus declarat, reſpicientes, temporum ordinem religioſe ſectari rem inutilem duximus, dummodo recenſio noſtra intra ſtatutos nobis fines, nimirum intra ævum, quo bonarum artium renata ſunt ſtudia, conſiſteret. Accedit, quod major illa, aut minor Auctorum vetuſtas vix aliquando, aut ne vix quidem, definiri certo potuiſſet, nam Auctoris ortus, ſcriptionis, & mortis epochæ improbo plerumque, quin ſtulto labore inveſtigatæ, aut incertæ ipſæ manerent, aut incertum nobis relinquerent, quænam ex ipſis in eo temporum ordine digerendo magis foret attendenda, ſi eas inter ſe colluctari contingeret; nec enim qui cæteros ortu præceſſit, ante cæteros etiam ſeu ſcripſiſſe, ſeu obiiſſe, neceſſario conſequitur. In cauſa autem, cur Calphurnio, & Pyladi, a quibus Bonifacium Bembum haudquaquam diſiungere viſum fuit, poſtremum hunc locum aſſignaremus, fuit mentio frequentiſſime de iis facta tam in priore, quam in altera hac hujus Speciminis parte, cum carminum etiam ab eis conditorum recitatione non rara; unde æquum viſum eſt, ut in noſtra Poetarum ſerie reliquis aut nulla ratione, aut non ita crebro, antea commemoratis locum darent. Nullum autem hic dabimus Jo. Britannico, Jo. Taberio, Codro Urceo, nam poeticum eorum ingenium ſatis ſuperque prodiderunt,

quæ-

quæ de iiſdem ſuperius ſuis locis ſunt tradita.

Calphurnius autem, ſat celebre condidit Carmen, de quo Baptiſta Guarinus in Diſſertatione de Latin. ling. reparat. ita ſcribit: *Quid Calphurnio copioſius? quidve eruditius? an ejus carmen mediocri videtur vobis laude dignum?* Exſtat hoc Carmen ad calcem Vicentinæ Editionis Catulli, Tibulli, Propertii, Papinii Statii Sylvarum an. 1481. per Joannem Rhenenſem, & Dionyſium Bertochum. Ejus argumentum, laudes Joannis Inderbachii, Pontificis Tridentini, & interitus beati Simonis infantis a Judæis mactati. Laudes ita incipit Calphurnius.

Vir Sacer, & noſtro Princeps memorabilis ævo,
Cui præclara dedit virtus moderamina juſti
Imperii, & populos rexiſſe ex ordine plures,
Et fidei vexiſſe decus venerabile, quod non
Contineat præſens, nec poſtera deleat ætas,
En ego primitias vates tibi defero, fas ſit,
Te nugas cœpiſſe meas, quæ nunc de pectore parvo
Inſurgunt, ſat erit magnum voluiſſe laborem
Suſcipere, atque animum magno ſub pondere vinci.
Non mea Muſa tamen laudes æquare canendo
Contendat, nec ſi faveat mihi doctus Apollo.
Quis tibi par, magni moveat niſi plectra Maronis
Meonidæque ſacri? &c.

Interitus autem beati Simonis infantis his verſibus deſcribitur.

At quis Mœonio ſatis explicet ore colendas
Juſtitiæ vires, pœnas aut crimine tanto
Enumeret dignas, quas gens Judæa coacta eſt
Perſolviſſe tibi, & merito, nam perfida nuper
Auſa nefas, quantum non ſæcula priſca tulerunt,
Aut noſtro factum nuſquam memoratur in ævo.
Vos, o mortales, vero qui pectore Chriſtum

Excolitis, placeat veſtro cur ſanguine paſci
Judæam gentem, cui mos, ut barbara quondam
Natio conſuevit, latia dum lege repreſſa eſt,
Stat mactare aliquem, diro debinc pane repleri,
Noſter ubi admixtus ſanguis, quo corpus odorem
Deponat tetrum; quid ſi dominentur, & in nos
Imperium teneant? ſcelus eſt non perdere gentem,
Atque e vita hominum non extruſiſſe nefandam.
Namque dies aderat nobis, qua ſacra quotannis,
Atque reſurgentis Domini ſolemnia fiunt,
Et lux Martis erat, ſubito Samuelis ad ædes
Judæi properant, quibus hi poſuere ſacellum,
Scilicet ut ſolito ſpectarent more juvencum,
Qui Levigi fuerat nuper devectus ab agris.
Inter ſe vario ſed dum ſermone volutant
Plurima, tunc falſi qui nominis Angelus eſſet
Incipit effari, nobis ut cuncta ſuperſunt
Ad ſolemne ſacrum, feſtæque ad fercula cœnæ,
Deficere his unum doleo, nec plura locutus.
Cætera turba atrox vocem percepit, in illum
Lumina conjectans, cædem quod poſceret atram
Sanguinis humani, ſic fœdere victima triſtis
Ludibrio Chriſti, & facinus, prob grande, paratur.
Delegere locum, fœdi placuere penates.
Illi ubi conſtiterant; poſt hæc contentio ſurgit,
Qua ratione queant infantem abducere, qui mas
Eſſet, at in variis donec ſententia verbis
Quæritur, extemplo blanda ſic voce locutus
Eſt ſervus Samuel: age, Lazare, noſtra voluptas,
Chriſticolam infantem nobis en ſurripe, centum
Aureoli pretium; verum is diſcrimine tanto
Abnuit, & pavida ſtupefactus mente Tridenti
Sarcinulis lectis ſedes, ac tecta refugit.
Hinc Tobiæ mandata humeris provincia, noſtræ
Uſus erat multum qui conſuetudine gentis.
Horrendum hic poſita ſubiit mercede periclum,
Egrediturque foras, paſſuque incedit inerti,
Cuncta oculis luſtrans, ſoluſque perambulat urbem.

Si

Si quis forte infans cara ſine matre vagetur,
Nec comitatus eat, ſed ſors ſit ut improba ſemper,
Hinc dignoſce, homini præſto quæ occurrit, agendum
Eſt quotiens dirum facinus; genitoris ad ædes
Ecce marem aſpexit nullo obſervante ſedentem,
Qui phœbi nondum ternos expleverat orbes,
Cujus erat pulcbra viſum nihil indole majus;
Huic placide arridens digitum porrexit, & intra
Perduxit miſeros blando ſermone penates.
Gaudia quis fando, quis promat carmine vates,
Quæ gens dira tulit? ſiccis nam faucibus illum
Non ſecus aſpexit, tigris velut orbe repertam
Hircano lacerat prædam, catuliſque relinquit.
Illico concurſu trepido petiere ſacellum
Implentes totas diris ululatibus ædes,
Nec potuere moras optati ferre cruoris.
Interea genitor Maria cum matre vagatur
Andreas, mœſtis perluſtrans planctibus urbem,
Exploratque gemens, ſi fors veſtigia nati
Accurrant, aditus omnes, & compita luſtrat.
Aſtitit hos circum puerilis turba frequenti
Concurſu, & natum divino ex ore monebat,
Eſſe apud Hebræos, quo mactaretur ad aras.
Cumque hominum ſuſpenſa foret mens, factus in illos
Impetus, ac ſubito ni ſera crepuſcula noctem
Traxiſſent, totas flagraſſent ignibus ædes.
Sed rediere domum jam merſo ſole parentes,
Tota expectantes lucis pejora futuræ.
Et jam tempus erat noctis, quo cuncta quieſcunt.
Veſtibulum ingreditur templi, ventura furore
Qui falſo Moſes ſenio vergente canebat.
Excipit & genibus puerum, qui victima triſtis
Deprehenſus, ſtat ut agna, lupi cum dentibus hæſit.
Cætera turba ferox veſtes ſuccincta, cucurrit,
Fibula quas lateri vinxit, manuiſque reductis
Nudavit fœdos media plus parte lacertos,
Et crura ad ſuras; duris cruciatibus olim
Sic, Chriſte, occumbis, pateris cur, optime rector,

Tanta in te fieri, genus hoc quin fulmine perdes.
Heu quis non gemitus fundet, cui fata legentur
Hæc dura infantis? Samuel properavit, & illi,
Quod zonæ evinctum, perstrinxit guttura velo.
Ille manus sacrum caput, hic atque ora repressit,
Edere ne tristes vagitus posset; at ense
Quamprimum Moses præputia summa nefando
Perforat, atque malæ frustum convellere dextræ
Forcipe festinans nitido cratere reponit.
Colligitur sanguis, tenero de corpore partem
Quisque secat, donec visum est excedere vulnus
Orbem, tunc manibus pueri sæpe oscula claudunt,
Si strepere auditur; culpæ sævissimus auctor
Ecce iterum Moses dextro de crure trementem
Exsecat, & vivo lacerat de sanguine pulpam.
Hic una & Samuel distendunt brachia, duram
Inque crucem tollunt laceratum corpus, acuta
Quivis pungit acu, ne pars sincera supersit.
Prætereo in Christum tot verba obscœna, tot inter
Vulnera contemptus, dira nam voce precantur,
Sic hostes nostri pereant, sic perdite Christum.
Has inter pœnas, tanta & ludibria fessos
Erigit ille oculos, suspectat sydera, testes
Implorat superos, laceri jam corporis artus
Deficiunt, humerisque caput declive recumbit.
Qui postquam æthereos felix volitavit ad axes,
Ecce iterum quanto plausu, & clamore per ædes
Insultant, aut hos tenuit quam magna voluptas.
Namque super celsi trascurrunt culmina tecti,
Oraque, vel geminas tollunt ad sydera palmas,
Atque Deo innumeras referunt pro crimine grates,
Quod sacrum obtulerint solemne infante perempto.
Protinus ad lautæ descendunt fercula cœnæ,
Occultumque cados subter posuere cadaver.
Quod pius Antistes totam lustrarier urbem
Jussisset, sceleris magna hos formido tenebat,
Quod jam suspecti populo, atque parentibus essent.
Septima lux aderat; mensa posuere cadaver,

Et

Et ſacros cecinere hymnos, quis rite peractis
Occultant iterum trepidi, nec gaudia ponunt.
Ecce diem Titan fidis mortalibus almam
Extulerat jubare exorto, qua Chriſte reſurgis.
Quæritur & variis melior ſententia verbis,
Quidquid agant, cum jam crimen vix poſſe viderent
Ulterius condi, ſuſpectique omnibus eſſent.
Hoc unum placuit, corpus cum veſte recinctum
Flumine ſubmergi, ſubter quod labitur ædes.
Mitti ad Pontificem, ductum qui perferat undis
Infantem extinctum, ſed non potuiſſe relabi
Exceptum ferri clauſtris; it nuncius, illi
Hæc mandata refert; ſubito Inderbachius heros
Aſſurgit, magna comitum ſtipante caterva,
Corporeque invento pueri perſpecta notavit
Vulnera, ſenſit enim fraudem, juſſitque catenis
Judæos tetro præcludi carcere vinctos,
Qui meritas paſſi pœnas, namque igne cremari
Hos voluit, populi tractos ante ora per urbem.
At ſacer ille Simon Petri ſtat in æde repoſtus
Integer, & nullo vitiatur tempore corpus,
Plurima quod Divo fundit miracula nutu.
Lumina reſtituit cœcis, rectumque roganti
Dat claudo inceſſum, ſurdique audita loquuntur.
I, nunc, & dubita Chriſtum, gens perfida, votis
Excoluiſſe piis, potuit quæ ſigna dediſſe
Certa magis fidei? non credis, crimina cauſam
Dant, ut non videas, nec poſſint iſta probari.
Sunt quoque Pieridum qui vix a fonte reverſi
Hac in parte meum carmen damnare videntur,
Quod magis ingenium deceat conſumere nugis,
Sed ſat erit, ſacer Antiſtes, ſi noſtra probabis,
Franciſcuſque Tronæ celeberrime gloria gentis,
Finibus extremis qui nunc dat jura Tridenti.

Hos omnes verſus recitandos exiſtimavi, quod nullam iſtius Calphurnii Carminis notitiam habuiſſe viſi ſint, qui Acta Sanctorum a Bollando cœpta proſequuntur;

tur; nam ad diem 24. Martii agentes de Sancto Simone puero Tridenti a Judæis necato, Acta ejus paſſionis tam ab Joanne Mathia Tiberino Medico ſcripta ex MSS. & Surio, quam Acta poſt paſſionem ex Italico libro impreſſo Tridenti, in medium proferunt, allegantque Janum Pyrrhum Pincium, Mantuanum, priora illa exſcribentem, ſubinde etiam ornatiora reddentem libro 4. de Vitis Pontific. Tridentinor. nec non Ughellium eadem brevius perſtringentem; at ne verbo quidem Calphurnii noſtri meminerunt, cujus tamen narrationi magna utique conſtat auctoritas, nam eam hiſtoriam deſcripſiſſe cenſendus eſt eo ipſo tempore, quo paſſio illa contigit; contigit enim, ut habetur in calce Actorum per Tiberinum, an. 1474. Carmen autem Calphurnii editum typis reperitur an. 1481. quo prodiit Editio illa Vicentina, & in Præfatione ad illam, de qua infra, Calphurnius ſe *olim* ſcripſiſſe Carmen illud ad Inderbachium affirmat.

Tiberinus hic Brixianis Scriptoribus, licet noſtris minime compertus, utique accenſeri debet, de quo incitatis Actis Italicis hæc leguntur: *Prætor autem* (Joannes de la Salle, legum Doctor, & nobilis civis Brixianus, ut ea ipſa Acta teſtantur) *quo maturius in re tanta procederetur, convocari juſſit Archangelum Balduinum, Medicum Tridentinum, Joannem Mathiam Tiberinum Brixianum, Poetica, & Oratoria facultate non minus, quam Medicinæ peritia, illuſtrem, & Chriſtophorum de Fatis de Terlaco, Chirurgum celeberrimum, ut inſpecto diligenter cadavere, & vulneribus trucidati, jurati edicerent, quid ſibi de eo facto videretur*. Ea Tiberini noſtri nar-

narratio insuper exhibetur tam a codice manuscripto, in quo hunc titulum præfert: *Joannes Mathias de Claris, magnificis Rectoribus, Communitatique Brixiensi Sal.* quam a libello Mantuæ impresso, in quo anni nota desideratur, ex alio libello, qui una cum ipso compactus annum 1477. præsefert, fortasse supplenda, nam literarum forma in utroque eadem prorsus apparet.

Quoniam vero hic incidit mentio Editionis illius Vicentinæ, unde Calphurnii Carmen desumpsimus, Catullum, Tibullum, Propertium, ac Statium Calphurnii studio emendatos complectentis, operæ pretium est, Lectorem moneri, ad illam ipsam referri, quod ab Hieronymo Avantio, dum ageremus de Catullo, proditum vidimus, dum ait: *Quis enim ante Calphurnii castigationem Catulli Scripta non stomachosus attingebat?* & paulo post: *Hic porro, quantum humani vires ingenii passæ sunt, uno mense elaboravit, ut quatuor illi Poetæ emendatiores haberentur.* Calphurnius ipse testatur susceptam a se in ea Editione curam, ad Hermolaum Barbarum, *Juris utriusque Doctorem peritissimum, Oratorem facundissimum, & Philosophum eruditissimum*, hæc scribens in Præfatione, quæ ad illam legitur: *Superioribus diebus a quibusdam adolescentibus studiosis rogatus, ut Propertium, aut si nollem hunc, Papinii Sylvas lectione quotidiana interpretarer, ne desiderium eorum frustarer, promisi me facturum, quod vellent. Quapropter cum percurrere cœpissem id opus, quod Venetiis impressum est, quod hos Poetas clarissimos continet, Catullum, Tibullum, Propertium, & Sylvas; tot mendis refertum esse deprehendi, ut longe plura essent vitiosa, & depravata, quam*

quam quæ emendata. Nullus certe ſenſus ex his elici poterat. Confeſtim conveni nonnullos impreſſores, & eos cohortatus ſum, ut iterum id opus imprimerent ea correctione, qua pollicitus ſum. Poſſum igitur gloriari, me non id emendaſſe, ſed fere totum exſcripſiſſe, ut quiſquis deprehendere poterit collato utroque exemplari.

Quod autem prodidit Avantius, quatuor illos Poetas emendatos fuiſſe a Calphurnio intra unius menſis ſpatium, id quidem diſerte non expreſſit Calphurnius; at ad illius Præfationis calcem affirmat, ſe majori celeritate opus illud properaſſe, *quod Bartholomæus Pajellus Vicentinus, Eques clariſſimus, & noſtri temporis Poeta cultiſſimus, ingenti aviditate id perlegere cupiebat; is eſt & tui amantiſſimus, & obſervantiſſimus.*

XXIII. Pylades Buccardus quam celebre nomen inter Criticos, & Grammaticos fuerit aſſecutus, quæ de ipſo ſuis locis tradidimus, aperte demonſtrarunt. Ut ſingulari inter Poetas quoque laude floreret, effecit Heſiodi Theogonia, elegiacis verſibus ab ipſo conſcripta. Ad manus habeo duplicem Baſileenſem Operum Heſiodi Editionem, unam ſcilicet per Joannem Oporinum, & aliam, cui præmittitur Præfatio Joannis Birchman Bibliopolæ, adjectis in utraque *Genealogiæ Deorum a Pylade Brixiano, Viro doctiſſimo, deſcriptæ, libris quinque.* Uberis hujus, & operoſæ Pyladis verſificationis afferam pro ſpecimine priores aliquot verſus libri ultimi:

Tantalus e Plote eſt nympha tibi Juppiter ortus,
Quem natum fama eſt appoſuiſſe Deis.
Ille quidem ſuperum fertur conviva fuiſſe,
Arcanis ſummi nec caruiſſe patris.

Quæ

Quæ quoniam eſt auſus mortalia ferre ſub ora,
Pectora ſunt multo preſſa dolore Jovis.
Protinus ad Stygios pulſus fuit ille receſſus,
Pomaque & inter aquas eſurit, atque ſitit.
Taygela huic Niobem peperit, quam prole ſuperbam,
Teque viro, Amphion, diriguiſſe canunt.
Edidit & Pelopem, tergo qui inſignis eburno
Fulſit, ubi infernis eſt revocatus aquis.
Quatuor inde Pelops fœtus tulit Hippodamia,
Quam victam celeri duxerat ille rota.
Lyſidicem matrem Alcmenæ, dirumque Thyeſten,
Atreumque ferum, Pliſtheniumque ſimul.
Polluit Atrei thalamos ſcelerata libido
Fratris, & Harpagigen, Pliſtheniumque tulit.
Tantalus acceſſit thalamo ſublatus eodem,
Sed prior & Pelope nata Thyeſte fuit:
Cui pater impurus ſe ſe commiſcuit, inde
Sanctior Ægiſtus non genitore ſatus.
At miſer Atreus natorum epulanda Thyeſti
Membra tori objecit fraude recepta ſui.
Quem mox Ægiſtus ferro confecit, & illi
Ereptum patri reddidit imperium.
Filius Atreo Eviolus fuit, atque Melampus,
Tertius Alceon, mater & omnis abeſt.
Pliſthenio geniti Menelaus, & ipſe Agamemnon,
Quos Merope exortos matre fuiſſe volunt.
Hos pater Atreo fratri, quum ceſſit in auras,
Tradidit, inque ſuam rettulit ille fidem.
Atridas hinc fama vocat, quos extulit Atreus,
Ut genitor primis fidus ab unguiculis.
Ex Helena Hermionem genuit Menelaus, Oreſti
Pactam, nec Pyrrho ſurripiente datam.
Quo tamen occiſo, rurſum hanc ſibi duxit Oreſtes,
Ut nos antiqui temporis acta monent.
Te, Menelae, patrem fortis vocat & Megapenthes,
Quem tibi fœtura Lydia ſerva dedit &c.

Opus ſuum Pylades nuncupavit Lucæ Tertio, *Pa-*

tritiorum Brixiæ ſplendori, & mecœnati ſuo, eique inſcripſit Epigramma, cujus poſtremum eſt diſtichon,

Hunc tu judicio poſtquam graviore libellum
Terſeris, in populum (ſi volet) ire jube.

Heſiodo placet Homerum, qui cum eo olim certamen iniiſſe fertur ad exequias Amphidamantis in Chalcide, hoc loco conjungere, ut de hoc quoque bene meritam fuiſſe Brixianam literaturam oſtendamus. Quum nihil prorſus Homerici typis impreſſum uſpiam (quod ego quidem ſciam) prodiiſſet, primi omnium Brixiani, Græcarum literarum, ut alibi adnotavimus, ſtudioſiſſimi, Homerum non earum tantum, ſed humanæ omnis doctrinæ fontem, quin flumen, & Oceanum, ut publicæ utilitati conſulerent, evulgarunt, edita in lucem an. 1474. per Henricum Colonienſem, & Statium Gallicum proſaica Iliadis verſione, a Laurentio Valla confecta, atque ex eo *volumine*, eoque anno Annales Typographici poſterioris Editionis epocham Brixianæ Typographiæ, falſo tamen, ut alibi indicavimus, & ſuo loco apertius dicetur, deduxerunt. Præfigitur Editioni illi Juſtiniani Luzaghi, Brixiani, Epiſtola ad Virum Clariſſimum Bernardum Juſtinianum, utique digna, quæ hoc loco integra afferatur.

Clariſſimo Viro Bernardo Juſtiniano, Equiti aurato, ac Oratori eloquentiſſimo, Juſtinianus Luzaghus S.

PLatonis ſcitum eſt illud, tritumque verbum, homines ſcilicet & hominibus naſci, atque cuivis in promerendo, quam in accipiendo, magis inſiſtendum. Quod cum ipſa rerum omnium parens natura multis, variiſque modis oſtendat; tum illud, & priſci Majores ſacris inſtitutionibus ſuis plane declararunt, qui eos cenſorio ſupplicio publi-

blice notabant, quos aut propriis in rebus minus diligentes, aut ſibi ipſis dumtaxat cum aliorum calamitate ſtudentes comperiſſent; illos, quod cæteris utiles fore nuſquam putarent, qui ſibi, ac rebus ſuis inertes invenirentur; hos vero, quod libidini ſuæ nimium obſequentes, humanam ſocietatem, cui omnes natura obnoxios ſtatuit, labefactarent. At e contra bene de aliis, & de ſua præſertim republica merentes, cum in hac vita & honoribus, & imperiis honeſtaſſent, poſt mortem quoque in cœlo, interque deos eo majores, potioreſque ducebant, quo illi in terris viventes aliis mortalibus beneficentiores, utilioreſque fuiſſent, ut Apollo, Æſculapius, Liber, Hercules, Quirinus, & alii quamplurimi, quos erroribus decepta gentilitas ſupplicationibus, variiſque cerimoniis, uti deos immortales, excoluit. Unde cum aliis ex gentibus, tum ex Romanis inprimis permulti fuere, qui pro ſua republica, atque amicis, & ſe, & ſua exponentes, nomina ſua uti veneranda, ita & immortalia poſteris tranſmiſere, ut Decii, Fabii, Scipiones, Scauri, Catones, & alii innumeri. Quo fit, ut deteſtabilior eorum mihi improbitas videatur, quos optimum, mediocre ve ingenium, ſeu aliam promerendi facultatem ab natura, fortunave ſortiti, & ſe malis artibus corrumpendos tradunt, & rebus ſuis ad aliorum perniciem, vel ad nullum certe commodum inglorii, deſideſque utuntur; aut cum ipſi nulla ex parte velint, vel poſſint quippiam viro dignum excudere, ſi quando aliquid ab aliis ad communem hominum utilitatem elucubratum nacti fuerint, illud perindeac Cereris ſacrum, humanumve illud cœlo delapſum Ancile, abditum, non dicam, ſervant, ſed verius, ne ſervetur, habent. Homines ſane Iſionea rota, qua æternum crucientur, digniſſimi. A quorum genere tu, ſapientiſſime Senator, tantum diſſentis, atque abhorres, quantum illi a recta, probataque vivendi ratione deviarunt. Sed indigetes illos (ſic enim olim habebantur) integerrimoſque Romanos vitæ ſanctitate, & præclaris facinoribus imitatus es. Nam ſive privatum, ſive publicum munus agens domi, foriſque omnibus opem tuam implorantibus præſto affuiſti, acrique ſtudio, & opera foviſti. Plerique vero, & generis obſcuritate, & re-

rum anguſtia ante incogniti, ductu, auſpiciiſque tuis, ad amplas dignitates, modeſtaſque fortunas aſpirarunt. Quanto vero Reipublicæ Venetæ ornamento, & utilitati ſis in dicenda ſententia, cauſis perorandis, legationibus obeundis, gerundiſque magiſtratibus, dicere non attinet, cum omnis ferme Italiæ angulus, quamtumvis remotus, tua reſonet magnifica, & præclara geſta. Sive enim ad ſummos Pontifices, ſive ad Imperatores, Regeſque excellentiſſimos, alioſve Principes Orator accedas, non Exorator tantum, ſed laudibus inſuper, ac dignitatibus auctus ad tuos reverteris. Quibus tamen rebus nuſquam inſolentior, ea & privatim es parſimonia, & publice manſuetudine, atque modeſtia, ut nemini te præferas, ſed omnes colas, omnes obſerves. Unde fit, ut quanto minus dignitatibus, atque honoribus ſtudes, tanto honoratior, glorioſiorque ſis, & habearis. Neque enim tu tantum præſentes favore, atque opera juvare inſtituiſti, qui & poſteritati longe proſpiciens multa, vel abs te utiliſſime lucubrata digeſſiſti, vel a Græcis digeſta Latina feciſti, ut, ſicut in mortalibus te agentem nuſquam gloria ſit deſertura, ita & deinceps perpetuo, & ubique celebratum, glorioſumque per hominum ora latum iri, haud ſit dubitandum. Præterea munus illud Oratorium, te tibi, familiæque tuæ domeſticum, ac peculiare feciſſe, quod ſummo olim ſtudio, & exercitatione ſibi pater tuus Leonardus Orator, vir in omni ſcientiarum genere longe doctiſſimus, quæſierat. Non poſſum cuncta memorare, neque id ad præſens ſatis negotium facit. Itaque jam ad alia diverto. Ego Homeri Iliadem Latinam, ut jam pridem noras, per Laurentium Vallenſem factam, ita, ut vides, imprimendam, propagandamque, ut mecum ſæpe egeras, curavi. Hoc ſane jamdiu preſtaturus, ſi cui id operis obeundum Brixiæ idoneum nactus fuiſſem artificem, & ſi quæ fideliora exemplaria comperiſſem, nec non, ut ingenue fatear, niſi hæc jampridem literarum ſtudia, domeſticis rebus implicitus, ſi non penitus, majore tamen ex parte rejeciſſem. Verum enimvero quod & tibi gratum, & omnibus utile fore, ſi id exponerem, exploratum haberem, illud diutius apud me reſidere nulla ratione ſum paſſus, ne quod in aliis reprehendere ſoleo, eo ipſe, &

alio

aliorum, & proprio judicio damnandus forem. Te vero præcipuum Oratorum decus, singulareque literatorum præsidium, cui hoc qualecumque est munus, inscriberem, dignissimum duxi. Quod cum vir sis optimus, mihique benivolentissimus, tum is certe es, qui utraque lingua ita polleas, ut solus Græcorum ubertatem, Latinorumque proprietatem consecutus videare. Accedit ad hoc, quod Ilias ipsa, quæ ut ignota, antea in pulvere, & tenebris, nunquam fortasse aliter lucem visura, tinearum esui relinqueretur, per te Italicæ claritati celebranda exhibetur. Quam, cum in Galliis Legationis munere fungerere, apud gentes eas tam neglectam, incultamque miseratus, jussu, & impensa tua transcriptam in Italiam, unde, nescio quo fato, ablata fuerat, retulisti. Opus medius fidius elegans, ac præcipuum, & quod maxime omnes literarum studiosos juvare possit. Nam etsi Vatis ipsius suavitas, elegantia, dignitas, atque (ut sic dixerim) majestas, non suo, idest latino sermone, haudquaquam, quæ apud Græcos est, appareat, inventionem tamen, & ordinem, sententiarum gravitatem, negotiorum expositionem, rerum concinnitatem, perspicuam brevitatem, figuras cum innumeras, tum verbis, rebusque accommodatissimas, quoquo modo nosse simul, & uti nostri fere omnes poetæ, & ipse in primis Maro Homerum sit imitatus, quidque inde sibi quisque desumpserit, videre, utile pariter, ac jucundum fuerit. Omitto in ipsis poetis pleraque, quæ nonnullis, vel mediocriter eruditis antehac subobscura fuere, hujus Operis lectione illustranda. Etenim quamvis, Nigidium, Probum, Asperum, Donatum, Servium, multosque id genus habeamus, qui ea edoceant, hæc ipsa tamen planius, fideliusque apud auctorem suum legere, si non firmitatis, plus certe claritatis habebunt, & gratiæ. Nam quæ apud hujusmodi interpretes dumtaxat adducta leguntur, ea plerumque aut librariorum incuria mendosa reperiuntur, aut compendio minus apta. Accipies igitur, immo recipies (tua enim antea fuerat) Homeri Iliada, & si quando otium, quod rarissime datur, nactus fueris, leges, præque tanti Poetæ reverentia, sicubi visum fuerit, castigabis, melioremque facies. Rem sane pro summis, immortalibusque tuis in me,

meos-

meosque meritis, si pretium attenderis, mininam, sin sincerissimam in te dantis fidem, promptissimamque, & optimam voluntatem reputaveris, pro summa tua in me benivolentia non utique negligendam. Vale.

Laudes quibus Bernardum Justinianum in hac Epistola ornavit Luzagus noster, non aliorum tantum doctorum Virorum suffragiis confirmantur, sed præterea solemni Sixti IV. Pontificis Maximi præconio, quod exstat in honorificentissimis ad eum scriptis ab eo Pontifice Apostolicis literis. Has mihi exhibet rarus ille, ac vere aureus libellus, cujus alibi mentionem fecimus, ipsius Bernardi, & Leonardi Justiniani patris Epistolas, & Orationes complectens. Nam postquam Pontifex veterem morem laudasset monumentis aliquibus celebrandi memoriam præstantium Virorum, nec non Orationem a Bernardo Justiniano in publico Consistorio habitam, affirmasset *ita gravem, & luculentam, ut omnium judicia, qui eum præsentes audierant, non in laudem solum, sed in admirationem, stuporemque converterit;* suas literas tandem his verbis concludit: *Sane Nobis visum est in vicem Statuæ cujusdam, aut Coronæ, te hoc Nostro luculentissimo testimonio condecorare, ut te & gravissimum, & eloquentissimum habeamus Oratorem, & priscis illis celebrioribus, vel Græcis, vel Latinis merito comparandum.*

Bernardum Justinianum omni literarum genere ornatum, ac proinde Græcis etiam (in quibus præceptores habuisse Georgium Trapezuntium, & Guarinum Veronensem, earum in Italia reparatores, ex ipsius Bernardi literis edocemur) nil mirum, Gallica etiam legatione fungentem, earundem studium minime se-

po-

poſuiſſe; imo vero ob id ipſum quo honore affectus fuerit a Clariſſima Univerſitate Pariſienſi fidem facit ejus ad illam Oratio, eademque teſtatur, in auguſta Galliarum Metropoli nihil Bernardo jucundius fuiſſe, quam loca antiquis celebrata literis videre, & recognoſcere, nobiliſſima Gymnaſia luſtrare, in quibus ſtudia literarum, *quæ in diverſis gentibus* (ita loquitur in ea Oratione Bernardus) *per varias ætates agitata, pulſa antiquioribus ſedibus, & ejecta, huc tandem ſe recepere; jamque annum ſeptuageſimum quartum, & ſexcenteſimum firmiſſimo, & ſtabiliſſimo domicilio conquievere;* indeque occaſionem arripit Bernardus ei Univerſitati gratulandi ob Collegium Italis in illa conſtitutum, *Vos enim* (inquit) *memores Latinas literas ab Italis accepiſſe, Italis etiam deſignaviſtis Collegium amplum, & illuſtre, cui tu nunc præes venerabilis Donate Pater.*

Nil itaque mirum, ut dixi, Bernardum literarum, quo flagrabat, amorem in Pariſienſi etiam Legatione obeunda ſervantem, ac proinde eruditis ſpoliis comparandis intentum, Homeri Iliadis Verſionem, neſcio quo fato ex Italia ablatam, & in Gallias avectam, ibique ſitu, & pulvere obſitam, ſuo ſumptu tranſcribendam curaſſe, ut Italicæ celebritati redderetur. Beneficium hoc Reip. Literariæ a Bernardo Juſtiniano collatum celebratur etiam in Epigrammate ad calcem Brixianæ Editionis, de qua loquimur.

En Graiis tantum quondam celebratus Homerus,
Nunc quoque & Auſonio grammate notus erit.
Primus bonor Vallæ (namque is traduxit) at alter
Bernardus poſthæc Juſtinianus erit.
Namque hic occiduas Orator miſſus ad oras,

E Galliis Latias rettulit ipſe domos.
Quamque prius pulvis, quam blattæ, aò tinea preſſit,
Ilias in lucem cultior ecce redit.

Verba illa, *Primus honor Vallæ*, non ita quidem ſunt accipienda, ut Laurentius Valla omnium primus Iliadi in Latinum ſermonem vertendæ incubuerit; nam tam Franciſcum Petrarcham, quam Joannem Bocaccium, qui Laurentium Vallam ætate præceſſerunt, Latinam Iliadis Verſionem ad manum habuiſſe, quin ipſoſmet a Græcis hominibus faciendam curaſſe, certo conſtat. Non ita vero conſtat, Laurentium Vallam unum ex illis fuiſſe, qui ut Nicolao V. Pontifici Maximo morem gererent, Verſioni illi manus admoverunt, primas ferente, ut ſcribit Pius II. Europ. c. 58. Horatio Romano, Scribatum Apoſtolicum eam ob rem conſecuto, & magnis a Nicolao pollicitationibus illecto. Laurentium ſiquidem *Vallam* (*quem* non quidem Pius, ſed poſterioris tantum ævi Scriptores Interpretibus illis a Nicolao excitatis accenſent) Verſionem ſuam elaboraſſe ante ipſius Nicolai Pontificatum, facile erit unicuique colligere, primum ex obitu ipſius Vallæ, quem contigiſſe anno Chr. 1457. ex Jovii auctoritate, aliiſque indubitatis monumentis omnino liquet, deinde vero ex iis, quæ in Luzagi Epiſtola narrantur, de Vallæ Verſione in Gallias rranslata, & de tineis, cum quibus ibidem colluctabatur, nunquam fortaſſe lucem viſura, niſi eam ab interitu Venetus Orator vindicaſſet. Eo munere fungebatur Juſtinianus an. 1460. quinquennio ſcilicet poſtquam Nicolaus V. deceſſiſſet. Inſignis hæc Bernardi Juſtiniani laus non alio

quam

quam Luzagi noſtri teſtimonio (quod ego quidem ſciam) innoteſcit ; quemadmodum Aloyſio Mocenico Veneto item in Galliis Oratore (ut hoc obiter notem) ob Plinii Epiſtolarum in Italiam reportatum correctiſſimum Volumen , atque ita antiquum , ut ad ipſa Plinii tempora referri poſſe videretur , maximam gratiam habendam eſſe teſtem habemus Ald. Manutium in literis ad ipſum Mocenicum , Equitem , & Senatorem ampliſſimum , ſuæ Epiſtolarum illarum Editioni præmiſſis.

Adnotare etiam placet, inter inſignes ea tempeſtate Homeri Interpretes referendum eſſe Angelum Politianum , qui ſcilicet tenera in primis ætate Poetarum Principi vertendo operam navavit , ut ex ejus Scriptis, & eorum , quos æquales habuit , teſtimoniis certo deprehendimus. Ea Politiani Scripta, hac occaſione accuratius quam antea (quod ſpectat ad Græcanicam ejuſdem literaturam) evolventes , aliud quidpiam (de quo haud pudet Lectorem ingenue monere) deprehendere valuimus , nimirum citatam in priore hujus Speciminis parte pag. 46. Hermolai Barbari Epiſtolam , datam fuiſſe ad Joannem Picum , non autem ad Politianum , in quo adeo nullo tempore deſiderata fuit Græcæ linguæ intelligentia , ut Homericam ejus Muſam , cui admodum adoleſcens manum admoverat , Marſilius Ficinus , & Jacobus Cardinalis Papienſis miris laudibus in cœlum extulerint.

Brixianos noſtros Homericorum Poematum ſtudio, & ardore ea tempeſtate flagraſſe oportet, quippe qui non ſolum de iis propagandis cogitarunt, quum nihil Homerici in lucem uſpiam prodiiſſet, non Verſiones quidem

Latinæ, non Græcus textus (cujus principes Editiones habentur Florentina an. 1488. & Aldina an. 1504.) sed præterea eam ipsam Vallæ Versionem iterum, & tertio intra paucos admodum annos evulgarunt. Ad manus siquidem habeo aliam ejusdem Versionis Editionem, anni quidem, loci, & typographi notationibus destitutam, sed quæ ita similis Brixianæ, de qua egimus, utramque invicem comparanti apparet, ut eæ ipsæ notationes, & non aliæ, ipsi quoque convenire censeantur; nec non tertiam a Bernardino Laurino Brixiano Cive nuncupatam Nicolao Corrigiensi Principi, & hac nota in calce insignitam: *Accuratissime, ac solerti cura impressum, ac emendatum hoc opus per Venerabilem Dominum Presbyterum Baptistam Farsengum, impensa vero Domini Francisci Laurini civis Brixiani, anno a Natali Christiano MCCCCLXXXXVII. die vero sexto Mensis Septembris*. Laurinus hic in Epistola, quam Editioni præmittit, multa habet de Mecœnatis sui laudibus, quem Mammeæ filio Alexandro comparat, eoque neminem esse ex iis, qui rerum potiebantur, magis erga doctos Viros benevolentia, ac beneficentia animatum affirmat, cui proinde alia etiam, non injucunda ipsi futura, propediem excudenda, se dicaturum pollicetur. Laurini nulla mentio in Biblioth. Brixian. quæ tamen memorat Justinianum Luzagum, a Capreolo etiam in Histor. memoratum, & in Danielis Cereti Panegyr. hoc disticho collaudatum.

Sed quo te versu, vel quo te ore canemus,
Luciagæ lumen Justiniane domus?

Præter Hesiodum, & Homerum, commendatissimum

mum alium Græcæ linguæ magiſtrum, & Comœdiæ veteris haud dubie principem, Ariſtophanem, inquam, Brixiana juvit literatura; ſiquidem eas Comœdias in vernaculam linguam verterunt Bartholomæus, & Petrus Roſitini a Prato Alboini, dicaruntque Camillo Gambaræ, quem ita Græcarum literarum peritum affirmant, ut Comœdias illas abſque ullius verſionis ope intelligere facile valeret. Prodiit Venetiis an. 1545. Brixiana hæc Ariſtophanis Verſio, quum Comici illius nondum ulla vernacula Editio in lucem manaſſet; Latina vero ante paucos dumtaxat annos manaverat auctore Andrea Divo Juſtinopolitano, at quam infelici ſucceſſu, videſis apud Fabricium T. 1. Biblioth. Gr. ubi de Ariſtophane. Bene itaque profecto de Græcis literis merita ſunt Brixianorum ingenia, quorum ſcilicet ſtudiis Homerus, Heſiodus, Ariſtophanes debent, ab iis legi, & intelligi potuiſſe, qui Græcam linguam ignorarent.

XXIV. Bonifacius Bembus, de quo ſuperius, dum Chriſtophori Barzizii Tractatum de Oratoris Fine referrem, Poeſin etiam excoluiſſe, nos edocet libellus, quo Jacobus Philippus Tomaſinus Clariſs. feminæ Caſſandræ Fidelis Venetæ Epiſtolas, & Orationes publicavit. In eo refertur ipſius Bonifacii Bembi Elegia ad eandem Caſſandram, ex qua verſus aliquot ſeligemus, Caſſandræ laudes, & una ſimul domeſticas clades ipſius Bonifacii exprimentes.

Orpheus ad cantum motaſſe cacumina quercus,
Thebanamque ferunt ſaxa ſecuta lyram.
Dum loqueris, tu ſaxa facis, quercuſque videri,
Is ſtupor invadit docta puella viros.

Suſcitat ipſa tamen tua me præſentia ſemper,
Erigit & mentem, quantulacumque mihi eſt.
Verum animum ſubeunt hinc fratrum funera, matris
Illinc. Heu miſero mater adempta mihi eſt!
Heu dulces Fratres! quæ vos mihi dira peremit
Sors fratres, cur me non tulit hæc eadem?
At, tu cara parens, potuiſti linquere natum,
Cara parens, ſaltem me miſerata redi.
Tu mihi divitiæ, tu vitæ ſumma voluptas,
Mater eras; miſero heu mater adempta mihi!
Quid faciam poſthac? moriar, quid morte beato,
Sit nedum miſero gratius, aut melius?
Virgo vides, quo me oblitum dolor altus agebat;
Parce oro, aut noſtri tu miſerere magis.
Namque tuas laudes dabitur mihi carmine longo
Dicere fortaſſis candidiore die.

Hi verſus, & Epiſtolæ nonnullæ, exſtantes in eo libello, teſtantur literarum conſuetudinem, quæ inter Bonifacium noſtrum, & Caſſandram vigebat; lectiſſimam ſcilicet virginem illam, cujus ingenium, & doctrinam Viri docti ejus temporis plurimi fecerunt, adeout Politianus ad eam ſcribens, *Italiæ decus*, ipſam appellare, & cum Muſis, Sibyllis, Pithiis, aliiſque, quas vetuſtas jactat, ſeu vaticinantibus, ſeu philoſophantibus feminis, comparare non dubitaverit, eandemque illi venerationem profiteri, qua Joannem Picum Mirandulanum colebat. Et ipſa Caſſandra Bonifacium Bembum *virtutum decus* in quadam Epiſtola appellavit. Ea ipſa inter celebriora ingenia, quibuſcum amicitiam coluit, hoc honore dignata eſt & Calphurnium noſtrum, quem *eloquentiæ lumen* dixit, & Ceretam noſtram, ut fidem facit ipſius Ceretæ ad Bernardinum Laurinum Epiſtola.

Boni-

Bonifacium Bembum alia etiam carmina ſcripſiſſe, non eſt dubitandum, nam exſtat ejus Oratio ad Juventutem Mediolanenſem edita Mediolani apud Merulam, *de figurata Oratione adverſus quoſdam, qui ejuſdem Carmen reprehenderant, tanquam in eo nihil definiret.* Ea Oratio ita deſinit, *ſed de his plura in ſecundum Ovidii ad Auguſtum ſumus dicturi, ſi otium fuerit.*

XXVI. Seorſim a Brixianorum Poetarum ſerie (quam clauſi) Andreas Maro ideo locatur, quoniam mira quidem fundendi ex tempore carmina facilitate inclaruit, at ea, ſi unum verſiculum, unumque Epigramma excipias, haudquaquam ſcriptis conſignata reperiuntur. *Hunc* (ita de eo in Lilii Gyraldi de Poet. noſtr. temp. Dial. 1.) *extemporalis facultas commendat, adeo ut ſuperioribus his menſibus* (*ut modo dicebam*) *in Coſmiano Leonis X. convivio cæteros, qui inibi aderant, Poetas, propoſita materia, quam referrent ex tempore, obmuteſcere quaſi elingues fecerit, inter quos Lippus. Canit hic quotidie aliqua, quæ iis mihi longe meliora videntur, quæ juvenis manibus exciderunt; tumidior tamen interdiu, & duriuſculus. Utinam illi fata meliora portenderent.*

Neque vero Lippo illi dumtaxat, qui a Leone X. juſſus cum Marone certare in Medicorum Coſmiana ſolemnitate, victus ceſſerat, Maronem noſtrum Gyraldus prætulit, ſed Pamphilo etiam Saſſio, ut videtur, nam de ejus, poſt laudatum Maronem, in faciendis verſibus celeritate illico verba faciens, divinam quidem ejuſdem memoriam commendat, ſed in eo veriſſimum fuiſſe pronunciat, quod Ariſtoteles prodi-

dit,

dit, plerunque ingenio, ac judicio deficere eos, qui memoria excellunt, *minus enim omnino Saſſio judicii, ac limæ*. Multo vero magis Maronem Gyraldus præſtuliſſe cenſendus eſt Joanni Gazoldo, & Camillo Querno, quos extemporali illa facilitate inſignes, ad calcem ejus Dialogi, ſugillat tanquam inconditos, & malos Poetas; Gazoldumque ſcribit ob ineptos verſus, & claudicantes male mulctatum aliquando flagris a Leone; Quernum autem, ſeu Archipoetam, immania ingurgitantem pocula, auribus & pene naribus deformatum. Maronem contra noſtrum ab ipſo Leone X. Sacerdotio donatum fuiſſe, paulo poſt ex Jovio trademus.

Andreæ Maronis eximiam extemporalitatem ſæpius celebratam reperio a Pierio Valeriano in libello ejus carmina complectente, ab Octavio Stephanio, cui Valerianus ea commendaverat, edita Venetiis ex ædibus Jo. Tacuini an. 1509. & *Aloyſio Foſcarino* Clariſſimi Nicolai filio nuncupata. Nam in Hexametris, qui primo loco in eo libello occurrunt, de Studiorum conditione ad Nardinum inſcripti, hunc monens, qua ratione popularis aura ſit aſpernanda, rariſque Cenſoribus, tribus ad ſummum, carmina, quæ conderet, ſubmittenda, de Marone hæc habet:

Seu tecum ludat Maro junior ille,
Qui ſubito tam multa canit, tam docta calore
Concitus, ut videant, quem jam conferre minores
Audacter poſſint majoribus.

Adeſt præterea in eo libello Hendecaſyllabon ad Dantem III. Aligerum, quo primum Valerianus hunc commendat, *Poetam optimum, civem optimum, & optimum*

mum patronum, quo Verona diu beata vivat, dein ad Maronis laudes digreſſus ſic loquitur:

Quid ſi illum audieris, velut ſodales
Octo audivimus optimum ſodalem?
Nos audivimus, audit hunc & omnis
Doctorum manus in dies canentem
Mille ex tempore carmina erudita,
Quis nil ſit lutulentum, inexpolitum,
Nil abſurdum, & inane, nil hiulcum,
Tanquam Virgilii mora, & labore,
Tanquam tempore culta ſub novenni.
Tunc tu pollice utroque, tunc Maronis
Affirmes bene nomini evenire,
Quando, quod veteri abfuit, ſed unum,
Prælarge novus hic Maro rependat.

Octo ſodales, quos Maronem audiviſſe ſcribit Valerianus, quinam fuerint, ex alio Valeriani Hendecaſyllabo diſcimus.

O felix torus! O beata menſa!
Quam tot ſuaviloqui beant Poetæ,
Quam tot Socratis æmuli frequentant.
Canalis, Citharæ decus ſupremum,
Cultus Naviger, elegans, canorus,
Emunctus Trypho, perpolitus, acer,
Motenſis vehemens, & eruditus,
Expromptus Maro, floridus, decorus,
Borges grandiloquus, venuſtuluſque,
Nardinus gravis, integer, ſeverus,
Comis Lampridius, facetuluſque.
O felix torus! O beata menſa!
Verum, ut ſit numero undecumque felix,
Muſarum numero decenter aucta,
Donec, quæ mereat, ſequatur umbra,
Nonum admittite nunc Valerianum.

Maronis Elogium etiam Paulus Jovius conſcripſit his

his verbis: *Is cum ſumma eruditorum admiratione ex tempore, ad quam juſſeris quæſtionem, Latinos verſus variis modis, & numeris fundere conſuevit. Audax profecto negotium, ac munus impudentiæ, vel temeritatis plenum, niſi id a natura, impetu prope divino, mira felicitas ſequeretur. Fidibus & cantu Muſas evocat, & quum ſemel conjectam in numeros mentem alacriore ſpiritu inflaverit, tanta vi in torrentis morem citatus fertur, ut fortuita, & ſubitariis tractibus ducta, multum ante proviſa, & meditata carmina videantur. Canenti defixi exardent oculi, ſudores manant, frontis venæ contumeſcunt, & quod mirum eſt, eruditæ aures, tanquam alienæ, & intentæ, omnem impetum profluentium numerorum exactiſſima ratione moderantur. Exceptus eſt fecundiſſimo plauſu, ac idcirco a Leonæ repræſentatæ facultatis nomine ſacerdotio donatus, quum poſt celebre convivium, cui Regum Legati, Senatoreſque aderant, de ſuſcipiendo ſacro bello dicere juſſus, jucunda figurarum varietate decantavit, orſus hoc nobili carmine:*

Infelix Europa, diu quaſſata tumultu
Bellorum.

Hic eſt ille verſiculus, ſonorus utique, & nobilis, quem a Marone compoſitum ſuperius diximus adhuc exſtare. Epigramma, quod itidem exſtare diximus, legitur in fronte celebris libri, cui titulus, *Hypnerotomachia Poliphili humana omnia nonniſi ſomnium eſſe docet, atque obiter plura ſcitu ſane quam digna commemorat*. Opus hoc quale ſit, declarat Leonardus Craſſus Veronenſis in Præfatione ad illud, ſcilicet in Epiſtola Nuncupatoria ad Guidum Urbini Ducem, novum

quod-

quoddam, & admirandum Opus appellans, in quo tanta ſit non modo ſcientia, ſed copia, ut eo viſo non magis Veterum libros omnes, quam naturæ ipſius, occultas res ſe vidiſſe, quis exiſtimare poſſit, haſque non vulgo expoſitas, & triviis decantandas, ſed ex Philoſophiæ penu depromptas, & Muſarum fontibus hauſtas, noſtrati quidem lingua deſcriptas, ſed ad quam intelligendam opus ſit tam Græca, & Romana, quam vernacula. Leonardi Craſſi Præfationem ſequitur primum in eo Volumine Hendecaſyllabon Joannis Baptiſtæ Scythæ, qui & in Pierii Valeriani carminibus memoratur (iſque eſt, in quem Becichemus funebrem Orationem, de qua ſupra, velut ex tempore, compoſuit) deinde triplex Operis Synopſis, ſcilicet Latinis elegis, proſa, & Italico rhythmo expoſita; tandem Maronis noſtri Epigramma, ſingularis utique ejuſdem fœtus, qualem ſingularis prorſus doctrinæ, & ſtyli Volumen depoſcebat.

Andreas Maro Brixianus.

Cujus Opus, dic Muſa? meum eſt, octoque ſororum.
Veſtrum? cur datus eſt Polipbilo titulus?
Plus etiam a nobis meruit communis alumnus.
Sed, rogo, quis vero eſt nomine Polipbilus?
Nolumus agnoſci. Cur? certum eſt ante videre,
An divina etiam livor edat rabidus.
Si parcet, quid erit? noſcetur. Sin minus? haud vos
Dignamur vero nomine Poliphili.

Subſequitur illico tetraſtichon:

O quæ de cunctis felix mortalibus una es
Polia, qnæ vivis mortua, ſed melius.
Te, dum Poliphilus ſomno jacet obrutus alto,
Pervigilare facit docta per ora virum.

Auctor ejus Operis, quem Maro pandere recuſavit, curioſi cujuſdam diligentia effecit, ut nobis innoteſceret; is ſiquidem obſervavit, initiales ſingulorum capitum literas in unum collectas hoc acroſtichon reddere: *Poliam Frater Franciſcus Columna peramavit*.

Infelix Maronis exitus ab iis ipſis deſcribitur, quos eidem elogium texentes allegavimus, Gyraldum ſcilicet, Jovium, & Valerianum, qui propterea in libello de Infelic. Literat. Maroni etiam locum aſſignat, ibique ſcribit, Maronem, quum in acerbiſſimas illas Romanæ direptionis calamitates incidiſſet, captivum actum, fortunis omnibus expoliatum, & indigniſſimis modis male habitum, ærumnoſiſſimam inde vitam traxiſſe, dum Poematum ſuorum deſiderio detentus, eorum recipiendorum ſpe, Urbe excedere nunquam animum induxiſſet. Pertinax Maronis conſilium de Urbe non deſerenda Gyraldus non ad Poematum ſuorum deſiderium, ſed ad inanes ſpes refert, quibus miſer paſcebatur; hæc enim habet in Poemate de Incomm. Urban. Dirept.

Nec qui bis captus Maro, bis pretioque redemptus,
Mœnia neſcit adhuc direptæ linquere Romæ,
Dum titulos ſperat miſer, & ſpes paſcit inanes.
Propoſitam melius rem nemo ex tempore dixit,
Nec magis ullus habet promptas in carmine vires.

Andream Maronem vere Brixianum fuiſſe, quanquam dimidiam patriam ab Euganeis, Foroque Julio repeteret, prodit Jovius in ejus Elogio, ad quod Latomi ſubſequens Epigramma, id ipſum de vera Maronis patria, quæ propterea Catulli cunas parvifaceret, confirmat.

Quod

Quod ſpectanda data eſt, non Muſa fruenda Maronis,
Phœbe, tua eſt levitas, gloria quanta fuit.
Non volo Virgilii, qui vel meditata dolebat
Carmina, maturæ non ſatis eſſe moræ.
Ejus at Andreæ, ſolo quo Brixia alumno
Nil facere eſt cunas auſa, Catulle, tuas.
Cui fuit in ſubitos tam promptum ex tempore verſus
Ingenium, ut quicquid pangere juſſus erat,
Aptaret numeris, variataque verba ligaret,
Qualia vix longi temporis eſſe putes.
At periere brevis brevibus cum verſibus Auctor:
Deme, quod æterno vivit in ingenio.

XXVII. Benacenſes typi, unde ſuperiores tractationes de re Grammatica, & de re Oratoria, acceſſiones aliquas receperunt, pariter præſenti de re Poetica appendicis materiam ſubminiſtrant. Tuſculano ſiquidem, præloque ibi a Paganinis inſtituto debemus ſingulare novæ, ac feſtivæ prorſus Poeſis archetypum, quod a Theophilo Folengo conditum ii typi in lucem primo ediderunt. Quæ ad Theophili Vitam ſpectant, prolixe allegantur in Biblioth. Benedict. Caſin. indeque diſcimus, eum ſæculo valedicentem, Brixiæ in S. Euphemiæ Cœnobio cucullum induiſſe an. 1509. plura primum Poemata Italico ſermone compoſuiſſe, ſed Latino tunc refloreſcente, ad Latinas Muſas converſum, ingens Epicum Poema elucubraſſe, quod flammis illico devovit, propterea quod Virgilium ſuperare, haud illi, ut ſperabat, contigiſſet; Opus itaque aliud novo dicendi genere inſigne, animique ingenita feſtivitate, ac lepore jucundiſſimum condidiſſe, in quo Latinis, ac Italicis vocibus, præcipue *Lombardis* (ut nunc dicimus) undique permixtis, ſervata metri harmonia

amœniſſimo carmine jocoſe, ac facete multorum ſui temporis vitia carpit, occulte tamen, & confictis eorum nominibus; in Siciliam autem profectum, totoque decennio ibidem commoratum, Principi Ferranti Gonzagæ in paucis charum fuiſſe; ac demum varias tota vita expertum fortunæ viciſſitudines, in amœniſſimo Sanctæ Crucis Campeſii Cœnobio prope Baſſanum ad Medoaci ripam ſe recipientem, ac ſacris tantum Muſis, & pietati vacantem obiiſſe ætatis ſuæ anno non amplius quinquageſimo. Hæc omnia his ipſis verbis habet de Theophili Vita Auctor laudatæ Biblioth. qui prolixius poſtea proſequitur, quæ ad Theophili lucubrationes ſpectant. Nos iis omiſſis, ea tantum, quæ ad Benacenſem noſtram Editionem ſpectant, attingemus. Complectitur ea quatuor titulos, ſeu libros, videlicet Zanitonellam, Phantaſias, Moſchæam, Epiſtolas demum, atque Epigrammata. *Ad calcem* legitur Epiſtola vernacula Auctoris, ſub Merlini Cocaii nomine ſuum occultantis, ad Alexandrum Paganinum. Hunc, acerbe conqueritur, typis ſuis edidiſſe ea Scripta, in quibus componendis ſe magnam temporis jacturam feciſſe, uſque ad lacrymas dolet. Subſequuntur literæ Paganini ad Auctorem, quibus ſe excuſans, culpam omnem rejicit in eos, qui illorum Operum maxime cupidi, maxime inſtabant, ut tandem evulgarentur, & præſertim in Federicum Marchionem Mantuæ, qui exemplar ſuppeditaverat, non tamen adeo emendatum, cujuſcemodi erat illud, quod Vulcani eſcam jam factum audierat. In iiſdem literis affirmat Paganinus, multa inhoneſta ex Merlini Opere

re

re ſubtracta fuiſſe ab eo ipſo, a quo exemplar typis tradendum receperat. Poſt eas Epiſtolas notantur errores typographici, Philomuſo corrigente. Editionis notæ hujuſmodi ſunt, *Tuſculani, apud Lacum Benacenſem. Alexander Paganinus. Anno MDXXI. Die V. Januarii*. Benacenſis Lacus fertilitas, argumentum eſt Epigrammatis, quo quatuor Merlini libri clauduntur, & poſtremum diſtichon ita ſe habet:

Naſcitur hic oleum, piſcis, piſcator, & ipſas
Padellas ferro Brixia dives habet.

Alexander Paganinus induſtriam ſuam non Tuſculani tantum, ſed Venetiis etiam exercuit, & de re Poetica quam bene meritus fuerit, docent Poetarum Opera exiguo, & nitidiſſimo charactere ab eo impreſſa, & in Præfatione ad Martialem de ſuo illo publicam utilitatem juvandi propoſito ita loquitur: *Cæterum quæ prius iiſdem edidimus formis, ceu prototypa leviuſcula præmiſimus, prætentaturi videlicet gratiam veſtram. Poſthac (quando laborem meum vobis non ingratum eſſe intelligo) dabo operam, ut optimi, ac electiſſimi quique Auctores nova hac noſtra veluti palingeneſia ad eam, quam videtis, & pulchritudinem, & facilitatem vobis redigantur.*

Hactenus de re Poetica, ſeu de ſtudiis, quibus eam juvit Brixiana literatura, nec enim Poetis noſtris, qui Latino ſermone ſcripſerunt recenſitis, animus eſt eandem operam ponere in recenſendis eorum municipibus, qui vernacula carmina condiderunt. Quum tamen binas ob oculos habeam Collectiones Hieronymi ſcilicet Ruſcelli, & Academicorum Occultorum, qui-

quibus nonnulla præſtantium inter ipſos Poetarum carmina afferuntur, operæ pretium erit, eorundem ſaltem nomina, inde deſumpta, hoc loco adnotare.

Veronica Gambara principem in Ruſcelli Collectione occupat locum, ejuſque eſſe verſus complures, Victoriæ Columnæ antea tributos, ad libri calcem affirmat Ruſcellus, Cardinalis Ridolfi, a cujus manibus illos anno 1537. receperat Viterbii, teſtimonio, quin ipſius Veronicæ Gambaræ, & Victoriæ Columnæ, quas id ipſum affirmaſſe Comes Fortunatus Martinengus, & Lucas Contilius teſtati fuerant. Hæ ſunt duæ illæ matronæ, quin Principes illuſtres, *quarum utriuſque* (ut loquitur Gyraldus de Poet. noſtr. temp. Dial. 2.) *pro ſexus qualitate divina leguntur Poemata*. Eſt mihi in manibus Vita Veronicæ Gambaræ ab Jo. Hieronymo Catena Latine reddita, & ex magnis, quibus in ea ornatur, elogiis illud utique ſingulare, quod Veronica cum Bembo alta, & erudita, adeo in poetica facultate eminuiſſe dicitur, ut, æque ac Bembus, præclaris omnibus ingeniis, quæ ætas illa tulit, facem quodammodo prætulerit. Nata eſt Veronica apud Pratum Alboini, quod non longe diſtat a flumine Mella, ex Comite Jo. Franc. Gambara, & ex Alda, Piæ Familiæ Carpenſis, fratreſque habuit Ubertum Cardinalem, Brunorum, Hippolytum, & Camillum; conjugem vero Gibertum, Corrigii Dominum, cui Violanta Pica Mirandulana antea nupta fuerat. Brixianæ hujuſce Matronæ, bonis omnibus fortunæ, corporis, atque animi cumulatiſſimæ, ad calcem ejuſdem Vitæ hoc exſtat Epitaphium.

Gam-

Gambara ſub tumulo jacet hoc Veronica Princeps
Corrigii, ſolo nomine nota ſatis.
Quam coluit quicunque Heros, quicumque Poeta
Quam cecinit, lapide hoc Gambara contegitur.
Gambara ſtirps, nomen Veronica, Brixia mater,
Muſa Erato, titulus Corrigium, et tumulus.

Poſt Veronicam Gambaram ſequuntur in ea Collectione Petrus Bargnanus, Jo. Andreas Hugonius, Lucia Albana Advocata, Comes Jo. Franciſcus Gambara, Vincentius Metellus, M. Aurelius Francius, Bartholomæus Tiberus, Comes Fortunatus Martinengus, Comes Veſpaſianus Martinengus, Franciſcus Pocopagnus, Pamphilus Montius, Pompeus Pocopagni, Camillus Faita, Hieronymus Bornatus, Jo. Antonius Sacchettus, Balthaſar Cazzagus, Hieronymus Fenarolus, Bartholomæus Arnigius, Fabius Mojacola, Emilius Emilius, Mariotus Martinengus, Franciſcus Nores, Vincentius Gabianus, Martinus Agatius, Franciſcus Stella, Vincentius Porrus, Leo Ceretus.

Collectioni ſuæ Ruſcellus duplicem adjecit appendicem. In priore affertur Carmen incerti, ut ibi dicitur, Auctoris, at eum Brixianum eſſe monuerat jam ante Ruſcellus, profeſſus ſe illius nomen minime pandere, quod Auctor ipſe id vetaret, ne mortuo jam Fracaſtorio, cui Carmen illud tribuebatur, alienam gloriam ſibi adſciſcere velle videretur. Poſterior appendix collectos exhibet verſus Dominici Mantuæ Brixiani, quos Ruſcellus Hieronymo Martinengo Sanctæ Sedis ad Romanorum Regem ablegato dicavit, data ad eum Epiſtola an. 1553. cui ut dicarentur, Ruſcellus affirmat, Mantuam ipſum, dum viveret, in votis habuiſſe.

Col-

Collectionem ſuam Ruſcellus nuncupavit Virginiæ Palavicinæ Gambaræ, in cujus laudem multa habet in Epiſtola ad ipſam, & multa etiam in Brixiæ laudem præſertim ob præclara, quæ in ea Urbe florebant, ingenia, & ob ſingularem in primis Poetarum præſtantiam, qua Urbem illam nulli Italicarum civitatum ſecundam affirmat. Inde factum puto, ut aliorum etiam illuſtrium Italiæ Poetarum Collectioni a ſe adornatæ, Ruſcellus non alium Mecœnatem ſelegerit, quam Brixianum Patritium, Aurelium nimirum Portulacam, quem ſcientiis omnibus perpolitum commendat. Aurelius Portulaca, Pontificis Max. Pii IV. Cubicularius, ſæpius etiam laudatur a P. Franciſco Spinula, qui eidem plura inſcripſit carmina.

Collectio autem altera, quam indicavimus, Academicorum Occultorum carmina vernacule item edita complectitur; dicaturque *Barbaræ Calinæ*, cujus laudes iidem veluti certatim proſequuntur. Nobis ſatis erit ex Latina ſuperius memorata eorundem Academicorum Collectione verſus quoſdam Taygeti recitare.

Nam quis te fama præclaro e ſanguine natam
Neſciat, atque animi tot bona rara tui?
Illa es, quæ ſexum vincis, veſtigia cujus
Componunt Charites, ſubſequiturque Pudor.
Maxima cui Pallas mater, Prudentia nutrix,
Cujus & in labris mellificavit apis.
Quam propter redeunt Vates, Muſæque reſurgunt,
Ferrea quas tenebris ſæcula condiderant.
Hæc ego, cum ſineret fatum, memorare parabam,
Heu heu quam celeri ſors mea verſa rota eſt!
Nunc mea Calliope, quod cœperat, interrumpit:
Quæ mihi ſors rapidas iniicit atra manus!

Jam

Jam video Infernos Manes, noctemque profundam,
Me tenet & ſtygii concava cymba Senis.
Prob ſuperi, luſtris rapiar vix quinque peractis,
Atque erit ætatis tam brevis hora meæ?
Sic flos vix natus pedibus calcatur euntis,
Sic avido implumes angue vorantur aves.

Ut ex Ruſcelli Collectione fecimus, ita ex ea Academicorum Occultorum, Brixianorum Poetarum nomina recitabimus. Sunt autem Hieronymus Bornatus, P. Antonius Soncinus, Comes Alphonſus Capreolus, Franciſcus Richinus, Auguſtinus Gallus (hujus tamen, quod neque Muſis, neque Philoſophiæ vacaſſet, verſus non afferuntur, ſed aliorum in ipſius laudem) Jo. Antonius Taygetus, Cæſar Duccus, Ludovicus Federicus, Bartholomæus Arnigius, Diomedes Sala, Julius Martinengus.

In ea Collectione, quam an. 1568. edidit Vincentius a Sabio, exſtant ad ſingulorum Academicorum carmina Præfationes, eorundem nomina, & inſignia, quibus ex Academiæ legibus utebantur, docte, atque eleganter explicantes. Earum expoſitionum Auctor, Bartholomæus Arnigius; illa tantum, quæ ad ipſum ſpectat, excepta, ab Academiæ ſcilicet Scriba compoſita. Excelluit Arnigius in Phyſicis, ac proinde recurret de eo ſermo, dum Philoſophica pertractabimus. In Hetruſca etiam Poeſi admodum valuiſſe, ipſi ejus verſus oſtendunt; quare Taygetus in Collect. Præſtant. Poetar. quoſdam e ſuis ad ipſum mittens, eos ita exorditur:

Accipe, quam præſens cupio tibi ferre, ſalutem,
Arnigi, Hetruſcæ gloria ſumma lyræ.

Atque hic præsenti tractationi de re Poetica finem impono, vosque Lectores obsecro, *ne me* (ut Gyraldi Dialogum priorem de Poet. nostr. temp. concludentis verbis utar) *ambitiosum putetis, quod nimis multos collegerim*; nam contra, plures profecto collegissem, si diuturniorem in iis perquirendis operam ponere libuisset, præterquam quod nonnullos quoque, qui tamen ad notitiam meam pervenerant, ultro prætermisi.

At nulla ratione pro coronide Voluminis omittendus, eximium Brixianæ Literaturæ decus, Pater Octavius Pantagathus, cujus mentionem facit magna cum laude Gyraldus, vel eo ipso loco, quo Brixianos Poetas taxasse jam vidimus; nam hæc ejus sunt verba: *Brixia multos habet Eruditos, sed non & Poetas, ut ejus filia Verona. Inter Eruditos quidem magnus ubique Pater Octavius, nisi quod stylo abstinet, nec suas opes publica taberna venditat. Versificatores etiam potius, quam Poetas fovet ipsa Brixia.* An ea nota Brixiani Poetæ sint digni, æqui Lectores, ut superius etiam diximus, dijudicent. Laus certe, quam meretur Pantagathus noster, ex postrema hujus Operis Parte, cui Sacra reservavimus, abunde innotescet. Hoc loco solum adnotabimus, eundem ita eruditum, ita literis omnibus excultum fuisse, ut Poeticæ quoque rei intelligentia admodum excelleret.

Quum perennem, uberrimumque optimarum scientiarum fontem P. Manutius in Epistola ad Julium Pogianum Epistolar. l. 5. appellet Octavium Pantagathum, ac ipsi gratuletur, quod Romæ non minus ex tanti Viri consuetudine, quam ex locorum admonitu, ad lite-

literarum decus excitaretur ; idemque Epiſtolar. lib. 2. Octaviano Magio , qui cum Aloyſio Mocenico , præſtanti Viro , Venetæ Reip. Legato Romam ſe contulerat, item gratuletur non ita ob ipſius Romæ amplitudinem , quæ præſtantes olim Viros tulit, quæque Imperii terminos cum Oceano conjunxit, quam *ob unius hominis conſuetudinem, cujus eſt humanitas doctrinæ par, doctrina vero, quæ poteſt eſſe maxima . Is eſt Octavius meus, qui Urbem, a qua cæteri honeſtantur, ſua ipſe virtute nobilitat*; quum hæc, inquam, de Pantagatho tradat Manutius, facile credi poteſt, divinum ejus ingenium Poetica etiam complexum fuiſſe . Iis excelluiſſe Octavium Pantagathum diſerte teſtatur Onuphrius Panvinius l. 2. Faſtor. faſſus præterea , Operi illi quid quid ineſſet reconditioris eruditionis , deberi Pantagatho, quo nemo (ait ipſe) ea ætate vel ingenio, vel doctrina, vel diligentia præſtantior . At diſertius illud ipſum teſtatur Muretus in Commentar. ad Catullum , *Ego jam vidi hoc totum carmen* (loquitur de Berecinthia, & Atti) *jam quidem ſcriptum manu excellentis in omni genere honeſtarum artium Viri Octavii Pantagathi , in quo alia multa ingenioſe admodum emendata erant , tum hic locus ita ſcriptus , ut eum ipſi edidimus . Magis etiam mihi placuit hæc emendatio , poſtquam animadverti, Petrum quoque Victorium eam retuliſſe in libros ſuos ; nam quod duobus ejuſmodi Viris viſum ſit , vix eſt , ut de eo dubitari amplius queat* . Mirificam Catulli ſuavitatem , & perelegantes lepores Pantagathus noſter , niſi Poeticam & ipſe Artem coluiſſet , haudquaquam ita adamaſſet, ut in ejus Poetæ locis emendandis operam poneret ; nec Mu-

retus operam illam tanti feciſſet. Ejuſdem operæ teſtem inſuper habemus Achillem Statium Luſitanum, nam in Commentariis ad Catullum, verſum in Elegia ad Januam,

Brixia Chineæ ſuppoſita ſpeculæ,

ita & non aliter legendum monet ex Pontano, ac mox ſubdit, *Octavius Pantagathus, Brixienſis ipſe, ſingulari probitate vir, ac præſtante doctrina, conſultus a me, nomen ipſum Speculæ hodie nullum exſtare reſpondit, at turrim ibi poſitam vulgo Mirabella vocari, nomine, ut idem cenſet, ducto ab Specula ipſa, unde longe, lateque proſpectus pateret.* De germana ejus verſus lectione contendunt inter ſe Catulli Interpretes, nec deſunt, qui in dubium item revocent lectionem verſus in eadem Elegia illico ſubſequentis,

Flavus quam molli percurrit Flumine Mela,

quæ tamen, ut hic exhibetur, a Mureto, & Statio retenta abſque ulla hæſitatione, credi debet ipſius quoque Pantagathi, a Mureto, & Statio in emendandis Catulli locis conſulti, ſuffragio confirmata. Huic autem in ſtatuenda eorundem verſuum germana lectione non aſſentiri, piaculum putem; nam ſi in aliis etiam Catulli locis ab eo emendatis adeo, ut vidimus, ipſius judicio Muretus, & Statius acquieverunt, ut quodammodo pro oraculo habuerint, multo potiori jure eidem deferendum eſt in re ad patriæ ſuæ poſitionem, eamque, ſeu ejus agrum percurrentis fluminis nomen ſpectante. Neque veteres nonnulli Codices manuſcripti, & Editio Catulli omnium antiquiſſima, utrique illi lectioni æque adverſantes, negotium, quod Pantagatho minime fecerunt, face-

facere nobis debent; alias æque utramque rejiciendam eſſe ſuaderent, quod ſatis durum; Editio vero illa antiquiſſima in hac re præponderare eo minus debet, quo certius edocti ſumus ex Calphurnii teſtimonio in Epiſtola ad Hermolaum (utique Barbarum) Vicentinæ Editioni, de qua ſuperius, præpoſita, Catullum Venetiis antea editum, quemadmodum Tibullum, Propertium, & Statium, tot mendis refertum fuiſſe, ut longe plura eſſent vitioſa, & depravata, quam quæ emendata ab ipſo Calphurnio.

Octavium noſtrum cultiores Poetæ magnopere celebrarunt, ſuumque & ipſi veluti Patrem agnoverunt, ut teſtantur carmina, quæ ſequuntur.

M. Antonius Flaminius ad Octavium cognomento Patrem.

Octavi Pater, ad Viterbienſem
Seceſſum venias, rogamus omnes,
Polus, Parpalias, Priulus, ipſe
Tuus Flaminius, nec eſſe Romæ
Tutum eſt, cum rapidus caniculari
Æſtu Sol furit, & Viterbi in urbe
Jucundo fruimur tempore veris
Æſtate in media, nec ulla certe
Eſt ſalubrior ora, nec ſodales
Tui habes, mihi crede, amantiores
Uſquam, te licet elegantiorum
Nemo non amet unice, colatque.
Cur ergo Pater huc venire ceſſas?
Num te illa innumerabilis librorum
Tenet copia curioſum? habebis
Et hic Græca volumina, & Latina,
Quæ laſſare valent decem ocioſos
Plinios, licet uſque, & uſque, & uſque
Noctes, atque dies legas, ut hercle
Facis (ne dubita) tamen novorum

Haud

Haud te deficiet librorum acervus.
Ergo rumpe moras, Pater venuſte,
Mellite, optime, nec tuos ſodales
Contemptos habe, amore vinci ab ullo
In primis tibi turpe, quem fatentur
Exemplum memorandum amoris omnes.

Jo. Baptiſta Pigna ad Baſilium Zanchum.

Scripſit mihi Jovius, cupere ſe carmina
De laudibus fortiſſimorum Principum,
Quæ illuſtriora facta paucis dicerent;
Eique tradidiſſe Bargæum Angelum,
Fumanum Adamum, junioremque Jovium.
Ita plura nunc ut in alias imagines
Vitalis, & Myrthæus, & Thebaldius
Multa intulerunt, ex me aliqua valde cupere.
Sed velle ſe citiſſime ſi quid velim
Mittere, quod in libris ſuis accommodet.
Ego quoniam properare nolo in re ardua,
Nil prorſus illi tradidi, ſed poſtea
Quædam videns moleſtius de Cæſare;
(Moleſtius, quod illa diligentius
Severioris more patris cernerem)
Hæc exaravi Horatii ſtylum æmulans:
Quæ ideo tibi mitto, ut oculis fidelibus
Ea judices, tradaſque Patri Octavio,
Tuoque Pierio, viris doctiſſimis.

Hieronymus Catena, de Octavio cognomento Patre.

Octavi volitat dum totum fama per orbem,
Et quiſque ad cœlum maxima facta vocat,
Atque novos verſus cantat, laudatque, legitque
Roma, ſacrum gaudens cingere fronde caput,
Aoniæ ſenſere Deæ, ſperate ſorores,
Una refert, numquam hic nos cecidiſſe ſinet.
Carmen at ornatum poſtquam mirata Thalia eſt,
O utinam noſter hic Pater eſſet, ait.

Caro-

Carolus Malateſta de obitu Pantagathi
ad Paulum Manutium.

Quis nunc, Paule, meas rumor ſic occupat aures?
Deceſſit nobis fortene Pantagathus?
Heu ſcelus indignum! quæ demetit omnia falce,
Invidit doctis commoda tanta viris.
Quis nunc exponet nodoſa Poemata Vatum,
Sculptaque in antiquis carmina marmoribus?
Quis veterum nummos, menſuras, pondera, ludos,
Nomine quo piſces, quove vocentur aves?
Ploremus cuncti pariter decus unius horæ
Momento Heſperii decidit omne ſoli.

En itaque quo pacto Pantagathus in Poetarum cœtum a Poetis ſuæ ætatis receptus fuerit, quin magiſtri loco habitus. Laus autem illa, quæ Pantagathi tumulo nominatim adſcribitur, quod rationum, dimenſionumque antiquarum peritiſſimus fuerit, teſtem habet Ambroſianæ Bibliothecæ Codicem manuſcriptum, qui rationem accepti, & expenſi continet cum hac Inſcriptione *Codex Rationum Octavii Pantagathi*. Memorat hunc Codicem Fridericus Cardinalis Borromæus in libro, de fugienda oſtentatione, ibique multis laudibus extollit Pantagathum noſtrum, Servitarum Ordinis inſigne decus, *Vir ſane eximius, & dignus, a quo omnes in illo genere erudirentur, nihil unquam typis mandavit. Tantum exire in manus hominum MSta quædam eſt paſſus, nimirum judicia hominum pertimeſcens, quum verius eſſet, Pantagathi judicium ab aliis timeri*, ita legitur in eo Federici Cardinalis Borromæi libro, cujus breve excerptum exhibetur in Præfatione ad nuperam Mediolanenſem Editionem Operum Caroli Sigonii.

De Octavio itaque ſuo, re, & cognomine Pantagatho, Brixiana omnis id temporis literatura, ac proinde Poetica quoque diſciplina jure poterat uſurpare Taciti illud l. 10. c. 1. *Exornat ætatis noſtræ gloriam Vir ſæculorum memoria dignus.*

Finis ſecundæ Partis.

In Præfatione jam monitum fecimus Lectorem, Philoſophica huic loco deſtinata, rejecta fuiſſe in alterum Volumen, ne præſentis moles nimis excreſceret.

SY-

SYNOPSIS
SECUNDAE PARTIS
HUJUS SPECIMINIS.

GRAMMATICA.

PYLADES BUCCARDUS.

Scripſit Grammaticæ librum adverſus Alexandri de Villadei Doctrinale, quod una cum Commentario editum fuit etiam Collibus Vallis-Trumpiæ anno 1526. *Affertur ejus Doctrinalis Proœmium. Hujus Doctrinalis Auctor vixit XIII. Sæculo, illudque compoſuit, ut Maximiani Opus e Scholis ejiceret. Maximiani Grammatici ætas refertur ad Anaſtaſii Imperatoris tempus. Ei tribuunt Viri docti Elegias VI. ſub Cornelii Galli nomine paſſim editas. De utroque eo Grammatico Gyraldi judicium. Ad notationum libellum, quo Pylades Alexandri nugas confutavit, Brixiæ edidit Jacobus Britannicus an.* 1500. *cum Epiſtola nuncupatoria ejuſdem Pyladis ad Heliam Capreolum. Affertur ea Epiſtola. Pyladi adverſus Alexandrum prælianti ſociatur Joannes Deſpauterius Belga, Grammaticorum ſuæ ætatis princeps. Alexandri barbaries potius fuit ſæculi vitium, quam hominis. Scripſit præterea Pylades Grammaticarum Inſtitutionum Regulam, & Scholaſticum de ipſis Carmen. Editio Brixiana an.* 1498. *memorat duas antiquiores, Venetam ſcilicet, & aliam Brixianam. Pylades Opus commendavit Ludovico Martinengo Veneto Patritio, ei Epigramma inſcribens, quod recitatur. Laudes Ludovici Martinengi ex Daniele Cereto in Panegyrico, & ex Epiſtola Lucæ Tertii ei Panegyrico præfixa. Recitatur aliud Epigramma Pyladis ad Jo. Britannicum. Compoſuit tandem Pylades ad Scholarum uſum breve Vocabularium metricis legibus vinctum, quod Brixiæ impreſſit Jacobus Britannicus. Illud Pylades Scipioni Tertio, Patritio Brixiano, Mercatorum Conſuli dedicavit Epigrammate, quod recitatur.*

JOANNES BRITANNICUS.

Compoſuit Grammaticas Regulas ad filiorum ſuorum, Darii, Hippolyti, & Pomponii inſtitutionem, quas Brixiæ an 1 93. *impreſſerunt Angelus, & Jacobus Britannicus. Iiſdem præfigitur Epiſtola ad Marcum Civilem Brixianum, qua Britannicus queritur de quorundam adverſus ſe invidia & iniquitate. Marcus Civilis laudatur in Cereti Panegyrico. Affertur ea Britannici Epiſtola.*

CHRISTOPHORUS BARZIZIUS.

Alius utique a Bergomate ejuſdem nominis, Medicinæ in Patavino Gymnaſio Profeſſore. Publicavit Grammaticas Inſtitutiones Brixiæ anno 1492. *eaſque Ludovico Martinengo dedicavit. Recitatur ea Epiſtola Nuncupatoria.*

JO. FRANCISCUS STOA.

Laurea Corona, quam acceperat a Ludovico XII. Galliarum Rege, jam inſignis Grammaticale Opus conſcripſit, cujus utilitatem commendant bina Epigrammata, quæ recitantur. Orationem aſperam, & biſpidam adamavit. Baptiſtæ Pii, & Philippi Beroaldi ſtylum ſecutus. Magnifice de ſe, ſuiſque lucubrationibus, metricis præſertim, ſenſit. Cathedram Papienſem, quam ætatis ſuæ anno vigeſimo tertio, & Coronam lauream, quam vigeſimo quinto obtinuit, frequenter jactavit. Se dictum Stoa, *quod eſſet Muſarum porticus, &* Quintianus *facta alluſione ad Martialis dictum, affirmat. Quintianum, Brixianæ ditionis oppidum, patriam habuit, ex indubitato Joannis Planerii Quintiani teſtimonio. Joannem Britannicum, & Fauſtinum Cinthium audivit. Domitium Cœlium fratrem habuit, de quo ipſe, & Planerius. Nemini, qui ea ætate in Grammaticorum cenſum veniret, ſua cenſura pepercit, nec conterraneis quidem, nec Magiſtris, non Barbaro, non Politiano, non Manutio. Omnium infenſiſſime inſectatus eſt Phineum quendam. Affertur ipſius ad Epographias Præmonitio. Jo. Baptiſta Egnatius ejus elocutionem damnavit. Invebitur acriter in Sacerdotum, & Concionatorum impe-*

imperitiam. Quantum ipſe aliorum dentibus patuerit, docet ejus ad Epographiam quartam Proœmium, quod recitatur. Obiit an. 1557. ex Planerii ad Paulum Manutium Epiſtola. Ex eadem, magna Quintiani nominis fama, quæ homines ex ultimis Galliis ad eum videndum pertrahebat. Scripſit Adnotationes contra Commentaria Grammatica Joannis Tortellii, qui Opus ſuum Nicolao V. dedicaverat.

PAULUS SUARDUS.

Ex Joannis Antonii Cathanei ſuffragio principem locum inter Brixianos Grammaticos meretur. Laudatur ab Auguſtino Saturnio, de quo infra. Græcas literas doctis viris neceſſarias eſſe negavit. Affertur ejus de hoc argumento Epiſtolæ pars ad Petrum Federici. Suſpicio quædam adverſus ejus doctrinam, ſeu mores.

AUGUSTINUS SATURNIUS LAZARONEUS.

Hujus Mercurius Grammaticus, quo præſertim Laurentium Vallam oppugnavit, magnis laudibus extollitur ab Joanne Pincio. Joannem Taberium, Brixianum, inſtitutorem habuit, cujus doctrinam evebit ad ſydera teſtimonio ad Operis calcem, quod recitatur. Plura ex ejus Mercurii libris excerpta afferuntur. Ea Auctorem non minus Latinæ linguæ, quam criticæ eruditionis peritiſſimum demonſtrant. Ex veteribus Grammaticis Donatum, & Priſcianum haud raro redarguit, ex recentibus vero, præter Laurentium Vallam, Paulum Suardum, Antonium Nebriſſenſem, Baptiſtam Pium, Ambroſium Calepinum. Quintilianum plurimi fecit, profeſſus ſe ejus veſtigia quotidie exoſculari, ac modo non adorare.

JOANNES CALPHURNIUS.

Nicolai Perotti Grammaticam magnopere commendavit appoſita Epiſtola ad Editionem ejus Grammaticæ an. 1475. vulgatam. Recitatur Epiſtola illa. Laurentii Vallæ Elegantias linguæ Latinæ Epigrammate ornavit in Veneta Editione an. 1492. Epigramma illud recitatur. Alia Editio Rudimentorum Perotti prodiit opera Agnelli de Tuſculano an 1490.

BAR-

BARTHOLOMÆUS PARTHENIUS.

Volumen Maii Parthenopæi editum Neapoli an. 1475. *de priſcorum Verborum Proprietate, ex Laurentii præſertim Vallæ, & Joannis Tortellii Commentariis depromptum, recognovit. Affertur ex Operis illius Tarviſina Editione Epiſtola ad Franciſcum Thronum.*

JOVITA RAPICIUS.

Scripſit libellum de puerili Inſtitutione ad Rectores, & Decuriones Bergomates, quorum in civitate literarium ludum rexerat per annos XV. Affertur ejus Proœmium, nec non Caput de Officio ſpecialium Magiſtrorum. Commentarios Jacobi Petrecini Caſtionatis in libellum Terentiani Mauri probavit, eiſque Epiſtolam præfixit, quæ recitatur. Petrecinus eos Commentarios tranſmittit ad Joannem Planerium.

JOANNES TABERIUS.

Hujus in re Grammatica excellentia commendatur ab Auguſtino Saturnio. Aldus Manutius ei nuncupat Stephani de Urbibus Editionem, gratulaturque urbi Brixiæ ob ſtudia Græcarum literarum, quæ in ea florebant, Taberio præceptore.

CORNELIUS DONZELLINUS.

Methodum linguæ Græcæ libris quatuor conſcripſit, quos Franciſco, & Joanni Principibus Mediceis dedicavit. Affertur Epiſtola Nuncupatoria ex Editione Baſileenſi Joannis Oporini an. 1551. *Inter Latinos, qui Græcam Grammaticam condiderunt, doctrinæ, & induſtriæ laudem promeritus eſt.*

BENACENSES TYPI.

Tuſculani in ædibus ſuis Alexander de Paganinis vulgavit an. 1519. *Aldi Manutii Grammaticam, quæ ab eodem Paganino iterum excuſa fuit anno* 1532. *Annales Typographici eam officinam non memorant, niſi anno* 1523. *quo prodiit Cicero de Officiis &c. cum Comment. diverſorum.*

ORA-

ORATORIA.

CHRISTOPHORUS BARZIZIUS.

Magna ferveute inter Rhetores controverſia de Fine Oratoris, aliis pro Ciceronis, aliis pro Quintiliani ſententia pugnantibus, librum de ea ſcripſit Barzizius, Brixiæ a Presbytero Baptiſta de Farfengo impreſſum an. 1492. *Recitatur Barzizii Epiſtola Nuncupatoria ad Heliam Capreolum; nec non Caput decimum Libri primi, & Proœmium Libri ſecundi, ac tandem Concluſio totius Operis. Subſequitur Bartholomæi Capreoli, Heliæ filii, Epigramma, quod pariter affertur. Barzizius hic, alius omnino a Bergomate. Quinam fuerint Bonifacius Bembus, & Matthæus Collatius, quorum Commenta Barzizius refellit, explicatur. Ea ipſa controverſia magna contentione agitata fuit pro ſuggeſtu a Marino Becichemo Venetiis in Æde Divi Stephani adverſus Raphaelem Regium. Ea occaſione memoratur funebris laudatio ejuſdem Marini in Joannem Baptiſtam Scytham recitata in Æde Divæ Mariæ Formoſæ ab hora* 21. *uſque ad tenebras. Becichemus non ita magni habitus a Petro Bembo, qui dolet, eum ſolum Patavii Rhetoricen profiteri, poſtquam Romulus Amaſæus Gymnaſium reliquiſſet, quo nullus inter Italos in ea Arte excellentior, quemque Becichemo mortuo idem Bembus ad repetendam Cathedram Patavinam, Bononienſi, quam obtinebat, utique præferendam invitavit; at fruſtra.*

JOVITA RAPICIUS.

Civitati Brixianæ *qua ratione, ſuperata Clarenſium ſuorum obtrectatione, adſcriptus fuerit, binæ ejus Epiſtolæ declarant. Scripſit libros quinque de Numero Oratorio, quorum quatuor priores Cardinali Reginaldo Polo dedicavit. Affertur ea Epiſtola, ſeu Præfatio ex Aldi Manutii Editione an.* 1554. *Afferuntur etiam alia Specimina ejuſdem Operis. Librum quintum inſcripſit Paulo Ramnuſio, quem, ejuſque avum Paulum, Hieronymum magnum patruum, & Joannem Baptiſtam patrem, Rapicius magnopere laudat. Eorundem laudes proſecutus eſt Paulus Manutius*

tius; ad Joannem vero Baptiſtam plures exſtant Bembi Epiſtolæ. Una exſtat Reginaldi Poli ad Paulum, qua gratum animum erga Rapicium teſtatur. Scripſit præterea Rapicius Orationem gratulatoriam ad Venetiarum Senatum pro Bergomatibus, cujus fragmentum recitatur. Item funebrem in Paulum Zanchum. Affertur ex ea fragmentum, Pauli religionem comprobans, & filiorum ejuſdem mentionem faciens. Orationem aliam ſcripſit de laudibus Andreæ Gritti, Venetiarum Ducis. Affertur inde fragmentum triplex.

GREGORIUS, ET BENEDICTUS BRITANNICUS.

Hi fratres Joannis Britannici, & Prædicatorum Ordini adſcripti, quamplures Orationes funebres, & nuptiales in unum collegerunt. Nec unum ab alio, nec Collectionem unius a Collectione alterius, ſatis diſtinxit Jacobus Echard in Biblioth. Scriptor. ſui Ordin. Libellum Benedicti ad manus habuit Antonius Maſſouliè, & ejus Auctorem in Scripturæ, Patrum, Philoſophorum, & Poetarum lectione verſatum commendavit. Editus fuit libellus ille Britannicorum fratrum typis an. 1507. Brixiæ. Præfert in fronte Epiſtolam Benedicti ad Damianum Nepotem, & aliam ad Nicolaum Belammum Soncinenſem. Utraque recitatur. In ea Benedicti Collectione Sermones quinquaginta continentur, poſt quos ſequitur Epiſtola ipſius Benedicti ad Timotheum Acerbum Veronenſem, ubi dolet obitum fratris ſui Thomæ, Oratoris ea tempeſtate clariſſimi; & bujus Thomæ ſubſequitur illico Oratio in funere Comitis Pandulphi Seratici, & alia in funere Matthæi Tuſcani Bononiæ Prætoris. Copioſior, ac luculentior Gregorii Britannici libellus, impreſſus Venetiis an. 1505. & Paulo Zane, Brixiæ Epiſcopo, nuncupatus, quem in primis laudat ex maxima librorum cujuſcumque doctrinæ ſuppellectile, qua nibil pretioſius poſſideret. Recitatur ea Epiſtola, quæ data fuit ex Æde Divi Floriani an. 1495. Degebant tunc ibi fratres Ordinis Prædicatorum. Paulus Zane Gregorii Britannici diligentiam commendat in literis ad ipſum Gregorium, & ibidem honorificam Joannis Britannici mentionem iniicit ob Perſium, & Statium jam ab eo illuſtratos, & ob Commentaria, quæ in diem expectabantur, in

Juve-

Juvenalem, & Ovidium. Afferuntur eæ literæ datæ ex Brixiano Episcopio an. 1495. *Incipit libellus a pluribus Sermonibus, quos Collector funebres vulgares appellat. Subsequuntur literales, quorum primus in Carolum Malatestam, Pisauri Dominum, ad Pandulphum ejus fratrem. Affertur ex eo fragmentum, quo Caroli gesta ad Brixianæ Urbis historiam spectantia illustrantur. Subsequitur illico Oratio in Constantiam, Pisaurensium Dominam, ad Alexandrum Sfortiam, ejus conjugem, quam non solum a felici Principatus administratione collaudat, sed etiam ab eximia divinarum, humanarumque literarum peritia. Afferuntur ex ea Oratione præcipuæ Constantiæ laudes. Tertius, inter literales illos, Sermo auctorem suum præfert, scilicet Thomam Acerbum Veronensem, habitusque fuit ad Brixianos in funere Joannis Britannici, Equitis Aurati. Pauca quædam ex eo afferuntur. Subsequens Sermo a Fratre Gregorio Britannico compositus, prosequitur laudes Antonii Britannici, Doctoris, ac Philosophi præstantissimi. Fragmentum ex eo recitatur, in quo Antonii profectio ad Concilium Constantiense, & præstita in eo Joanni Pontifici opera, nec non Legatio ejus ad Principes, a quibus pro obsesso Byzantio magnam pecuniæ summam collegit, memorantur, ac demum eximia ejusdem doctrina. Oratio in obitu Nicolai Duodo, magni Brixiæ Præfecti, auctorem habet Joannem Britannicum. Fragmentum inde recitatur, Nicolai, ejusque familiæ elogium complectens. Oratio in funere Caroli Zeni auctoris nomen non præfert, at eum certo constat esse Leonardum Justinianum. Edita ea fuit Venetiis an.* 1492 *per Bernardinum Benaleum. Rursus in Collectione Patrum Martene & Durand. Demum in Tomo XIX. Scriptor. Rer. Italicar Mediolani. At in Gregorii Britannici Collectione quibusdam additamentis ornatur. Nuptiales Orationes quamplures in ea Collectione subsequuntur, quarum prima Joannem Britannicum, altera Christophorum Barziziam præfert auctores, reliquæ ab ipso Gregorio, ut credere par est, compositæ fuerunt. De Rhetorico in componenda Oratione nuptiali artificio disseruit Becichemus in Centuria Epistolic. Quæst. ad Marinum Georgium ejus Mecœnatem. Præerat tunc Becichemus Academiæ Brixianæ, & Hieronymi Donati filiorum institutionem susceperat. Cathedram postea Patavinam obtinuit, & ejus Universitatis nomine recitavit gratulatoriam Orationem ad Andream Grittum, Ve-*

tiarum

tiarum Ducem, & funebrem in Joannem Petrum Stellam, magnum Venetiarum Cancellarium. Ætatem ſuam ingraveſcentem Becichemus jam cauſabatur, & ob eam forte a Bembo non adeo opportunus Juventuti in Patavino Gymnaſio inſtituendæ habitus fuerat.

JOANNES MARIUS MATIUS.

Floruit in Alexandrina Statielenſi Academia, quum plures vitæ ſuæ annos inter familiares Hieronymi Gallarati, Epiſcopi illius Urbis, tranſegiſſet. Scripſit Adnotationes in libros Rhetoricorum ad Herennium, quos contendebat Ciceronis eſſe, non Cornificii. Inde acerba exorta eſt controverſia inter ipſum, & Antonium Riccobonum. Adverſus hunc Matius ſuam protulit Defenſionem, quam Octavio Giliino inſcripſit. Affertur ea Epiſtola. Hanc eandem Quæſtionem diſcuſſerat Bartholomæus Theanius, Brixienſis.

OBSERVATIONES MARII NIZOLII.

Has Obſervationes in Ciceronem Brixiana ſibi vindicat literatura, non quod ipſe Brixienſis eſſet, ut aliqui tradiderunt, atque ita legitur in Veneta earundem Obſervationum Editione an 1576. *ſed quod Obſervationes illæ elaboratæ fuerunt apud Pratum Alboini, & ibidem editæ in Ædibus Comitis Jo. Franciſci Gambaræ, pecuniam conferente Matthæo Advocato, an.* 1535. *Recitatur Epiſtola Nuncupatoria ad ipſum Gambaram. Michael Nizolius Marii nepos locupletiorem Editionem earum Obſervationum adornavit. Indicantur rixæ inter Nizolium, & Majoragium.*

CORNUCOPIA NICOLAI PEROTTI.

Spectat & ipſa ad Brixianam literaturam ob curam in ejus Editione Veneta an. 1490. *impenſam ab Antonio Moreto Brixiano, cujus teſtis Sabellicus, & alii. Aliam item ſuſcepit Alexander Paganinus in Benacenſi an.* 1522. *Ambroſii Calepini, qui ex Cornucopia multa deprompſit, Vocabularii editione. Affertur Alexandri Paganini Præfatio.*

POETICA.

JO. FRANC. STOA QUINTIANUS.

Coronam Poeticam e manibus Ludovici XII. Galliarum Regis recepit, & amplo ab eo ornatus fuit Diplomate, quod recitatur. Poemata ſacra Quintiani edita ſunt Pariſiis an. 1514. *quibus præmittitur Epigramma, quod affertur; ſicuti & Poematum eorum initium. Tragœdia de Paſſione Domini laudatur ab Julio Cæſare Scaligero. Ovidianæ Quintiani Periochæ impreſſæ ſunt Papiæ an.* 1506. *& Joanni Franciſco Bruno, Nolano Epiſcopo, nuncupatæ. In Joannis Planerii Epiſtola ad Bartholomæum Theanium memorantur quamplura Quintiani Opera. Quintum Curtium reſtituit, & abſolvit. Poema de Encomio Urbis Venetæ magno plauſu exceptum fuit. Affertur Præfatio in Panegyricum, cui titulus, Parthenoclea, portentoſiſſimum obſcuritatis opus. Poema de laudibus Pariſiorum Urbis, & aliud de Orpheo, edita fuerunt Pariſiis an.* 1514. *recenſente Joanne Salmonio Materno, & Quintianum magnopere commendante. An Quintianus fuerit Rector Univerſitatis Pariſienſis, & Franciſci I. Præceptor, in dubium vocari poteſt.*

FAUSTUS SABÆUS.

Natus eſt in Brixiano municipio, cui nomen Clarium. Regibus Francorum Franciſco, & Henrico, tam Carminum ſuorum libros, quam Arnobii adverſus Gentes Diſputationes nuncupavit. Vaticanæ Bibliothecæ Cuſtodis officio functus eſt penes ſeptem Summos Pontifices. Recitantur quædam ejus Epigrammata ad Galliæ Reges. Item alia plura ad Romanos Pontifices, in quibus de ſua egeſtate frequentiſſime conqueritur. Incipiunt a Leone X. & deſinunt in Paulo IV. Edidit Coſmographiam Julii Oratoris. Ab Hadriano Papa male habitum fuiſſe, res parum certa. Bibliothecæ Vaticanæ miſerum ſtatum deplorat verſibus, qui recitantur. Gratias agit Julio III. ob dona ab eo recepta. Poſt Pontifices, & Reges non alios Sabæus ſtudioſius excoluit, quam Gallos Cardinales, ac præcipue Joannem Bellajum, & Carolum Lotharingum. Af-

feruntur nonnulla ad eos Epigrammata, quorum non aliud fere argumentum, quam eſuritionis ſuæ querimonia. Recitatur aliud Epigramma, valde facetum, ad Guillelmum Epiſcopum Matiſconenſem. Item Epitaphium Cardinalis Aleandri, nec non Epitaphium Cardinalis Puccii, & Epigrammata ad Cardinales Farneſium, Bembum, Scotum, Campegium. Plura etiam ſcripſit Epigrammata ad Poetas ſui temporis, quos chariores habebat. Afferuntur quatuor ex ipſis, & unum præterea, quo plures ex amicis ſuis ad celebrandum diem Natalis ſui invitavit. Luſus liberiores, & ſales parum religioſi Sabæo aliquando placuerunt. Scripſerat tres libros de Amoribus, quos ſibi ſurreptos conqueritur hendecaſyllabis, qui recitantur. Plura Epigrammata Anthologiæ Græcæ Latina fecit. Libellus, Picta Poeſis Ovidiana, inſcriptus, conſtat magna ex parte Fauſti Sabæi carminibus. Teſte Jul. Cæſ. Scaligero, Sabæi facilitas ſecundo plauſu, dum ipſe viveret, excepta fuit. Affertur tetraſtichon de M. Juventio Talpa. Ejus interpretatio ad hederæ fabulam allegatur, & recitatur in Adnotationibus ad Opera Garciæ Laſſi. Sumptus ad nitidam Editionem Diſputationum Arnobii de ſuo ſuppeditavit; quare valde mirandum, ea preſſum fuiſſe egeſtate, quam uſque, & uſque ſuis in carminibus deplorat.

JOVITA RAPICIUS.

Paraphraſin metricam in aliquos Davidicos Pſalmos confecit, ac Cardinali Reginaldo Polo nuncupavit. Duo ex ea Pſalmi recitantur, ſubdunturque eorundem Pſalmorum M. Antonii Flaminii, & Georgii Buchanani Paraphraſes. Flaminium, ut Polo gratificaretur, ſuam Paraphraſin elaboraſſe, ſcribit Thuanus in Hiſtoriis, at ex Epiſtola ipſius Flaminii ei Paraphraſi præmiſſa aliter judicandum videtur. Facile credi poteſt, Rapicium potius ad id operis excitatum fuiſſe a Polo, quem tamen certum eſt auctorem fuiſſe, ut alia Flaminii in Pſalmos Paraphraſis, proſaica nimirum, in vulgus ederetur. Metricam in Pſalmos Paraphraſin pariter compoſuit P. Franciſcus Spinula, Mediolanenſis utique, non Brixianus, ut aliqui perperam tradiderunt. De eo inferius. Rapicii in Poetica diſciplina præſtantiam teſtatus eſt Thomas Junta in Editione Operum Virgilii anno 1552 quam ei nuncupavit.

J A-

JACOBUS BONFADIUS.

Patriam habuit Gazanum, vicum amœniſſimum ad Benacum prope Salodium. Id omnino conſtat. Lacus, & regionis Benacenſis delitias deſcribit elegantiſſime in Italica ad Plinium Thomacellum Epiſtola. Academiam in ea regione inſtitui optabat, cujus ipſe princeps foret. Recitatur ipſius Poema, quo Gazanum vicum deſcribit. Flaminium ad aliam lacus ripam habitantem identidem inviſebat. Recitantur Pauli Manutii verſus de morte Bonfadii, nec non Matthæi Toſcani Epigramma.

NICOLAUS SICCUS.

Carmina plura valde culta, & elegantia ſcripſit. Marii Matii de eo elogium. Romæ magna fuit ejus nominis exiſtimatio. Falſo ei tribuitur Epigramma in ſalacem formicam. Militari etiam gloria floruit. Præfecturam Juſtitiæ Mediolani exercuit. Ad Cardinalem Chriſtophorum Madrutiuu, & ad Antonium Perenottum, Epiſcopum Atrebatenſem, plura tranſmiſit carmina, quorum aliqua recitantur. Eorum argumentum querelæ, ut plurimum, ob inſignia geſta, quorum nullam mercedem retuliſſet, quodque dignitatem ſibi collatam proprio patrimonio tueri cogeretur. Ea dimiſſa ad fruendas Villæ ſuæ delicias, quas deſcribit, redactus fuit. Epigramma de Benedicto Varchio non a Sicco, ſed ab ipſo Varchio compoſitum credi debet. A Varchio magni habitus fuit Siccus, quemadmodum & ab Hieronymo Cardano, Antonio Cerruto, cujus verſus recitantur.

BARTHOLOMÆUS THEANIUS.

Magnopere laudatur ab Joanne Planerio ejus conterraneo in Epiſtolis. Edidit Carmen Heroicum de Brixia a Gallis capta, dicavitque Camillo Capreolo hendecaſyllabis, qui recitantur, nec non alii ad Nicolaum Siccum in Monte Claro Muſas colentem.

CÆSAR DUCCUS.

Hujus Poeſin plures ea ætate commendarunt. Scripſit Hendecaſyllabon ad Quintianum Stoam, Elegiam in Mulieres caudatas veſtes ferentes, item Hendecaſyllabon ad Hieronymum Bornatum, quo Occultæ Academiæ Principes recenſet, nec non Epigramma in libellum Natalis Comitum de Venatione. Ea omnia recitantur.

ANDREAS MUTIUS.

P. Franciſcum Spinulam inſectatus eſt ſuis verſibus, ex quibus affertur Tetraſtichon, & Hexaſtichon. Afferuntur etiam aliquot Spinulæ verſus, quibus hic adverſarios ſuos nominat, & carpit.

AUGUSTUS COCCEJANUS.

Fuit unus ex præcipuis, qui Jovii Elogia verſibus illuſtrarunt. Affertur carmen ejus de Romulo, nec non aliud, quo funera Chiſioliæ Domus deplorat, patris ſcilicet, ac filii. Coccejanum magni fecit M. Antonius Flaminius, ut conſtat ex Hendecaſyllabo, quod recitatur.

CALEMERIUS BALNEACATTUS.

Elegans Hendecaſyllabon carminibus Marulli Tarcaniotæ adjunxit. Ei favit, nullo partium ſtudio in aſperis rixis, quibus Marullus, & Politianus ſe invicem proſcindebant, abductus. Affertur illud Hendecaſyllabon, nec non aliud de reditu Marini Becichemi ad Urbem Brixiæ. Item ſcripſit Epigramma in laudem Jo. Baptiſtæ Benivoli, Brixiani, ob Opuſcula de Liberorum Educatione ab eo recognita quibus Epiſtola etiam Joannis Calphurnii præfigitur in alia Editione.

JOANNES MARIUS MATIUS.

Scripſit hendecaſyllabos, quibus plura Vitæ ſuæ Hiſtoriæ illuſtrantur. ad Sodales ſuos, & alios ad Monachos Bobii. Recitantur ex libello ipſius Apologiam continente adverſus quoſdam Profeſſionis ſuæ impugnatores.

DIO-

DIOMEDES SALA.

Unus fuit ex P. Franciſci Spinulæ adverſariis, ut patet ex Epitaphio in Torquatum, & ex Epigrammate in Hippolytum Corſinum. Epitaphium Corſino conſcripſit Jo. Antonius Taygetus, & præterea ejus laudes proſecutus eſt in Ecloga, cujus priores verſus recitantur. Idem Taygetus Salæ Poeſin magnopere commendavit verſibus, qui referuntur.

JO. ANTONIUS TAYGETUS.

Auctor ipſe fuit Collectionis carminum Academicorum Occultorum. Hujus Academiæ primates recenſet in verſibus, qui recitantur. Idem Taygetus vulgavit Collectionem carminum Poetarum præſtantium. In ea adeſt Epigramma ad Ludovicum Calinum, quod affertur. Ludovicus hic forte is ipſe, ad quem exſtat Epiſtola Italica M. Antonii Flaminii, plena utique bonæ frugis, de ratione, qua Mutius ejus filius politioribus literis inſtitui deberet. Mutii Calini nomen ſatis celebre in Epiſtolis Pauli Manutii, quod ſpectat ad politiorem literaturam. Aſcendit ad Archiepiſcopatum Jaderenſem, quem poſtea commutavit cum Interammate. Mutuæ de ea migratione, Manutii ad ipſum, & ipſius ad Manutium Epiſtolæ.

HIERONYMUS BORNATUS.

Suos in Academia Occultorum Sodales, Ducum, Soncinum, & Taygetum celebravit verſibus, qui recitantur; & alii quoque in Albertum Lollium Ferrarienſem, nec non in Vincentium Metellum. Academia Occultorum cœpit anno 1563. & viginti tantum annis floruit; at poſtea quadantenus revixit.

LUDOVICUS FEDERICUS.

Unus ex Academicis Occultis. Scripſit Hexametros, quibus quæritur, ſeverius in ſuam, Majorumque ſuorum conditionem inquiri ex Brixiani Senatus decreto, ut in Curiæ ordinem recipi valeret.

Pro-

Producuntur, nec non bendecaſyllabi pro adventu Bernardi Georgii Prætoris. Ad Ludovicum Federicum inſcribitur Ecloga nautica Taygeti, cujus aliqui verſus recitantur. Exhibentur item verſus, quibus Academici Occulti labores ſuos nuncupant Jo. Franciſco Cardinali Commendono. Hunc quibuſdam bendecaſyllabis laudavit etiam Carolus ex Comitibus S. Bonifacii, unus ex illis Academicis. Poetica Commendoni vena fuit ipſius ad Julium III. prima commendatio.

COMES BRUNORIUS GAMBARA.

Hujus verſus propriis intexuit P. Franciſcus Spinula, ad quem exſtat ipſius Gambaræ Elegia, quæ recitatur, una cum aliquot bendecaſyllabis in laudem Spinulæ, hujuſque in Pſalmos Paraphraſis. Hæc lucem vidit Baſileæ an. 1548. *ipſo Spinula ignorante. Laudata etiam reperitur a M. Antonio Majoragio.*

VINCENTIUS ZINUS.

Patriam, & conditionem ſuam declarat in Epigrammate ad Herculem Ferrariæ Ducem, quod datur. Familiam Eſtenſem ſuis carminibus Zinus frequenter decantat, & doctos etiam Viros, quibus ea tempeſtate Aula Herculis, & Renatæ ejus conjugis abundabat. Vincentius Zinus ſanguine conjunctus fuit Petro Franciſco Zino, Archipresbytero Lonati, ac poſtea Canonico, ac in Patavino Gymnaſio Philoſophiæ Profeſſori, ut fidem facit ipſius Vincentii Epiſtola nuncupatoria ad Philippum Contarenum. Hujus frater Marcus Contarenus auctor Epigrammatis, quod recitatur.

JOSEPHUS MILIUS VOLTOLINA.

Scripſit Poema de cultu Hortorum maxime elegans. Afferuntur priores aliqui verſus. Opus ſuum non adeo jactavit, ac fecit Nicolaus Rapinus in Præfatione, & in Prologo libri ſecundi. Inſcripſit ſuum Poema Joachino Scaino, Saloenſi civi, & Mecœnati ſuo, cui magnas tribuit laudes. Alios Saloenſes ea ætate illuſtriores indicat in verſibus, qui afferuntur. De re ruſtica egregie item meritus eſt Auguſtinus Gallus Brixianus, cujus Opus in Gallicam etiam

etiam linguam converſum fuit. De eo plura. Laudatur ab Antonio Querengo, & ab Joanne Antonio Taygeto, quorum verſus exhibentur. Creſcentii de Agricultura Tractatum, mendis omnino vitiatum, Comes Jo. Franciſcus Gambara eo tempore emendavit, ut teſtatur ipſe Auguſtinus Gallus. Gallus Opus ſuum dicavit Emmanueli Sabaudiæ Duci, & in Epiſtola ad ipſum meminit Petri Comitis Advocati, qui in ejus Aula ad magna negotia adhibebatur. Milius ad calcem Poematis ſui adjecit Eclogam, & Hendecaſyllabon. Scripſit aliud Poema, cui titulus, Hercules Benacenſis.

LAURENTIUS GAMBARA.

Scripſit quamplura Poemata, inter quæ illud de Columbi Navigatione maximopere laudatur a Manutio in Epiſtolis, quemadmodum ab Julio Lipſio, & Lilio Gyraldo. Recitatur hujus Poematis initium, nec non aliqui verſus ex Poemate, Venetiæ, & alii ex Poemate, Caprarola. Poema, Expoſiti, metaphraſis eſt Paſtoralium Longi, cui fatetur multa de ſuo addidiſſe. De Poemate Columbeidis Epiſtola Bartholomæi Ricii. Gambaræ Carmina laudantur a Baſilio Zanchio, quem viciſſim Gambara laudat in ſuis. Utraque recitantur. De Gambaræ ad gelidas Germaniæ oras profectione affertur M. Antonii Flaminii Hendecaſyllabon. Gambara quamplurima ſua carmina combuſſit, quod turpia, & Deorum fabulas continerent. Ejus de Poeſis ratione libellus, an Antonio Poſſevino tribuendus, incertum videtur. Haud multo poſt Laurentium Gambaram Julius Cæſar Stella aliud de Columbi navigatione Poema edere cœpit, cujus duo priores tantum exſtant libri a Franciſco Bencio, aliorum etiam doctorum Virorum teſtimonio, valde commendati. Stella ille, licet Romanus, etiam pro Brixiano habendus. Vincentius Stella, & Fabius ejus filius, Brixiani, magna cum laude memorantur a Manutio in Epiſtolis. Bartholomæus Stella ſodalis fuit Cardinalis Poli in Anglica Legatione, de quo affertur Sabæi Epigramma. Michaelis Mercati Metallotbecæ, & Mercurialis de Arte Gymnaſtica Editiones ornantur quibuſdam Laurentii Gambaræ carminibus.

THEOPHILUS MONACHUS BRIXIANUS.

Scripſit carmina, quæ edita reperiuntur Brixiæ per Bernardinum Miſintam Papienſem an. 1496. *Præmittitur iis Epiſtola Heliæ Capreoli ad Auguſtinum Æmilium, quæ recitatur, nec non Theophili verſus nonnulli ex Elegia, & ex Dialogo de Vita Monaſtica, & Politica. In eodem libello exſtant Elegi de vita, & moribus D. Bernardi, quibus præmittitur ipſius Theophili ad Ludovicum Martinengum Epiſtola, quæ affertur, nec non alia ad P. Præſidem Congregationis S. Juſtinæ præmiſſa Hymnis in ſolemnitatibus S. Benedicti, S. Lucæ, & S. Juſtinæ, quorum priores verſus recitantur.*

T. PROSPER MARTINENGUS.

Monachus & ipſe Benedictinus. Ejus Elogium lato calamo perſequitur Auctor Biblioth. Benedict. Caſin. Excelluit literis Latinis, Græcis, & Hebraicis. Ob Græca Poemata ab eo ſcripta habitus fuit alter Homerus, & alter Pindarus. Omnia ipſius Carmina tribus Voluminibus Romæ editis continentur, in quibus obvia ſunt multorum elogia in Martinengum. Ad hunc Franc. Spinula verſus quoſdam ludicros tranſmiſit, qui recitantur. Severiores etiam literas coluit, de quo alibi.

UBERTINUS POSCULUS.

Plura ſcripſit Poemata, typis minime edita. Præ cæteris celebre illud, cui titulus, Conſtantinopolis. Dividitur in quatuor libros. Afferuntur ex eo priores aliqui verſus, nec non Tetraſtichon, quo patriam, & conditionem ſuam prodit. Poſculus laudatur a Cereto in Brixiæ Panegyr.

JOANNES CALPHURNIUS.

Omiſſis Jo. Britannico, Jo. Taberio, Codro Urceo, de quorum Poeſi ſat dictum in prima hujus Operis Parte, memoratur Carmen Jo. Calphurnii, cujus argumentum, laudes Joannis Inderbachii Pontificis Tridentini, & interitus beati Simonis infantis a Ju-

Judæis mactati. Earum laudum priores versus afferuntur. Interitus autem integrum Carmen, quod luculentum est testimonium pro Actorum Passionis beati Simonis veritate comprobanda. Ea Passio contigit an. 1474. *Carmen autem Calphurnii continetur in Volumine edito typis an.* 1481. *& ibi Calphurnius affirmat, se Carmen illud* olim *composuisse. Eadem Acta scriptis consignavit Joannes Mathias Tiberinus Medicus, Brixianus, Poetica, & Oratoria facultate non minus, quam Medicina insignis eo ipso tempore. Volumen illud, unde Calphurnii Carmen recitatum est, exhibet Catullum, Tibullum, Propertium, & Statium emendatos ipsius Calphurnii cura, quam ipse testatur in Epistola ad Hermolaum Barbarum Editioni illi præmissa, quæque in priore Parte hujus Operis, ubi de Catullo, commendata fuit, & ab omni dubietate vindicata.*

PYLADES BUCCARDUS.

Hesiodi Theogoniam Elegiacis versibus conscripsit, quorum aliquot afferuntur ex libro ultimo desumpti. Opus suum nuncupavit Lucæ Tertio. Hesiodo Homerus conjungitur, ut de eo quoque Brixiana literatura benemerita fuisse dignoscatur. Quum nihil prorsus Homerici typis impressum uspiam prodiisset Justinianus Luzaghus, Brixianus, in lucem edidit Brixiæ an. 1474. *Versionem Latinam Iliadis a Laurentio Valla confectam, eamque Bernardo Justiniano, qui eandem Parisiis inventam transcribendam curaverat, nuncupavit. Affertur ea Luzaghi Epistola Bernardi Justiniani laudes etiam ex Sixti IIII. Rom. Pont. oraculo. Gallica Legatione fungens, literarum studium haudquaquam sepposuit, ut patet ex ejus Oratione ad Universitatem Parisiensem. Recitatur ejusdem Luzaghi Epigramma in Vallæ versionem. Hæc non omnium quidem prima, at alias Nicolao V. Rom. Pont. jubente elaboratas, præsertim Horatii Romani illam, præcessit. Item Gallicæ Legationi Aloysii Mocenici debetur vetustissimus Plinii Epistolarum Codex ab eo in Italiam allatus, teste Aldo Manutio. Nova Vallæ Versionis Editio prodiit Brixiæ an.* 1497. *per Baptistam Farfengum Presbyterum, impensa vero Francisci Laurini, civis Brixiani, cujus est Præfatio ei Editioni apposita. Vernacula versio Comœdiarum Aristophanis edita Venetiis an.* 1545. *auctores*

habet Bartholomæum, & Petrum Rositini a Prato Albaini, qui eam Camillo Gambaræ dedicarunt.

BONIFACIUS BEMBUS.

Hic, de quo supra inter Oratores, Poesin etiam excoluit. Exstat ejus Elegia ad Cassandram Fidelem Venetam, ex qua recitantur aliqui versus Cassandræ laudes, & una simul domesticas clades ipsius Bonifacii exprimentes. Cassandra a Politiano, aliisque maximopere commendata. Præter illam Elegiam alia etiam carmina scripsit Bonifacius Bembus.

ANDREAS MARO.

Poetica extemporalitate reliquos sui temporis Vates superavit, teste Gyraldo, ac proinde Sassium, Lippum, Gazoldum, & Quernum. Ob eam donatus fuit a Leone X sacerdotio. Laudes ejusdem ex Pierio Valeriano, cujus versus recitantur; nec non ex Paulo Jovio, qui unum ejus versum refert. Exstat præterea Maronis Epigramma in fronte celebris libri, cui titulus, Hypnerotomachia Poliphili, quod recitatur, una cum alio Tetrasticho. Infelix Maronis exitus ex Gyraldo, Valeriano, & Jovio. Brixianum fuisse negari non debet, pro quo affertur Latomi Epigramma.

MACCARONICA MERLINI COCAI.

Theophili Folengi, Mantuani, & Monasticam vitam in Cœnobio Brixiano S. Euphemiæ professi, Opus Maccaronicum primam lucem debet Benacensibus Alexandri Paganini typis an. 1521. Paganinus non Tusculani tantum, sed & Venetiis typographiam exercuit, Aldinarum formarum nitorem æmulatus.

ITALICA BRIXIANORUM POESIS.

Eorum Poetarum duplicem habemus Collectionem, unam scilicet opera Hieronymi Ruscelli, & aliam Academicorum Occultorum carmina complectentem. In priore Veronica Gambara principem locum obtinet. De ea breviter. Aliorum autem Poetarum

nuda

nuda nomina recitantur ex utraque illa Collectione.

OCTAVIUS PANTAGATHUS.

Celeberrimum hoc Brixianæ literaturæ decus, vix credi poteſt quot quantaſque laudes ſua ætate a doctis Viris obtinuerit, Manutio ſcilicet, Panvinio, Gyraldo, quorum dicta indicantur. Choro etiam Poetarum jure adjungendus ex Mureti, Statii, Flaminii, Pignæ, Catenæ, Malateſtæ teſtimoniis, quorum verſus recitantur. Catulli carmina manu ſua emendata fuiſſe teſtatur Muretus, ejuſque lectiones, tam ipſe, quam Statius veneratiſunt, quæ propterea religioſe retinendæ, etſi aliquando nonnulli Codices Manuſcripti ab eis diſcrepent, & antiquiſſima etiam Catulli Editio an. 1472. quam mendis refertam Calphurnius affirmat. Pantagathi honorifice meminit Cardinalis Fridericus Borromæus in libro de fugienda oſtentatione, cujus excerptum affertur in Præfatione ad nuperam Mediolanenſem Editionem Operum Caroli Sigonii.

SCRIPTORES

In altera hac Voluminis parte memorati, & deſignati numeris.

GRAMMATICA.

PYLADES BUCCARDUS num. I. Pag. 1
JOANNES BRITANNICUS num. II. p. 10
CHRISTOPHORUS BARZIZIUS num. III. p. 14
JO. FRANCISCUS STOA num. IV. p. 17
PAULUS SUARDUS num. V. p. 31
AUGUSTINUS SATURNIUS LAZARONEUS num. VI. p. 34
JOANNES CALPHURNIUS num. VII. p. 59
BARTHOLOMÆUS PARTHENIUS num. VIII. p. 61
JOVITA RAPICIUS num. IX. p. 63
JOANNES TABERIUS num. X. p. 69
CORNELLIUS DONZELLINUS num. XI. p. 70
BENACENSES TYPI num. XII. p. 75

ORA-

ORATORIA.

CHRISTOPHORUS BARZIZIUS num. I. p. 81
JOVITA RAPICIUS num. II. p. 91
GREGORIUS & BENEDICTUS BRITANNICUS num. III. p. 120
JO. MARIUS MATIUS num. IV. p. 146
OBSERVATIONES MARII NIZOLII num. V. p. 149
CORNUCOPIA NICOLAI PEROTTI num. VI. p. 154

POETICA.

JO. FRANCISCUS STOA QUINTIANUS num. I. p. 158
FAVSTUS SABÆUS num. II. p. 167
JOVITA RAPICIUS num. III. p. 192
JACOBUS BONFADIUS num. IV. p. 204
NICOLAUS SICCUS num. V. p. 209
BARTHOLOMÆVS THEANIVS num. VI. p. 219
CÆSAR DVCCVS num. VII. p. 222
ANDREAS MVTIVS num. VIII. p. 226
AVGVSTVS COCCEJANVS num. IX. p. 228
CALEMERIVS BALNEACATVS num. X. p. 230
JO. MARIVS MATIVS num. XI. p. 233
DIOMEDES SALA num. XII. p. 238
JO. ANTONIVS TAYGETVS num. XIII. p. 240
HIERONYMVS BORNATTS num. XIV. p. 246
LVDOVICVS FEDERICVS num. XV. p. 249
COMES BRVNORIVS GAMBARA num. XVI. p. 254
VINCENTIVS ZINVS num. XVII. p. 258
JOSEPHVS MILIVS VOLTOLINA num. XVIII. p. 259
LAVRENTIVS GAMBARA num. XIX. p. 268
THEOPHILVS MONACHVS BRIXIANVS num. XX. p. 279
T. PROSPER MARTINENGVS num. XXI. p. 284
VBERTINVS POSCVLVS num. XXII. p. 286
JOANNES CALPHVRNIVS num. XXIII. p. 288
PYLADES BVCCARDVS num. XXIV. p. 296
BONIFACIVS BEMBVS num. XXV. p. 307
ANDREAS MARO num. XXVI. p. 309
MACCARONICA MERLINI COCAI num. XXVII. p. 315
ITALICA BRIXIANORVM POESIS p. 317
OCTAVIVS PANTAGATVS p. 322

FINIS.

8 b2

